1492 **Joannem a Jesu Maria** (R.P.), Carme *Cantici Canticorum.* Interpretatio. Romæ, 1601, 1 fort v. in-8, rel. vélin blanc (Bel exemplaire d'un très rare et excellent ouvrage). 20 fr.

SP/2041

650

CANTICI CANTICORVM

INTERPRETATIO:

Qua cœlestis sponsi, & sponsæ electæ incomprehensibilis amoris vis sensu penitus diuino conscribitur:

Auctore

F. IOANNE A IESV MARIA, CARMELITA Discalceato Calaguritano.

Adiecto indice rerum & verborum copioso.

MOGVNTIÆ,

Apud Balthasarum Lippium sumptibus Nicolai Steinij.

M. DCIII.

Superiorum permissu.

Ego Frater Petrus à Matre Dei, Commissarius Congregationis Italicæ fratrum Carmelitarum Discalceatorum, hanc interpretationem Cantici Canticorum à Patre Ioanne à Iesu Maria compositam, & à nonnullis Theologis nostris, & externis perlustratam, & approbatam, probo, vt typis mandari possit, si placuerit Reuerendissimo D. Vicesgerenti, ac Reuerendissimo Patri Magistro sacri Palatij. Dat. Romæ Idibus Decembris, Anno Domini. 1599.

F. Petrus à Matre Dei.

Imprimatur, P. Episcopus Rauellen. Vicesg.

Imprimatur Fr. Paulus de Francis de Neapoli.
Socius Reu. Patris Magistri Sacri Palatij.

IL-

ILL.mo AC REVER.mo D.

PTOLOMÆO CARD. COMENSI EPISCOPO PORTVENSI.

F. Ioannes à Iesu Maria Carmelita Discalceatus. S.

POSTQVAM à *Theologicis concertationibus, ad optatissimam Scripturæ Sacræ pacem, velut ad Sionis arcem me recepi, Cardinalis Illustrissime, pictorum more, rudes aliquot lineas scribẽdo duxi; quibus animus ad arcanos sensus altiùs perquirendos, inspecta operis imperfectione, acueretur, Et, quod latomis euenire solet, ex oblato rudi lapide marmoreo: vel porphyretico', vt scalpro frequenter adacto scabritiem, ac ruditatem excidant: & columnis sensim læuorem inducant; id ego*

erga opus imperfectum, quod in Salomonis canticum mihi cudere cœperam, præcurrente superiorum iussu, ac operis euulgandi necessitate cœpi moliri; ac, pro exiguo captu meo, demum absolui. Inter vniuersos autem Sacræ Scripturæ libros, hoc potissimùm captiui fui; quod diuinæ philanthropiæ, ac reciproci erga Deum amoris ingenium hic luculentius exprimeretur; quo nihil, ex amœnissimo Scripturarum paradiso, instituto nostro congruentius mentem subire poterat. Instituti quippe nostri pars & potior, & antiquior, diuinæ vnionis, ac proinde amoris, à quo illa prodit, studio constat. In hoc autem cœlesti epithalamio, Spiritus Sancti digito, tanquam egregij pictoris arte, diuini amoris imago graphicè pingitur; & castissimus ille, ac cœlesti voluptate refertissimus animæ cum Deo complexus, multis planèque mirisque translationibus, quasi notis hieroglyphicis, adumbratur; vt ex rerum aspectabilium obseruatione, ad diuinas affectiones dignoscendas, & (quod est fœlicius) subeundas, tanti boni & honestate, & vo-

luptate

luptate posſit animus, affiante Deo, permulceri. Nihil enim ad cor humanum flectẽdum efficacius excogitari potest, quàm diuinæ bonitatis, & pulchritudinis in nos effusa propensio, ac indulgentia; quæ in hoc præsertim opere, velut in speculo limpidissimo, cernitur, dum suauissimus Deus sponsi functiones obiturus, animæ gratæ arctissimo charitatis fœdere sociatus à Salomone introducitur. Qua in re, cum oporteat diuini amoris motus expendere, effectus internoscere, ac in abditissimos eius recessus, velut quadam subtilitatis dote, penetrare libri huius interpretem; & ego in eo genere planè sim infans, necesse est, errata plura in opus irrepsisse. Quapropter, vt mihi, ob Tutelaris venerationem, ignoscatur, sub clypeo nominis tui, inter alia multa nomina, tam augusti, Card. Illustrissime, opus hoc, quod tibi nuncupo, in lucem proferre decreui. Quod sanè consilium multiplex ratio stabiliuit. Nam præter purpura maiestatem, qua insigniter clares, & eximias animi dotes toti Ecclesiæ salutares, & conspicuas, quas ægrè ferres à

me recenseri; quod ad rem proprius accedit matura iam ætate, in vnius sapientiæ studiū totus incūbis; vt quasi alter Dauid, post tot gesta præclara, in Abisag Sunamitidis amplexu cōquiescas. Agis n. seriò de diuina charitate perficiēda, quæ vera sapiētia est, ex Dei syncera notitia, & amore conflata. Cuius certè rei sacram lectionem tam frequentem, ac tot eleemosynas, quas passim erogas, quibus & nos fruiti sumus, tāquā locupletissimos testes possum accire. Quibus aperte cōuincitur generosis charitatis motibus, animū lectione in Deū, largitione in proximū cieri; & fluxā mundi gloriā, & opulentiā aspernari. Qua profectò laborū tuorū coronide, vitæ totius opera, & eanū prudētia caput sapienter exornas. Vt ergo animus iam ad cursum Christianæ perfectionis expeditus, & lōgā satis viam emēsus, quod reliquū est, huius lectionis pastu factus vegetior, & alatrior, sine defectione, percurrat, vtere, Card. Illustriss. hac interpretatione, quam tibi deuoui. Interea precor clementissimū Deū, vt te, ad Ecclesiæ tutamentum, diù seruet incolumem.

EPI-

EPISTOLA VALENTINI LEVCHTHII SS. THEOL. D. SCRIPTA.

AD CANDIDVM CANtci huius Lectorem.

De difficili sacræ scripturæ intelligentia, & interpretis scientia.

SVAVEM illum medullæ dulcorem sacræ scripturæ natura insitum, mentis libæ osculo, dulcem eius saporem degustaæ, & arcano cœlestis mysterij sensu cupidè frui spiritaliterq; expleri plus diuini iudicij, quàm humani ingenij esse pleriq́ue pertiores mecum rectè sentient: Ea enim non est omnibus adeò peruia, nõ est ita facilis intellectu, vt à quouis rudi & de vulgo etian percipi possit, sicut perfrictæ frontis horum temporũ hæretici audaci iactãtia pro sdida sapientia vtentes in profanis suis cõciõnibus imperitorũ & perditorum, suorũq; similium hominũ, & insulsis publicis suis scriptis impudẽter mẽtiuntur, sed est aliquib in locis, quibusdã difficilib

symbolicis figuris, obscuris ænigmatibus, & parabolis grauibus inuoluta, signata & clausa adeoque impenetrabilis & difficilis vt non nisi à Deo penitus dicatis & catholicæ Ecclesiæ Doctoribus explicabilis & enarrabilis existat.

Nam & Dominus ipse de eius incomprehensibili sensu ad B. Iacobum dixit: Iob 38. Quis est iste inuoluens sententias? Et ad Dan. 12. Danielem Prophetam ait Angelus: Clausi sunt, signatique sunt sermones. Clausos autem signatosque libros sacros, inquit D. Hieronymus in hunc locum, nemo potest soluere, nisi qui scripturarum sacramenta cognouit: & intelligit ænigmata, & verba tenebrosa propter mysteriorum magnitudinem: & interpretatur parabolas: quique accidentem literam transferre potest in spiritum viuificantem. Et verò quemadmodum diuina scriptura non humano ingenio & arte adinuenta, & elaborata, sed diuino spiritu condita est: sic ad eam intelligendam, & interpretandam, eodem spiritu Dei, super omnia, opus est, eo, inquam spiritu, cuius Ecclesia illuminatione illustratur, magisterio docetur, ductu regitur, instinctu monetur, denique gratia viuificatur. hinc Esaias de obscuritate sui volu- Esa. 29.

minis

minis loquitur: Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent, lege istum: Et respondebit, non possum signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei, lege: Et respondebit, nescio litteras. vnde etiam D. Paulus in tertium vsque cœlum raptus singularis diuinorum mysteriorum disquisitor tantam profundi sensus immensitatem miratus obstupescẽdo rei grauitate dixit: Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Ioanni quoque in Apocalypsi ostensus est liber signatus sigillis septem, intus & foris scriptus; & quia nullus inueniebatur, qui posset signacula illa soluere, propterea Ioanni flenti dictum est, ne fleueris, ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, & soluere signacula eius. Quod etiam D. Hieronymus sagaciſſimus sacrarum literarum indagator benè intellexit, cum in alio loco dixerit: Non putamus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum flosculis sed in radice r- tionis. Hoc probant & clamant omnes sancti Ecclesiæ patres, hoc docent & profitentur omnes orthodoxi Doctores: sed ta-

Rom. 11.

Apoc. 5.

Hier. sup. Epist. ad Gall.

le & tam astutum est peruersorum hæreticorũ ingenium vt pigeat eos modicè mentiri; nam postquã semel veritatis fines trãsierunt insigniter iuuat esse mendaces.

Ezech. 2. Insuper diuina scriptura valdè appositè apud Prophetam Ezechielem nuncupatur liber inuolutus: cuius inuolutionis siue obscuritatis multæ & diuersæ quidẽ rationes non sine ipsius peculiari laude & fructu in medium proferri possunt. Quarum vnam recenset D. Aug. Sermonis inquit, obscuritas, ad hoc vtilis est, quia plures sententias parit, & in luce sententiæ prodeunt, dũ alius scripturã sic, alius sic intelligit. Et multiplicatis sententi s, multo copiosior, multoq; illustrior ea redditur. tanta est enim eius vbertas, & fœcunditas, vt multorũ & inter se discrepantiũ verorum tñ omnium sensuum non modo capax sed etiam ferax sit, quæ res multiplicem scientiam affert.

Aug. lib. 12. de ciuit. Dei.

Greg. in Matth. 22. Alteram obscuritatis rationem reddit D. Gregorius vbi ait: Non abscondita est in scripturis veritas, vt non inueniant, qui quærunt eam: sed vt non videant qui quærere eam nolunt.

Tertia ratio reddi potest, vt ex hoc diligẽtibus studiosis exercitij materia detur; Et vt ea non vilescat curiosis. Vnde D. Aug. ait

Deus

Deus ad salutem animarum, in spiritu sancto sic diuinos moderatus est libros, vt nō solum manifestis patescceret, sed etiam obscuris valeret. Et in alio loco dicit: Lectiones, actionesque Propheticæ figuris, velut quibusdam amictibus obteguntur, vt sensum piè quærentium exerceant, & ne nuda & prompta vilescant. Aug lib. 73. quæst. q. 53. August. in lib. contr. mendac.

Inter omnes verò sacrarum scripturarū libros, vix alius habetur tot symbolicis figuris, tot arcanis mysteriis, & tot obscuris ænigmatum floseulis ita refertus, quā vt est Salomonis liber, quē ipse, SIRHASSIRIM, id est, Cāticum Canticorū inscripsit: cuius sanè interpretatio hominem expetit rebus fluxis & caducis prorsus abstractū, diuinoque cœlestis amoris feruore penitus imbutū, & insigni studio piæ contēplationis omninò deditū: qui in diuini amoris ecstasi & secessu quodāmodo alienatus nō sui iuris, sed extra se raptus ardēti cœlestis luminis flamma totus incensus, & in rei amatæ vim prorsus translatus sit. Etsi verò multi tàm isto quam præteriti temporis sęculo præclari huius libri interpretes sese exercuerunt, illiusq; mysticum sensum accuratè enucleādo explicarunt nō parum fructus Ecclesię, nec sibi exiguam laudē cōpa- Dionys. Areop. c. 4. de diuin. nomin.

rauerunt; Attamen cum huius libelli auctoris F. Ioannis à Iesu Maria, Carmelitæ discalceati. interpretationes paulo altiùs, & diligentius considerauerimus experiemur, quod tanta eximiæ perspicacitatis felicitate, tam absoluto insignium colorum penicillo omnia verba, omnes sensus, figuras, & phrases, tum dilucidè, tum disertè & acuratè explicauerit & depinxerit, vimque amoris cœlestis, omnem sponsi sponsæq; ita attigerit, multosque ad eiusdem ardentem diuini amoris feruorem amplectendum, illiusque saporem degustandum incitauerit, quod penitus nihil intactum, nihil obscurum nihilq; inuolutum reliquerit, sed omnia solertissimè enodauerit & summa dexteritate enuncleauerit: qua Dei honorem illustrauit Ecclesiæ splendorem promouit, & sibi ab omnibus summam laudem, perennem famam & nominis sui gloriam acquisiuit.

Idcircò quemlibet Candidum Cantici huius Lectorem debita reuerentia rogatum volo, vt hunc tàm sedulum sacræ scripturæ indagatorem, & fidelem interpretem sibi commendatum habeat, summam eruditionem in eo suspiciat, virtutum ornamenta eius miretur, & ad diui

ni amoris feruorem consequendum incitetur; liquido sentiet, & mecum liberè fatebitur hunc ipsum doctorem lectu esse dignissimum, & Reipublicæ Christianæ accommodatissimum & vtilissimum. Quem Deus ad multos annos felicissimè cõseruet vt pro communi Reipubl. Christianæ commodo plures similes & pari dexteritate elucubrationes in lucem mittat. Vale amice Lector & me in tuis deuotis precibus tibi commendatum habe. Dat. Francofurti imperialium Calendas Martias Anno salutis nostræ.

1603.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

EX arcano huius libri sermone interpretes multi, pro suo quisque ingenio, velut opportunam occasionem nacti, in varias exponendi sententias abierunt, quas nimis operosum esset percensere. Quarum obseruatio profuit, vt Scripturæ Sacræ augustissimæ grauitati duos explanandi modos planè dissentaneos vitaremus; ac interstructam interpretandi methodum seligeremus. Sanè, non nullis satis emunctæ naris placuit, huius carminis symbola ità pressè ex amatoriis actibus humanis exprimere, vt necesse sit, obscœnum quippiam, vel certè operis puritati parùm consentaneum lectorum animos incessere. Etsi enim diuini amoris & ingenium, & motus,

tus, per carnea spectra discamus; in eo tamen genere parciùs agendum, & necessariis duntaxat excerptis, in arcanos potissimùm sensus mens debet expositoris incumbere. Aliorum è contrario mens fuit ad internos sensus multiplices adeò prona, vt lectori quouis propemodùm in verbo, velut in triuio insistendum sit; nec totius carminis texturam, & concinnitatem, in tot explanationũ diuortiis, possit amplecti. Satius ergo duximus, è carneis simulacris necessaria parcè repetere; & arcanos sensus, paucos eos quidem, sed qui videbantur aptiores, quàm potuimus exactè, pensitare. At præter duos illos exponendi abusus, supererat vnus multis certe optatissimus, vt arrepta verborum ansa, ad singulas fere periodos, variam, vt aiunt, eruditionem, quasi communes concionatorum locos digerentes, hinc inde conueheremus; vt si de vnguentis, vel conuiuiis incidis-

set mentio, eò intexeretur longus quidam excursus de ritibus vnctionum, & conuiuiorum, quibus antiquitas abusa est. Sed profecto perspicuum est, eiusmodi centonibus synceram textus explanationem obturbari, & integritatem dissipari; vt alia interim nocumenta sileamus. Quapropter iis omnibus reiectis, solam textus expositionem, sanctorum Patrum in hoc genere labores æmulati, tradidimus. Duas tamen ac tres interdum textus eiusdem interpretationes intulimus; at inter se congeneres, ne lectoris mens ad extranea digrediens, libri totius seriem minus perfectè conciperet. Et vt explanationum sensum faciliùs, suauiusque perciperet, ipsis textus cuiusque verbis breuem paraphrasim, quæ vnam saltem è subiectis interpretationib⁹ amplecteretur, quasi operis parergon appinximus. Illud tamen, quod in hoc dramite desiderari videbatur, impensiùs cona-

ti sumus; vt scilicet verba textus ita sibi harmonicè consentire ostenderentur, vt à minùs etiam prouectis construi facilè possent. In tradendis autem arcanis sensibus, quos non nullę metaphoræ vulgatiores à corpore humano, ab animantibus, plătisue petitæ suggerebant, notis rerum proprietatibus leuiter indicatis, sermonem contrahere maluimus, arbitrati eiusmodi res lectoribus satis esse perspectas. Qua etiam ex causa sensuum aliquorum rationes, lectoris animum vltro subituras afferre, superuacaneum duximus. Quicquid verò boni à nobis allatum est, clementissimo Deo acceptum referatur. Nobis autem vertatur vitio, quicquid re tanta minùs dignum irrepsit. Omnia verò S. Romanæ Ecclesiæ correctioni subiicimus.

CANONES.

ARcana huius diuini Carminis, quo ineffabilis clementissimi Dei philanthropia exprimitur, sensa percepturis, canones subiectos animo complecti, maximè necessarium est.

1 In comœdijs stylus est duplex, alter exegematicus, cum videlicet poematis author quippiam effatur, vel exponit; alter verò dramaticus nuncupatus, cùm, authore silente, personæ variæ in scena vltrò, citroque loquuntur. Hoc autem poema dramatico stylo contexitur, quod ex ipso patet initio.

2 Crebrò sub vna periodo, alter colloquentium, modò secunda, modò tertia vtitur persona, eandem personam alloquens, quod Hebræis familiarissimum est.

3 Cum Salomon huius Carminis scriptor, diuini erga homines amoris reserauit arcana, enisus est, ex naturali amore, vniuersis animis lõgè notissimo, illius diuini vires exprimere; vt inde discamus ex nostri amoris affectibus, in illius augustissima quasi adyta penetrare.

4 Carmen hoc hexametris, & pentametris versibus à Salomone conscriptum est, in quo perpetua quædam, eaque longè pulcherrima metaphora excurrit, quæ in rhetoricam transit allegoriam.

5 *Canticum canticorum nouus, sicut Hebræis, ac Græcis appellatur epithalamium hoc, eò quod cæteris canticis non aliorum scriptorum tantum sed & ipsius Salomonis antecellat.*

6 *Palæstinorum historiæ ac mores, à cæterarum moribus gentium longè distiti effecerunt, vt nonnullæ ex his similitudinibus arcanis, ex medio vulgo, rureue petitæ, non adeò concinnæ viderentur externis, cum tamen mira sit in illis ad res exprimendas efficacitas, & cum rerum proprietate congruitas.*

7 *Sponsus, qui à Salomone tanquàm colloquentium personarum princeps in scenam introducitur, Iesus Christus est, secunda summæ Trinitatis hypostasis, duabus in naturis, (vt schola loquitur) subsistens. Sponsa est animæ spiritualis coniugij fœdere Iesu Christo sociatæ. Sponsi comites, Doctores Ecclesiæ sunt; Sponsæ verò sociæ, animæ, modò Sion, modo Hierusalem filiæ nuncupatæ.*

8 *Non omnia prorsus, quæ insunt in hoc Carmine, Salomon literis expressit sed nonnihil interdum lectori concipiendum commisit, quod ad operis pertinebat elegantiam; quemadmodum in comœdiarum actibus perspicimus, quorum pars non exigua, sensu, non voce peragitur. Hoc autem non vtile modò, verùm prorsus necessarium est, in hoc opere statui, atq; mo-*

neri, vbi plures periodi sibi ægrè cohærere videntur, si verba duntaxat scripta expendas, nihilque omninò intertexas. Apparet enim nonnunquam ferè inane quiddam, oratioque languens & quodammodò inconcinna videtur.

9 *Quæ in hoc Carmine à sponsis laudes conferuntur, non rhetorica serie sunt perpendendæ, quasi in eis artis præcepta seruentur. Hoc enim ad amoris vim exprimendam parum conduceret. Sic igitur laudes appendi debent, quasi, quæ sine delectu, ex affectu amoris eruperint, cuius non est, artis humanæ præceptis insistere. Fertur enim, seu potius incendij sui flammis, modò in has, modò in illas laudes arripitur. Quod dictum oportuit, ne quis suspicaretur, alterutrum sponsum alterius pulchritudinem efferentem, vel ineptè laudes nonnullas prætermisisse, vel perturbatè, inter laudandum, artis præceptionibus non obtemperasse.*

10 *Vulgatæ editionis textum enarrare inprimis constituimus. Ex aliis verò versionibus Hebraica, & Septuaginta Interpretum translatione, prout in Bibliis regijs habetur, vbi mysterij quippiam latere visum est, vsi sumus. Versiones aliorum authorum, quibus non tanta fides habenda est, perquàm rarò huic operi intexuimus, quas sine authorum nominibus allegauimus.*

11 *Dum animæ (cui sponsæ nomen tribuimus) iis charitate progressum à basi vsque ad vmbilicum explanare curamus, eam rationem iniuimus, vt ab ipso iustificationis primordio auspicaremur, quemadmodum ex enarrationis initio perspici potest.*

12 *Sensus, quem explanare conamur, ad mores Animæ, cui sponsæ nomen tribuimus, totus pertinet, quam interpretandi rationem plurimi Patres in hoc Carmine amplexi sunt. Hunc verò sensum, licèt ad mores pertinentem, literalem, magna saltem ex parte esse appellãdum, probabile satis est, cum rationi consentaneum sit, in plurimis, sin minùs, in omnibus, quæ de sponsa enunciantur, effatis, mores Animæ Christo sociatæ, sub quadam perpetua translatione, non alio sensu interiecto, depingi. Si autem in iis laudibus, quæ de sponsa scribuntur, Ecclesiæ primùm laudari putanda sit, nõ ideò, duos quasi discretos sensus, opus est comminisci, alterũ Ecclesiæ, alterum animæ iustæ adscribendum; sed vnum dumtaxat verè literalem, qui Ecclesiæ vt corpori, animæ vt membro consentiat. Eædem quippe laudes, eodem sub sensu sunt, quemadmodum pulchritudo, quæ commendatur, eadem est; non enim alia, cũ de virtutibus agitur, credi debet Ecclesiæ, quàm sanctarum animarũ quibus vt mẽbris potissimis illa cõstat, pulchritudo.*

13 *Quæ de sponso leguntur, literali sensu scripta putanda sunt, quod multò nobis certius est, quàm quod de sponsa asseruimus. Siue enim quis censeat, Ecclesiam esse eam, quam Salomon pinxit, sponsam, siue alius credat, animam iustam sponsam hic nuncupari, in eundem tamen, cum de sponso agitur, sensum, opus est vtramque conspirare sententiam. Est enim idem Ecclesiæ, ac animæ iustæ sponsus Iesus Christus, cuius hic amor exprimitur, de quo in sensu planè literali Spiritus sanctus eloquutus est.*

14 *Quamuis autem spiritualia sub rerum corporearum figuris describantur, non tamen ea, quæ iis figuris aspectabilibus innuuntur, ad mysticum pertinent sensum, sed literalem. Sensus quippè literalis est, qui primo per verba innuitur, seu propriè, seu metaphoricè prolata. Salomon autem de Iesu Christo, ac animæ ei sociatæ, sub corporatis imaginibus, & iugi translatione effatus est.*

15 *Plurima ex sanctorum Patrum interpretatione corrasimus, quæ, nominibus suppressis, huic operi intexuimus, quod ideò fecimus, quia ea nonnihil elimauimus, & vt nostro labori cõgruerent, inuertimus. Ordinis autem rationem nouam iniuimus, vt verba connecteremus, contextaque mutuò, etiam parum in scriptura versatis, peruia redderemus.*

16 *Arcanum hoc epithalamium adeò fuit Hebræis augustum, vt nisi post trigesimum ætatis annum legi à quopiam minimè paterentur. At verò postquàm sponsus in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, plurimæ huic carmini factæ sunt lucis accessiones, quas ex priscorum interpretum laboribus enitere conspicimus, quibus potiùs, quàm ingenij nostri viribus freti, operi manum admouere decreuimus.*

Sed Iesu Christi sponsi, purissimæque Virginis Mariæ auxilio (ne quid inaugurato fiat) auspicemur.

CANTICI CANTICORVM.

INTERPRETATIO.

PER FRATREM IOannem à Iesu Maria Carmelitam Discalceatum Calagurritanum.

CAPVT PRIMVM.

SPONSA.

Osculetur me osculo oris sui.

Paraphrasis.

Pater aternus, filij sui Spiritu, eo modo peculiari, quo iustis coniungitur, mihi societur.

DIVINVS ille Hierotheus rerum diuinarum, quas non modo sciebat, verùm & patiebatur, consultissimus, vt amoris exprimeret ingenium, in libro de amoris laudibus prodidit, amorem, vim quandam esse coniungentem, atq;

Amor vis quædam coniungés.

miscentem. Cui sanè oraculo apprimè consentit ardentissima hæc amantis sponsa petitio, quæ votis omnibus sponso cupit permisceri. Statuendum est autem in hoc diuini epithalamij quasi vestibulo, animam, cui sponsæ nomen & functio tribuitur, anteactæ vitæ culpa obduruisse, & multis à Deo motibus ad iustitiam fuisse pulsatam. Cor autem eius illis motibus cœpit concuti, & se ad iustitiam sensim comparare, qui est mirus diuinæ sapientiæ ad gratiam vocantis ordo. Non enim vno ictu omnes, vt Paulum, sed multis, sæpeque iteratis emollit. Timorem incutit, quo degener adhuc animus percellitur. Spem mox ingerit veniæ, qua voluntas allicitur. Amoris denique, ac ex amore ortæ pœnitudinis actum excitat, quæ est potissima & vltima ad diuinam gratiam præparatio. Hoc ergo vltimo ac efficacissimo ad gratiam amoris motu, post longam

cordis

cordis agitationem æstuans, & Deo cupiens charitate sociari sponsa depingitur; & eo ipso impulsa motu hæc verba enunciat: (Osculetur me osculo oris sui,) quasi planius in hunc modum efferatur: Arcana coniunctione, ac singulari modo mihi Deus commisceatur. Enim verò, quemadmodum diuinę Theologiæ tradit oraculum, præter eum modum res vniuersas peruadentem, quo Deus cunctis est præsens creaturis, secretior est ac diuinior modus alter, quo iustis omnibus quasi miscetur, quem cælesti quadam, cum illapsu, cognitione, ac amore constare accepimus. Ex huius certè modi vi, tametsi Deus ob suam immensitatem vbique non esset, fieret nihilominùs intimè præsens animæ gratiam habenti. Quæ quidem præsentia (vt scholæ phrasibus vtamur) esset secundùm essentiam diuinã, quę tunc animæ cõiuncta efficeret, sicut verè modò efficit, par-

ticipationem sui multò nobiliorem, quàm per naturalem ordinem; quæ ineffabilis quædam in naturam diuinam metamorphosis, seu transformatio est, à sacris litteris naturæ diuinæ consortium appellata. Modum ergò hunc coniunctionis planè diuinum, sponsa velut emblemate quodam expressit, cùm id oscŭli nomine significauit. Sicut enim oscŭlum est duorum corporum contactus, ita hæc Dei cum anima sibi grata coniunctio, arcanus duorum spirituum, isq; strictissimus cõtactus est. Priùs verò, quàm interpretationem auspicemur, sic habendum est, sponsam, vt paulò ante dicere cœpimus, multis fuisse ad iustitiam è culpa motibus impulsam, multis quasi fluctibus in maris æstu verberatam, &, vt olim Susannæ contigit, angustijs vndique septam, dum hinc peccati mulcetur illecebris, inde Dei timore quatitur, & quod fortius est, aliunde etiam Dei amore incenditur.

His dum

His dum arctatur affectibus, motus ille amoris ad iustitiam efficaciſſimus, & vltimus clamare illam fecit, & in publicum iuſſit proſilire, ibique oſculum, hoc eſt, arctam eam cum Deo coniunctionem auidiſſimè petere. Vbi cernimus, huius dramatis exordium internis actibus cœpiſſe; verba autem hæc (oſculetur me oſculo oris ſui) ad dramatis pertinere proceſſum. Iam verò ea verba multifariam interpretari poſſumus.

Oſculum quid.

Primùm quidem, dum ſponſa tam exacta verborum diſtinctione, oſculantis, oris, oſculi vtitur, pereleganti quadam velut effigie tres ſummæ Triadis perſonas expreſſit. Non enim tantùm, oſculetur me, ait, ſed (quod eſt plenum energia) enucleatè attexuit, oſculo oris ſui. Et quidem, quod ad verbum attinet primùm, nullius meminit perſonæ, à qua ſibi oſculum expeteret, ſed ſatius duxit rem ſilentio ſupprimere duabus inducta rationibus. Siluit

I. Interpretatio. Oſculans, os, oſculum tres ſummę Triadis perſonæ.

quippe nomen, quia Deus, cuius osculum cupiebat, est ineffabilis, nec aptè vllo quantumnis amplo nomine significari valet. Siluit etiam, quia, cum nihil ipsa, nisi Deum mente pertractet, nec verò à quopiam pertractari censeat, satis esse putauit illis actum exprimere, quem vniuersorum cogitationibus credit esse præsentem. Nullius ergò personæ præfixo nomine, ipsa verborum distinctione valde mira, tres summæ Triadis personas gratiæ diuinæ complexu sibi poscit vniri, aiens; Osculetur me osculo oris sui. Æternus quippe Pater introducitur in scenam, tanquàm osculum imprimens. Os verò quo sponsam exosculatur, filius eius, hoc est Verbum æternum est, quod ex metonymia vulgatissima, qua, os, pro verbo ponitur, apertè liquet; præterquam quod iuxta Theologorum effatum, ea, quæ in diuinis ad sermonem pertinent, vt os, lingua, & id genus alia,

æterno Verbo tribuuntur, quo æternus Pater loqui eleganter asseritur. Osculum verò ipsum ab osculante, oreq; procedens diuini spiritus quasi nota hieroglyphica est, quod luculenter apparebit, si osculi proprietatem expendamus. Osculum nimirum nihil est aliud, quam duorum inter se amantium mutua inhęsio, ac nexus, quo Spiritus sancti proprietas velut admoto pennicillo depingitur. Sanè Pater, & Filius (quod est Theologorum pronunciatum) diligunt se Spiritu sancto, quasi translatè dicas, dum sibi mutuò hærent, amore producto, quodam velut nexu connectuntur, quodam velut osculo se mutuò exosculantur. Osculetur ergo me osculo oris sui, sponsa inquit, hoc est, Pater æternus, Verbi sui spiritu, mihi arctissimè copuletur ac me suæ naturæ efficiat arcana ista coniunctione consortem. Et hæc prima est horum verborum interpretatio.

Osculi proprietas.

II. Interpretatio.

Secunda verò introducit sponsam vehementi quodam impulsam afflatu, & Sponsum Iesum Christum cupidissimè implorantem, vt noua quadam creatione per Spiritum sanctum osculo notatum effecta illam condat, sicut in protoparente condiderat. Poscit autem sub osculi metaphora ipsammet Spiritus sancti personam, qui est diuinus flatus, halitus, vel spiraculum, quod Deus inspirat in animæ faciem, alludens ad historicam hominis creationem, ex qua expetiti osculi arcanam eruit significationem. Porrò tunc, aiente sacro textu, formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitę. Quam historiam vt percipiamus, quamdiù corpore, quo ad intelligendum egemus, in hac mortalitate obsepti sumus, non aliter Deum in hoc actu concipimus, quàm sub imagine cuiusdam hominis, os ori, faciem faciei admouentis, habitumque su-

que ſuum Adæ ori infundentis, ac velut oſculantis. Hæc autem faciei, oriſvè admotio, & inhalatio elegan-ter appellatur oſculum, cuius vi plaſma illud, ex limo terræ, priùs na-tura (vt Theologi loquuntur) com-pactum, eodem tamen temporis momento ſpiraculum, vel, vt alij vertunt, ſpiritum vitalem, animam-vè concepit, & ſic factus eſt homo in animam viuentem. Huc alludit ſpõ-ſa, quæ totam ſe ob culpam, velut quandam cœni maſſam, cui deficit ſpiritus vitæ, contemplatur. Sicut e-nim anima corpori, ita Spiritus ſan-ctus (quod eſt arcanum oſculum) a-nimæ vitam impertit: vnde ſine illo, cœni quædum concretio eſt. Spon-ſa igitur iuxta hunc ſenſum ſic loqui exiſtimanda eſt: Sum propter cul-pam in cœni relapſa naturam, & cu-pio ſpiraculum vitæ concipere, vt fi-am in animam Deo viuẽtem. Oſcu-letur igitur me ſponſus clementiſſi-mus oſculo oris ſui, hoc eſt, inſpiret

Sicut anima corpori ita Sp. ſanctus animę vitam impertit.

in animæ meæ faciem emortuam, & infundat mihi halitum, seu spiraculum vitæ diuinæ, quasi faciem suam faciei meæ, & os suum ori meo admouens, & osculum Spiritus sancti imprimens; & sic in hac palingenesia, seu regeneratione, propter osculum anima mea fiet in spiritum viuentem, sicut olim plasma illud corporis Adæ in animam viuentē, propter osculum, effectum est. Profectò, sponso faciem admouente velut osculaturo, fit homo naturali, ac diuina vita viuens; auertente verò illo faciem, quasi osculum negante, perit homo; & tanquàm spiraculo vitę orbatus in eum, vnde cōpactus est, puluerem reuertitur, sicut scriptum est: Auertente autē te faciem turbabuntur; & mox explicatur, quidnam sit faciem auertere; per verba hæc, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Hoc ergo sensu sponsa petit osculum, ea loquendi ratione precans, ne spon-

Destituto diuino osculo homo perit.

sus fa-

sus faciem suam auertat, ipsaq; redigatur in puluerem, sed emittat suum osculũ, seu spiritũ, vt eius facies, quæ culpæ squallore sorduerat, renouetur. Explanatio hæc maiorem habebit energiam, si (vt aliqui satis aptè censent) inspiratio hæc spiraculi vitæ, quæ secundo capite Geneseos narratur, non sit animæ creatio, quæ capite primo, sexta die cum corporis formatione facta intelligitur, sed immissio Spiritus sancti. Hoc enim modo, per illam inspirationem, vel osculi impressionem, historico sensu intelligenda est ipsius personæ Spiritus sancti missio, & receptio, quam sponsa ardentissimè poscit. Et hæc secunda est interpretatio.

Immissio Spir. S. in homine quando facta.

III. Interpretatio.

Tertia, reconciliationem ex culpa, & post bellum pacem osculo notari vulgatissima opinione censet. Et in hoc sensu sponsa sic effatur. Osculetur me maiestas sponsi suauissimi oris sui osculo, hoc est, adeò arctè mihi copuletur, vt ego post

culpæ

culpæ inimicitiam, nouæ pacis fœdere percussio, pacem osculo notatam, deleto inimicitiæ veteris chirographo, inter iustos recipere merear. Quam interpretationē enucleare opus est, expēsa recōciliatione, quæ fit, anima ad sponsum è culpa, quasi ab exilio reuertente. Porrò osculo pacem significari notissimū est, vnde & in scriptura salutatio in pacis osculo legitur. Videtur autem ex ipsa rei proprietate ducta hæc significatio: Cōcordia enim, quę pax est ipsa, duorum est cordium, sicut osculum duorum corporum arcta coniūctio. Iuxta hunc ergo sensum, sponsa cupiens pacis cum Deo fœdus percutere, Osculetur me, inquit, hoc est, salutet me in osculo pacis, quo nihil mihi delectabilius euenire potest. Quod verò attexit, osculo oris sui, superuacaneum nō est, sed emphasi plenum, ad plenam optatæ pacis significationem innuēdam. Principes quippe solent pacis osculo notatæ

Concordia est duorum cordiū coniunctio. osculū duorum corporum coniunctio.

Pax osculo significatur

signifi-

significationem nonnullam exhibere per nuncios; Quemadmodum Dauid, qui iustè in Absalonem exanduerat, Ioab dexteritate victus, passus est Absalonem in vrbem redire, sibiq; aliquantùm propinquare, pacis quasi partem impertiens; at se ab illo videri non permisit, nec oris sui osculo illum excipere voluit, sed quasi osculo Ioab conciliatoris illum salutauit. Denique, postquàm maturuit ira, pacis plenitudinem ostensurus illum osculo oris sui, hoc est, proprio recepit, plenamque pacis significationem exhibuit, ac conquieuit. Sic sponsus Dauid verus, peccatorem non eueſtigiò ad osculum admittit, sed pacis exiguam ostensionem per nuncium, hoc est, per impulsum Spiritus sancti nondum inhabitantis, sed mouentis exhibet, quoadvsque ille multo conatu, ac natiuitate osculum flagitet, ac Deum placare contendat. Mox verò vt illum satagentem, & æstuãtem

sponsus

sponsus cernit, ira posita, plena pacis significatione, animam è culpa reuertentem eleganter dicitur osculari, quando non iam per impulsum ad iustitiam, quasi per nuncium, pacis ac veniæ velut partem impendit, sed animæ iam iustæ sociatur, labia quasi labijs admouēs, & Spiritus sancti ibi moraturi habitum immittit, sicut quondam cùm pace nunciata insufflauit, &, ore admoto, Spiritum sanctum arcano quodam osculo Apostolis infundit. Osculum quippe sponsi, & coniunctione, & habitu cōstat. Hęc de tertia interpretatione

Qua de re sponsa pro osculo spōsam in Hebraico & Græco textu plurali numero osculapoſcit

Hic autem annotare opus est, pro osculo sponsam iuxtà Hebraicum textum, & septuaginta interpretum versionem in plurali numero oscula poscere: sic enim in Hebraico, & Græco habetur: Osculetur me ex osculis, vel ab osculis oris sui. Quibus sanè verbis sponsa innuit, se plures coniunctiones intimas iuxtà interpretationem primam, vel iteratum

vitæ

vitæ ſpiraculum iuxtà ſecundam, vel plures pacis, ac reconciliationis notas iuxtà tertiam expetere.

Nunc verò ſtatuendum eſt, ſponſum ſponſæ deſiderio flexum ſtatim affuiſſe, vt eius voto præſens ſatisfaciat, & expetitum oſculum imprimat, quod ex Theologico liquet effato. ſponſa quippe vltimo ad iuſtitiam motu, qua ſchola vltimã diſpoſitionem appellat, impulſa illa verba enunciauit. Oſculetur me oſculo oris ſui. Eſt autem infallibile decretũ, in eo motu efficaciſſimo diuinam gratiam infundi, cum qua ipſemet Deus fit animæ nouo modo planè diuino præſens, Pater venit, Filius, ac Spiritus ſanctus mittuntur. Sponſus ergò à Patre ad ſponſam illius cupidiſſimam miſſus, ineffabiliq́ue illo modo iam præſens, ſic effari putandus eſt: Cur adeò ardenter, ô ſponſa meæ præſẽtiæ flagras deſiderio? Cur oſculũ tam ſitiẽter expetis? Huic verò interrogationi ſic ſpõſa reſpõdet.

Pater venit, Filius & Spirit. ſanctus mittũtur.

Quia

Quia meliora sunt vbera tua vino.

Duplex amor tuus, ô sponse, quo velut gemino vbere me alis, ad excalefaciendum, & exhilarandum generoso vino melior, ac potentior est, ideo osculum expetiui.

Vber amoris symbolum.

VBER, est insigne amoris symbolum. Sicut enim vber suapte cõstitutione tenerum est, ac molle, lactis plenum, & à pectore velut erumpens in fœtus bona propensum; ita planè amor est ingenio suo tener, dulcore lacte notato affluens, & in rem amatam pronus, ab amantis pectore velut exultans. Quæ quidem omnia quotidiano satis experimento patent, præterquam quòd è media amoris natura, sine ambiguitate, promuntur. Quod præterea clarè perspiciemus, si editionis nostræ verba ad fontem Hebraicum conferamus. Pro eo enim, quod noster in-

Amor in rẽ amatam pronus.

terpres

terpres vertit, Meliora sunt vbera tua vino, in Hebræo sic legitur, (Boni amores tui, præ vino) vbi cernimus amores, & vbera eandem rem, vno sensu, ac mysterio censeri, quod ex allata vberum cum amore similitudine planissimum fit.

Prima interpretatio.

Iam verò sponsus vberibus præditus in scenam inducitur, ad exprimendum illum verè maternum affectum, quo recentes iustitiæ fœtus sermonis iustitiæ expertes alit. Est quippè mater illorum, quos in sua generat iustitia: quod non obscurè scripturę sacrę oracula tradiderunt. Enimverò ipsemet sponsus per Isaiam, se, qui generationem cæteris tribuit, non fore sterilem asseruit; & in Apocalypsi pingitur ad mammillas zona præcinctus aurea, quibus apertè significatur eius affectus verè maternus, quo iustos prosequitur. Nihil infantulus efficere potuit, vel mereri, vt mater illum conciperet, & pareret, cum nõ esset; ita nec pec-

cator quicquam præstare potuit, vt eum sponsus tanquàm nouam conderet creaturam. Infans sicut partum non mereri, ità nec eo se potuit indignum exhibere, cùm non esset; peccator verò potuit sponsum scelere irritare, ne nouo iustitiæ partu ederetur Qua in re facilè patet, spõsum pluſquã materno erga iustos esse prędituũ ingenio, cũ potẽter amet eos, à quibus fuit lacessitus iniuria.

Vber alterũ æternus amor est. Vber alterũ creatus amor.

Geminum verò vber duplicem sponsi prodit amorẽ, tenerum vtrũq;, dulcoris quasi lactis plenũ, suoq; velut pondere in sponsam propensum. Vber alterum ęternus amor est, quo in charitate perpetua sponsam dilexit. Alterum verò, creatus est amor in humana sponsi voluntate repositus, inde ad spõsam fouendam à primo suæ cõceptionis momẽto, velut vber à pectore erũpens. Adeò sanè duo hæc vbera voluntati sponsæ sunt exposita, & quasi sacrata, vt ad eam dumtaxat alẽdam destinata vi-

dean-

deatur, & perennes ob id lactis riuos euergant. Hic autem non pro vtroq; amore ſponſi propriè accipiuntur, ſed pro vtriuſq; amoris dulcore, quo ſponſus quaſi lacte dulciſſimo recẽtes iuſtitiæ fœtus permulcet, & alit. Ex his igitur vberibus, vel amoribus ſponſa recens ad iuſtitiã euocata lac dicitur ſuxiſſe, quia vtriuſq; erga ſeipſam amoris ſpõſi dulcorem guſtauit, ac incredibili exinde voluptate perfuſa ad oſculum expetendũ, vbi plurimum voluptatis eſſe præſagiuit, vehementer æſtuauit. Quamobrem verba ſponſę ſic explananda, contexendaq; ſunt, (Quia meliora ſunt vbera tua vino, dixi, ô ſponſe, de te loquẽs, (Oſculetur me oſculo oris ſui) ac ſi in hũc modũ loqueretur. Quia dulcorẽ ex vtroq; amore tuo hauſi, vino generoſo, ad excalefaciẽdũ, exhilarãdum, ac ſopiendũ potentiorẽ, tuam in me indulgentiam in tuo illo efficaciſſimo ad iuſtitiã motu experta, oſculi dulcorem nouum, halitus

Lac meliùs vino.

ſpirituſuè tui illapſu conſtantem expetiui. Contemplatur ergo ſponſa ſpõſi lac, pro quo vbera metonymicè ponuntur, & collata vi lactis huius (qui eſt dulcor internus, quo Deus plurimos ad iuſtitiam allicit) cum vini proprietatibus, ait lac eſſe melius vino. Meliùs enim dulcor hic lacteus animam calefacit, & exhilarat (quæ ſunt duæ notiſſimæ vini proprietates,) quàm vinum artus corporis. Ille enim eo dulcore excitatus calor, & alacritas, mentem ad diuina vehunt; vini verò calor, & hilaritas ad terrena cor laxant, & impellunt. Vinum inducit ſomnum, quo rationis vſus præpeditur, & homo belluarum more iacet; ille verò arcanus dulcor mentem erga terrena ſopit; rationis verò vim & vſum acuit ad diuina, totumque hominem erigit ad ſtatum, in quo Deus illum cõdidit. Tanta eſt huius lactis ſponſi vberibus expreſſi vis, quam tyrones non ſine admiratione experiuntur,

dum ſe

dum ie animaduertunt eo potu fieri sobrios, & rerum conscios diuinarum. Et hæc prima est interpretatio.

Secunda verò, non vbera arcanè accepta, cum hoc vino sensili, quod ex vuis torculo exprimitur, sed tam vinum, quàm vbera sensu mystico intellecta mutuò confert. Æquum enim est, vinum, arcanum quippiam innuere, cui vbera sponsi dicantur antecellere: siquidem, vbera vino ipsi prælata, non sunt hęc aspectabilia, qualia in fœminarum pectoribus extumescunt; parùm enim laudis inde mererentur. Vinum igitur in sacris litteris vltionem ab ira Dei erumpẽtem egregiè significat, vt nouit regius Psaltes, qui Dei peccata vlciscentis notam velut hieroglyphicam excogitans, Deum, calicem vini meri peccatoribus propinantem pinxit. Sicut scriptum est. Quia calix in manu Domini, vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc. Et in A-

Secunda interpretatio.

Vini in sacris litteris significatio.

Psalm. 74.

pocalypsi 14. Qui adorauerit bestiam, & imaginem eius, hic bibet de vino iræ Dei. Et hæc quidem de æterni cruciatus vltione scripta sunt. Significat autem & vinum eam pœnam, quam Deus peccatoribus infert, vt resipiscant, & salutem adipiscantur, sicut scriptum est, ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis; & mox ratio subiungitur, dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. Deus ergò vinũ vltionis quibusdã æterna dãnatione porrigit, quibusdã vinum pœnæ in præsenti vita propinat, vt ab æterno cruciatu liberentur. Hæc autem illatę pœnę significatio ex ipsius proprietate vini deprompta est. Cum enim vinum vlceribus infunditur, medetur sanè, at nõ sinè morsu, & acrimonia, quod est apertissimum symbolum eius remedij, quod Deus, illatis pœnis, & calamitatibus, quibus cor dum conuellitur, & pungitur,

Psalm. 59.

Vini proprietas.

gitur, saluté instaurat, peccatoribus parauit. Et hic est vnus ex duobus modis facilè notissimis, quo Deus corda nostra quatit, & verberat ad salutem. Alter verò, qui est sponso familiarior, dulcore ac suauitate refertus est, qui non verbere inflicto, non pœnis illatis, sed cœlesti quadam voluptate cor emolliente, & fluxarum mũdi voluptatum obliuionem inducente, hominem facit resipiscere, & vnionem cum sponso intimam medullitus facit optare. Huius verò diuinæ vocationis imaginem sponsa depinxit, cùm sponsum materno in homines affectu, & corde præditũ vbera gestantẽ lacte distẽta in scenam introduxit. Porrò vterq; sponsi in homines amor, gemino vbere notatus, ijs, quos è peccati captiuitate eripere, ac sibi per charitatẽ cupit sociare, per id tẽpus, riuos dulcoris interni lacte significati ꝓpinat, eoq; modo generosum hominis cor, q; amore potiùs, quam minis, ac ter-

rore capitur, efficaciùs trahit. Quis enim vnquam ærumnis à Deo inflictis, vel tam ſerio reſipuit, vel Deo tam inhæſit arctè, quam Magdalena his vberibus, hoc lacte ad ſponſi vnionem allecta? Guſtauit lac, & dulcore mirificè capta eſt.

Luc. 7. Magdalena arctè adhæſit Deo.

Hos ergo duos diuinæ vocationis modos ſponſa mutuò comparat, & eum, qui lacte ſignificatur, alteri, qui vino exprimitur, præfert tanquàm meliorem. Eſt autem melior, id eſt, efficacior, vt quotidiana eorum, qui reſipiſcunt, experimenta declarant. Eſt melior, hoc eſt, naturæ diuinæ proprior, atque germanior. Cum enim Deus amanter agens, interni hominibus lac dulcoris inſtillat, naturæ motu, & ſuo velut genio ducitur, cùm verò pœnam infert, licèt amanter puniat, quaſi violento motu impellitur, ac proinde quantocyùs flagellum abijcit; ſuauitatem verò ſui ſpiritus, tametſi ob lucra noſtra eam interdum celet, nequit tamen ſe-

men ſerio abijcere. Cum igitur hic vocandi, trahendique modus ſit ex tot capitibus melior, & ad conuertendos animos efficacior, optimè ratiocinatur ſpõſa, dum ait, ſe oſculum petere, quia vbera, quæ nuper ſuxit dulcorem mirum percipiens, ſunt vino meliora, ac ſi in hunc modum efferatur: Si me incuſſo timore attraxiſſes, ſponſe, cunctarer, minuſque tibi propinquare auderem; at quia me cerno modo meliore, hoc eſt, dulcore amoris ad te allectum, audeo tecum familiariùs agere, ac optatum oſculum poſcere.

Hac autem præmatura oſculi petitione mirificè declaratur rude amoris teneri ingenium. Solet infans gremio matris exceptus, per ipſius matris reptare corpus, faciemq; ipſam leniter attrectare, oſculo demũ matri blandiri. Minimè veretur parentis dignitatem, nondum quippe didicit vereri, cum cœperit amare. Hoc planè modo, ſponſa, quæ in a- Simile.

moris versatur infantia, rudis adhuc & vrbanitatis expers, diuina pingitur arte. Experitur indulgentiã spõsi, vereque maternam erga se propẽsionem, quamobrem amare incipit, & audire, maiestatem verò sponsi nondum didicit à propensione secernere. Quod profectò non obscurè dispicitur, si sponsæ verba libremus. Ait enim, meliora sunt vbera tua vino, quasi luculentiùs in hunc modum loqueretur. Quia illud lac, quod efficaci amoris motu, ac suauitate mira ad iustitiam allecta nuper exuxi, vino fortius, ac generosius est, tenella ego, liquore victa, & quasi ebrietate cõsopita sum, quamobrem celsitudinem tuam non adeò dignosco, sed ad eam, quam prælibaui, suauitatem, toto mentis conatu feror, matrem amare, non ita venerari noui. Subtexit autem rationem alteram, ad hanc sententiam confirmãdam peropportunam. Quam vt percipiamus, statuendum est, animã

è culpa

è culpa ad gratiam efficaci motu traductam, in eo tũc amoris motu, dulcorem diuinum vberum ſponſi lacte notatum deguſtaſſe, quo mox percepto vinum cœpit deſpicere. Poſt eum verò motum, iam Spiritus ſancti & gratia, & vnctione delibuta, ſeptem donorum, quibus obuncta eſt, ſuauitatem percipiens, ait ea ſe fragrantia, ad oſculi etiam impreſſionem expetendam incendi. Hoc enim ſibi volunt hæc verba, his, quæ proximè enarrauimus, annexa.

Fragrantia vnguentis optimis.

Duplex amor tuus, ſponſe, effundit in me vnguenta optima, quæ ſunt Spiritus ſancti chariſmata, quibus vngor abs te, vt tui, qui Chriſtus es, particeps fiam.

VBERA Sponſi fragrant vnguentis optimis, hoc eſt, ſimilitudine vnguentorum, ſeu aromatum optimorum, eſt enim ablatiuus ſimilitudinis. Vt autem horum verbo-

rum

Effigies corporea.

rum ſenſum penitiſſimè inſpiciamus, concipiendus eſt nobis ſponſus, ſub imagine aſpectabili vberibus pulcherrimis præditus, & ſacra vnctione perlinitus. Sponſa etiam ſub effigie corporata concipi debet, vbera illa fugens, ac ſponſum amplectens, quo in amplexu, ſponſi illa tactu linitur; nec enim quis corpus vnctum contrectare valet, niſi, dum cõtrectat, vngatur. Ex hac verò effigie corporea in arcanam fragrantiam, internamque nos inſinuemus vnctionem. Porrò ſponſus vnguentis optimis, hoc eſt, Spiritus ſancti donis, ad palęſtram, in qua, vt olim athletæ, cum hoſte fæuiſſimo luctaturus erat, præ participibus ſuis vnctus eſt. Hoc eſt myſticum athletarum ceroma, quo qui perungitur, hoſtis vnguibus teneri nequit. Iam verò vniuerſi, qui ſponſo charitatis ſociantur amplexu, illum quodam ſpirituũ contactu attingunt, & inde vnguntur participes Chriſti, hoc eſt, vncti

Simile.

effecti.

effecti. Non enim Spiritus sanctus, qui ad luctam iustos obiungit, alios, quàm sponso coniunctos, eiusque in ea vnctione consortes linit. Oportet enim, vt quicumq; linitur, eam vnctionem sponso referat acceptam, quasi eius contactu, amplexuq, contractam. Quapropter sponsa non sine emphasi, cum potuisset dicere, totum corpus fragrare, vbera dũtaxat elegit, quæ diceret esse fragrantia, hoc est, vnguentorum optimorum fragrantiam effundentia. Fatetur nimirum sponsa vbera sponsi effundere, ac efficere hanc spiritalem donorum suaueolentiam. Vterque enim sponsi amor vberibus notatus natiua sua propensione efficit, vt sponsa, sicut & diuinæ gratiæ, ità & septem charismatum particeps fiat. Non enim ex operibus iustitiæ, sed ex amore sponsi delibuta, & his arcanis vnguentis ad futuram luctam comparata est. Duo videlicet sponsi amores, vel arcana vbera, duæ sunt

quasi odorum selectorum pyxides, ex quibus mystica hæc vnguenta in sponsæ animam funduntur. Ex quo patet, quàm significanter sponsa dixerit, vbera esse fragrantia vnguentis optimis, hoc est, odorem vnguẽtorum aromaticorum exhalantia. Sicut enim odoramenta vasculis concluſa non percipiuntur, cùm verò inde funduntur, odore latè fluente olfactum afficiunt; ità spiritus diuini dona, quibus sponsus perlitus est, quamdiù illius anima ceu vase clauduntur, odorem sponsæ naribus minimè ingerunt; verùm mox, vt sponsus quadam effusionis imagine, sponsam suę plenitudinis velut exũdantis facit esse consortẽ, quasi partem suæ vnctionis, in eam, sua propensione transfundens. Odorem quàm suauissimum spirant vnguenta profusa: odor autem seu fragrantia, quam vbera fundunt, dum sponsum suo quasi cõtactu linunt, spes futuræ fœlicitatis est, quæ pereleganti

meta-

metaphora nuncupatur odor. Quẽ admodum enim, dum pomis æstate percoctis, & opportuno tempori asseruatis vesci non datur, illorum odore mirificè recreamur, & velut alimur, vt facilè credũt, qui cellas quasdam in pomarijs ad poma eò conuehenda & seruanda constructas prętergrediuntur, & dum illorum esus interdicitur, multa voluptate saltem odorem hauriunt; sic dum ligni vitæ fructu, hoc est sponsi gloria frui non sinimur, quam sponsus velut obseratam, & opportuno tempori asseruatam tuetur, ne in hoc deficeremus exilio, diuina sapientia effectum est, vt odorem illius trahamus, fœlicitatis spe gaudentes, quæ ad fœlicitatem comparata, odori, si ad pomum maturum conferatur, simillima est. Hanc profectò spem in sponsa generat vnctio Spiritus sancti ab vberibus, hoc est, vtroque sponsi erga illam amore profecta. Nihil enim ad spẽ acuendã videtur efficaciùs, Simile.

ciùs, quàm ab illo amari, & donis augeri, qui possit, & fœlicitatem largiri; hoc enim ipso, quòd amat, & donis ad fœlicitatem directis ornat, se eam fœlicitatem donare velle commonstrat. Ex his, quæ de his arcanis vnguentis asserta sunt, apertè lucet, & cum athletarũ ceromate, & cum vnguentis odoratissimis, ad delicias comparatis similitudinem habere. Cum ceromate quidem, quia anima illis obuncta redditur agilior, & ad luctam expeditior, & ne à collucta-tore teneri possit, immunior, quod ex Theologico liquet asserto. Concors enim omnium sententia est, præter virtutes infusas, Spiritus sancti dona simul cum gratia conferri, vt anima quasi pondus carnis excutiens, fiat mobilior, & agilior ad obtemperandum Spiritui sancto eius vnctionis authori, qui palæstræ præsidet, & animam ciet. Cum odoramentis autem hæc arcana vnguenta similitudinem gerunt, quia spe re-

Ceroma vnguentum quo athletę vngebãtur.

Spiritus sancti dona cum gratia conferuntur.

creant,

creant, & fœlicitatis odorem quasi naribus ingerunt. Et hæc prima est enarratio, quæ vbera, seu, quod ex Hebræo vertitur, amores, vt charismatum diuinorum causas expendit.

Secunda enarratio.

Secunda verò non in eum sensum vbera contemplatur, sed quemadmodum, cum illa vino præferuntur, lac intelligit metonymicè vberibus signatum, quod antefertur vino, ità nunc, non amores ipsos sponsi, sed, eadem metonymia procurrente, lac ex ipsis amoribus expressum dicit optimis vnguentis fragrare. Et hic sensus concinnior, & ad eandem periodum explendam consonantior est. Lac ergo sponsi vino antelatum, optimis vnguentis fragrare asseritur quia dulcor internus lacte ipso notatus, quem Deus recentibus iustitiæ partubus instillat, paradysi cælestis odores aromaticos internis naribus immittit. Tunc enim, naribus, vim discernēdi innuentibus, quasi pate-

Lac ex amore expressum fragrat optimis vnguentis.

factis, anima discit diuinam à terrestri suauitate secernere. Dum ergò sponsa inquit, lac, seu dulcorem vberum sponsi fragrare vnguentis optimis, tantundem ait, ac si diceret, lac non solùm gustaui, sed etiam olfeci, & olfactus organo, ac vi, quæ vis est discernendi, suauitatem eius percepi, quę mihi vnguentis optimis simillima videtur. Vnguentis, inquit, optimis, non ijs, quæ ad lasciuiam conficiuntur excitandam, sed ijs pastillis odoratis, qui sacris aris adoleri, ac mentem ad diuina erigere solent.

Alia verborum interpretatio.

Porrò septuaginta interpretes verba hæc, Fragrantia vnguentis optimis, non referunt ad vbera sponsi, vt noster retulit interpres; sed postquàm premisêre: Quoniam bona vbera tua super vinum, clausa periodo, sic aiunt: Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata, quasi duas seorsum causas osculi cupiendi sponsa distinxerit, & vbera

esse

esse bona super vinum, & odorem vnguentorum, quibus sponsus obunctus est, fragrare super aromata vniuersa, quorum sensus arcanus ex proximè dictis promi facilè potest.

Nunc autem vt verborum consensionem, texturamque perpendamus, notandum est, quamdiù anima peregrinatur claro sponsi interdicta conspectu, cęteris sensibus omnibus quasi spōsum ipsum experiri. Osculo enim tetigit sponsum, lac vberum sugens gustauit; vnguentis sponsi delibuta olfecit: solus supererat auditus, quo sponsum etiam perciperet, & ex omnium internorum sensuum experimento ipsum desiderandum esse conuinceret. Propterea dicit.

Oleum effusum nomen tuum.

Non solum quæ tibi hærent, sed & nomen tuum, Iesus, quod extrinsecum quiddam est, olei more exhilarat, roborat,

charitatis ignem alit, præsertim quia notat effusam à te in nos salutem, quæ mysticum est oleum nostra vulnera delens.

AC si planiùs diceret, non modò illa, quæ tibi hærent, vt oſculum, vbera, vnguenta, verum & ea, quæ te vtcumque indicant; mirâ me voluptate permulcent; & ad te cupiendum alliciunt, vnde & internus dũtaxat tui nominis ſonus, me more olei lætitiæ perfundit, & afficit, vt te peruestigare contendam. Duo autem nominis ſponſi ſeſe produnt encomia, oleum videlicet eſſe, & effuſum eſſe. Verùm, cùm ſponſus Chriſtus appelletur, & Ieſus, vtri horum nominum hæ laudes impendantur explorandum eſt. Liquebit autem Ieſu nomen auguſtiſſimum à ſponſa commendari, ſi eius verba trutinemus. Ait enim, nomen tuum, ac ſi clariùs diceret, nomen proprium tuum, quod tibi in circumciſione, oraculo acceptum, tributum eſt; non

Encomia duo nominis ſponſi.

Nomen Ieſus.

verò

verò id nomen, quod tibi cum alijs est commune. Constat autem Christi nomen non esse Sponsi propriũ, sed appellatiuum, quod & regibus, & sacerdotibus sacra vnctione delibutis frequenter in scriptura tribuitur, vtpote nomen dignitatis, licèt in hac significatione antonomasticè sponso conueniat. At de hoc non adeò propriè spõsa loqui potuit, cum dixit: Oleum effusum nomen tuum. Venerabile autem Iesu nomen, est id, quo propriè ille à cæteris dignoscitur, atque secernitur, quemadmodum nomine tunc imposito, quicumque sacro abluitur baptismate, à cęteris internoscitur hominibus, idque nomen vniuscuiusq; communi omnium sensu putatur. Quapropter in his sponsæ verbis hæc proprietas, quæ optimè seruari, & ad sensum arcanum prodesse potest, cæteris est significationibus præferenda, vt cum ait: Oleum effusum nomen tuum, de pro-

Nomen Christi est appellatiuum.

Oleũ effusum nomen sponsi.

prio, non ità de appellatiuo nomine loqui credatur. Nunc autem, quo pacto nomen hoc cælitus elapsum, & oleum, & effusum oleum sit, accuratè explanandum est. Porrò oleum, si vulgari sensu pro liquore ex oliuis expresso accipiatur, permulta habet, ex quibus nominis Iesu vim queat ostendere, voluptatem corpori conciliat, & exhilarat, lassa membra roborat, & recreat, vlceribusque medetur. Sic etiam suauissimum nomen Iesu, eos, qui aure id cordis percipiunt, cælesti voluptate peruadit, & faciem mentis exhilarat, quasi bonum salutis nuncium, animas languentes salutis significatione erigit, ac recreat, peccatique vlceribus medetur, omnemque prorsus calamitatis speciem animo expungit, vt probè norunt, qui nomen id religiosiùs colunt, ex quorum affectibus, ac moribus, descriptos effectus, multoque plures alios licebit de-

prehen-

prehendere.

Habet præterea nomen hoc, quoddam in mundo vniuerso imperium, cui flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum, quod satis aptè notatur olei aquæ supernatantis proprietate. Sicut enim oleum nec mergi, nec verò aquæ permisceri patitur, ità ob suam celsitudinem Iesu nomen rebus creatis vel condi, vel admisceri non fert, sed super vniuersum mundum caput effert, & illi toti sua maiestate præsidet.

Imperium nominis Iesu.

Philip. 2.

Hęc quidem idonea sunt. Verùm, quod significantiùs huius nominis vim videtur aperire, est vis olei ad ignem nutriendum opportunissima, cuius Deus curam in vetere testamento gessit, dum ad concinnanda lumina purissimum oleum iussit adhiberi. Profectò fomentum quoddam, quo charitatis alitur ignis, nomẽ Iesus est, cuius vel solo auditu in-

gens in cordibus iustorum flamma excitatur: nam quale incendium excitetur, cum cordis aure percipitur, nequit prorsus explicari. Profectò Paulus, vt in eius licet epistolis animaduertere, creberrimè nomen hoc diuinum repetebat, quasi hoc cibo, eius charitas, tanquam vorax ignis pasceretur. Pauli verò erga id nomen studium permulti æmulati sunt, quorum charitas orbe toto, hac etiam ætate nostra, insigniter enituit. Et hæc quidem de olei oliuarum cum Iesu nomine similitudine allata sunt.

S. Paulus crebertime nomen Iesu repetit.

Alij autem expendentes nomen Hebraicum שמן pro quo interpres noster oleum vertit, vnguentum transtulerunt, vt septuaginta Interpretes, qui μύρον habent. Alij demum existimarunt liquorem aromaticum esse, ex arboribus aromaticis Arabię, ac terræ promissionis fluentem. His autem duabus interpretationibus appensis, arcanos sensus eruere fa-

cilli-

cillimum est. Si enim vnguentum dicatur pretiosum, quale ab antiquis ad capita vngenda in deliciis habitum est, dum sponsa inquit, nomen sponsi vnguentum esse, innuit proculdubio, se illo velle perlini, & caput, hoc est, principem animæ partem semper de illo cogitantem, eo delibuere; si enim nomen id vnguẽtum est, profectò qui illud, (quod vulgò dicitur) semper gestat in capite, semper incedit obunctus. Si verò nomen id liquor dicatur aromaticus, qui in truncis arborum orientalium concrescit vt gummi, & ad sacros suffitus adhibetur, dum sponsa inquit, sponsi nomen liquorem aromaticum esse, tantundem agit, ac si diceret, odorem diuinum exhalare, talem videlicet, qui aris adoleri, & hominum corda suffitu illo sacrosancto ad Dei cultum possit allicere, quo manifestè proditur eius nominis ad corda in Dei cultum acuenda efficacitas. Et hucvsque alterum è

duobus nominis Iesu encomijs, oleum scilicet esse, explicatum sit.

Nunc verò secundum auspicemur, quod est, oleum non vase conditum, sed effusum esse. Quo quidē insigni, mira se nominis Iesu prodit energia, qua à Christi nomine facilè secernitur. Christi nimirum nomē, non effusionem, sed absconsionē significat olei; vngi videlicet, q. Christus, hoc est, vnctus, notat, nihil est aliud, quam vnctionis oleum vase recipere, & velut haurire: qui enim vngitur, oleum poris trahit patefactis. At saluare, quod Iesus, id est, Saluator exprimit, nihil est aliud, quā vnguētum, oleumve salutis effundere, ac alios vnctionis suę participes efficere. Ex quo patet insigni quodam discrimine Iesu nomen à Christi nomine seiungi, quia Christus propalat vnctionem, quam sponsus, quà homo est, ad propriam recepit dignitatem; Iesus autem conditæ vnctionis effusionem, quam nobis sponsus, vt

Christus, id est, vnctus.

Iesus, id est, Saluator.

Deus

Deus homo contulit, manifestat. Significat quippe Iesus salutem à diuina hypostasi delabentem, & per assumptæ naturæ quasi sulcum, ad nos modo planè miro deriuatam; impositum enim nomen id fuit, ad diuinã personam salutis effectricem, nõ seorsum, sed in natura humana significandam. Cuius certè significationis plenitudo tũc apertè perspecta fuit, cum vulneribus confossus in crucẽ spõsus, sanguinem, sine quo remissio non foret, effundens, salutem quoq; illo sanguine subnixam in genus humanũ, velut fracto suę purissimę carnis fudit alabastro. Et quidẽ significatio hæc nõ fuit temerè cõficta, sed ab ipsa rei natura deprõpta; est enim verbi æterni carne obsepti non minus proprium salutem afferre, ac in nos effundere, quàm sit ignis vrere. Qua ex significatione facilè perspicitur, sponsam de Iesu nomine perspicuè effatã fuisse. Cũ enim nominis spõsi meminisset, vt illud, more olei

ignem

ignem amoris alere, ac excitare asse-reret, omninò certum erat Iesu, potiùs quam Christi nomen innuere debuisse, quia ex suo proprio sensu ad amoris incendium excitandum est multò efficacius. Porrò acriùs inflammatur homo, cum percipit nomen Iesu, quo Deum carne obtectũ ad suam intelligit salutem esse propensum, quàm cum Christum audit, quo nomine sponsi ipsius, ea, qua excellit ipse ac nitet, dignitas regia, & sacerdotalis exprimitur. Et hæc prima est interpretatio.

Secunda interpretatio.

Secunda vero non minus arcana promitur ex alia versione, quæ pro oleo effuso vnguentum legit exinanitum. Exinaniri autem more sacræ scripturæ dicitur, quod à perfectioris naturæ, & constitutionis plenitudine, ac integritate, in naturam minus cõsistentem ac perfectam, quadam velut metamorphosi descendit. Sic enim in quandam velut inanitatem abit ac resoluitur. Sic vn-

guen-

guentum, cum in pyxide concretum ac coagulatum est, naturam habet firmiorem, ac consistentiorem; tunc verò dicitur exinaniri, cum liquatur ac resoluitur, & quasi in nihilum vertitur: & tunc sanè ad medendum aptius est, suauioremque exhalat odorem. Ex hac ergo similitudine arcanus eruitur sensus. Sponsus quippè, antè quàm homo fieret, erat sane vnguentum, at concretum, & in se quasi contractum; sed cum ad nostram humilitatem carnea toga obtectus se abiecit, tunc exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens; tunc verè fuit vnguentum exinanitum, à suæ naturæ plenitudine ac integritate, in quâ sine rapina Patri æqualis permansit, ad nostram delapsus inanitatem. Abijt, quasi in nihilum: illud enim nihil, quod sine ipso factum est, quod est peccatum, assumere nequiuit; illius tamen imaginem, peccatoris similitudine tectus, induit, & proinde non in nihilum,

Simile.

Philip. 2.

Illud nihil, quod sine ipso factum peccatũ est.

sed in

sed in quasi nihilum descendit, cum seipsum exinaniuit. Tunc verò efficacius, quam olim, cœpit sua velut eliquatione mederi, odoremque suę naturæ ac bonitatis multò, quàm olim suauiorem effundere. Nomen igitur Iesu hunc ad nostram inanitatem commerciumque descensum hanc sponsi exinanitionem significans, rectè appellatur vnguentum exinanitum. Qui profectò sensus, si medullitus concipiatur, efficacissimus est ad amorem excitandum, ac dulcorem ingerendum. Hæc est secunda interpretatio.

Tertia interpretatio.

Tertia elicitur ex alia versione ad Hebraicum textum expensa, quæ pro oleo effuso oleum euacuationis habet. Est autem oleum euacuationis, liquor aromaticus de vase in vas elutriatus siue transfusus, qua sanè transfusione latiùs suaueolentia diffunditur. Hæc est profectò eximia nominis Iesu laus, vt ex vno electionis vase transfundatur in aliud, &

sic Ec-

& sic Ecclesiam orbe toto propagatam odore imbuat planè diuino. Porrò è cœlo, propè Damascum, oleum huius nominis sponsus ex se in vas quoddam electionis transfudit; rogatus enim quisnam esset, se Iesum esse respondit, ac ita Paulus electionis vas, aperto velut ore, id nomen toto pectore hausit. Ex Paulo verò, tanquàm ex vno electo vase, in alia innumera elutriatum est. Ideò enim hoc oleum excepit, vt in aliarum nationum selecta vasa trãsfunderet, sicut scriptum est, vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Act. 9.

Nunc ergò, siue nomen Iesu oleum effusum in primo sẽsu, siue exinanitum vnguentum in secundo, siue oleum euacuationis in tertio esse concipiatur, miram habet ad animos permouendos, & voluptate imbuendos energiam. Quidquid enim illis sensibus arcanè intelligitur, to-

Nomen Iesu miram habet energiam in quauis significatione.

tum

tum est ad nostram salutem comparatum, ac propterea, cum sit hominis animus salutis auidissimus, illius nominis sensu percepto, excitato diuinitus amoris flagrat incendio. Habet etiam nomen hoc vim alliciendi voluptateque capiendi, nihilque arduum, quod tener animus formidet, repræsentat, sed diuinæ in nos largitatis indulgentiam suo sensu commendat, vnde recentes in charitate fœtus adolescentularum imagine notati, laboribus adhuc inepti, quibus voluptas, & indulgentia eximiè placent, concepto huius suauissimi nominis sensu, Deum ardenter amant. Quapropter sponsa subdit.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

Propter hanc nominis tui vim voluptatis effectricem, animæ, quæ nõdum charitatis perfectionem nactæ sunt, quæ voluptate ducuntur, dilexerunt te.

Adolescentularũ nomine ani-

ADOLESCENTVLARVM imagine, ac nomine tenellæ animæ,

quæ

quæ nondum ad iustam charitatis ætatem adoleuerunt, nomine diminuto significantur. Quæ dum nominis Iesu & sensum; & suauitatem corde percipiunt, quam Deus illis tanquam puellis lacte alendis instillat, incredibili amore incenduntur. Quomodo enim amore non æstuent, cum sub hoc nomine tot arcana salutis nostrę celante, Deum intelligant sibi fore, immò & experiantur iam esse indulgentissimum? Qui enim nomen Iesu audit, Deum, quasi de nulla re alia, quàm de salute nostra cogitantem, non infensum, non punitorem, sed mansuetum, facilem ac liberalem, concipit. Quo certè sensu dulcore, voluptateque referto etiam saxa liquantur, etiam imperfecti amore incalescũt. Ideo, inquit, adolescentulæ dilexerunt te. Enim verò adolescentularum, hoc est, animarum, quæ nuper amare cœperũt, mos est, voluptate deliniri, affectare dulcorem, lac expetere, cibumque

mæ significantur.

solidum formidare, perfectionem quippè synceri amoris non ità confestim comparare contingit. Qua quidem in re, diuinæ prouidentiæ suo rem vnamquaque loco reponentis concinnitatem, harmoniamque miramur. Oportuit enim tenerum in amoris gymnasio fœtum lacte ali, atque mulceri. Si enim sponsa labori non assueta, legisq; paulò antè pertæsa seueritatem, in ipso iustitiæ primordio verbere cæderetur acri, in ipso quasi domus vestibulo pateretur à sponso repulsam, ab instituto certè resiliret, & ad culpæ simulatam iucunditatē remearet. Sapienter igitur in huius epithalamij ingressu actum est, quandoquidem, quæ hucvsque commemorata sunt, omnia præ se ferunt suauitatem, quasi ad tenellos partus enunciata: osculum videlicet, vbera vnguenta, oleum, suauitatis plena videntur, quæ rudem amorem dum recreant, in vlteriora propellunt. Significan-

tissimè

tissimè ergò dixit sponsa; Ideò, seu quod idem est, propterea adolescẽtulæ dilexerunt te, causam dilectionis tenellorum partuum, perceptam voluptatem esse declarans.

Trahe me.

At si res ità se habet, vt hæc eximia voluptas sponsam ex adolescentulis vnam quàm suauissimè trahat, quorsum tam anxiè clamat, Trahe me?

Profectò si septuaginta interpretum versionem huic loco inseramus ordo inuertendus est, miraque se in ea inuersione prodit amoris energia. Pro his enim verbis, (Trahe me,) illi reddiderunt ex Hebræo, (Traxerunt me,) quibus sanè verbis sponsus loquitur, verborum sponsæ vim declarans. Cum enim sponsa dixisset, (Adolescentulæ dilexerunt te,) ille opportunam suæ dignationis ostendendæ nactus occasionem, illa verba intexuit, (Traxerunt me,) ac si planiùs dixisset; Adolescentulę,

quæ me dilexerunt, ipsa sua dilectione quasi catena quadam vinctum, ad sua vota traxerunt me. Qua sanè loquendi forma nihil potuit aptiùs excogitari, ad diuinæ bonitatis in nos, nostræque in illum charitatis vim propalandam. Enim verò Deus res, quas condidit, vniuersas, vtpotè bonas, amat, ac proinde in eas, velut extra se, sua propensione ferri dicitur, sed hoc ad diuinam spectat bonitatem, atque naturam, quæ motu proprio erga suas æstuat creaturas. At verò, quòd perfectio aliqua creata Deum tenacissimè apprehendat, vinciat, & trahat, omninò mirādum est, & oportet quidem, illam perfectionem Deum capientem vi diuinā pollere. Sic planè se res habet; Dei enim dilectio diuini ordinis est, quādamque omnipotentiæ rationem habet, siquidem ligat, vt ita dicam, omnipotentem, & ligatum ad sua vota inflectit. Hæc de Græcorum editione dicta sint. Verùm editionis

Deus res conditas amat.

nostra

noſtræ verba, quæ ſponſa enunciat, exponamus, & illum ſoluamus nodum, cur ſponſa, quæ à ſponſo quàm ſuauiſſimò trahitur, tam anxiè clamet?

Trahe me.

Ne ceſſes trahere me, quia vt rota, etſi trahi cœperit, niſi perpetim trahatur, moueri ceſſat: ità ego, niſi iugiter abs te trahar, vitæ motu carebo.

NIMIRVM, quia timet à ſponſo, ob lapſum quempiam ſeparari, ac exinde, quem modò experitur dulcorem amittere, qua nihil poſſet ipſi euenire funeſtius. Propterea clamat (Trahe me) hoc eſt, me tibi adiunctam fortiùs trahe. Quamuis & his verbis, quædam teneri amoris adumbratur formido, qua patiuntur, qui turpitudinis anteactæ vitæ meminerunt. Etenim, etſi credendum ſit, ſponſam à ſponſo tractam, gratiaque diuina fuiſſe perfuſam,

momento, quo ardentissimo amoris æstu petijt osculum, cuius euentus fœliciratem, noua nouorum affectuum potuit edisceré coniectura; meritò tamen timet, sitnè sponso reconciliata, quem lacessiuit iniuria, quod quia ignorat, anceps facilè huc, & illuc impellitur. Nam nõ sibi tutò fidit animus, peccati quidẽ cõscius, remissionis ignarus. Quamobrem sponsa succlamat (Trahe me) ac si dicat; Suspicor sponse, nuper à te tractam me fuisse, sed suspicio est, à qua timor longè nequit abesse. Sanè rectè dixit quidam.

Res est solliciti plena timoris amor.

Cum enim quis ardentiore boni cuiuspiam tenetur desiderio, non quiescit, quod conijciat rem ex voto euenturam, nec (quod mirabiliùs est) si rem optatam quasi præsentem experiatur Sed sollicitudine ipsa æstus excitatur amoris, nihiloque segnior ob id experimentum euadit amans, sed sollicitiùs rem perquirit,

quam

quam forte cœpit adipiſci. Ergo propter hanc ſollicitudinem ac timorem ſponſa ſic clamat, (Trahe me,) Vix inquit, inducor vt credam te, quem amplector, eſſe preſentem, ob boni magnitudinem. Quapropter nec cunctabor, ſed ne quæpiam me mora retardet, vlterius (Trahe me,) ſi cœpiſti, ocyus age, vt per rupes præruptas, mundique ſalebras, abs te tracta me librare queam.

Innuit ſponſa ſub hac anxiæ petitionis imagine, quod veritas Catholica profitetur, nos videlicet, non tantùm niſi à Patre, Filioq; per Spiritum ſanctum ſuauiter trahamur, non poſſe à culpa ad iuſtitiam reſurgere, ſed nec in parta iuſtitia perſeuerare valere, niſi Deus clementiſſimus afflans, & trahens perſeueret: ac proinde, & vt ad iuſtitiam aſſurgamus, & vt in ea permaneamus, ardentiſſimè flagitandum eſt. Quapropter ſponſa ſic loqui putanda

est. Ne trahere cesses sponse indulgentissime, quia te cessante rotę motus intercipietur, quasi qui à Deo trahitur, tanquàm curru vehatur, vbi apertè dispicimus, currum sine trahentis vi non posse cieri. Relinquitur ergo planum ac manifestum, trahente Deo, per iustitiæ semitam, & non aliter spōsam ingredi, ac procurrere posse. Si igitur sponsus eius adest voto, quod pro se, ac pro adolescentularum choro concepit, cœtus omnis post eum certatim curret, quod sic Sponsa promittit.

Simile.

Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Si trahis me, ac adolescentulas mei similes, nos dor is Spiritus sancti agilitatem impertientibus vngens, eorum vnguentorum odore ductæ, vt canes sagaces post prædam, post te curremus.

SIme, sociasq; meas, ô sponse, magnetis more traxeris, viq; tua ra-

pueris,

pueris, adoleſcentulæ omnes ſpiritum, impetumque ſimilem ſortitæ, citato curſu quæremus te, imitabimur te. Enim verò tanquàm ſagaces canes, qui olfactu pollent, & odore ducti feras, quæ ſe abdunt in latibula perueſtigant, ſic nos, odoratu internarum narium, vim vnguentorum tuorum, quibus nos linis, haurientes, velut in latebris abſconditum, in vlteriore charitate perueſtigabimus te. Perpendere hic operæpretium erit. Sponſam actæ olim vitæ pertæſam dedecora, ſponſique deſiderio velut acerrimo ſtimulo incitatam, maiora indies operari geſtientem, Spiritus ſancti dona vnguentis notata flagitare, quibus, vt trahatur, fiat expeditior, atque mobilior. Sic enim verba enarrari debent. Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum, hoc eſt, effundente te tua in nos vnguenta, nos ad odorem eorum vnguentorum, quem naribus trahemus internis, vt canes ſagaces

Simile.

post prædam, ita, & nos post te curremus. Quod sic debet intelligi, vt sponso dona Spiritus sancti in animas infundente, & ea vnctione sui ipsius odorem mentibus ingerente animæ fiant ad cursum expeditiores. Idoneè autē dona vnguentis notata, potius quàm virtutes exposcit, cum de cursu, ac festinatione cogitat. Cum enim virtutes siue morales, siue etiam theologicæ, ad rectos destinentur actus, quos ægrè generant, ob animæ quam afficiunt, imbecillitatem, & inconstantiam, vitiatæ naturæ causa ægram, & ardua quæque formidantem, diuinæ fuit prouidentiæ opportunissimum opus, vt iustis omnibus septem Spiritus sancti largiretur dona, quibus adiuti, & à naturæ concretione, pondereque partim immunes, faciliùs à Deo mouerentur, & ad theologicarum virtutum scopum perducerentur. Hæc quippe à nobilioribus Theologis affertur ratio ad

Septem dona Spiritus sancti.

septem

septèm charismatum necessitatem astruendam, quò videlicet (sic inquiunt illi) anima reddatur facilè mobilis à Spiritu sancto. Aptè igitur sponsa, pro adolescentularum choro respondit, aiens, omnes esse cursuras in odorem vnctionis donorum Spiritus sancti, eas impellentis, & afflantis.

Dum verò postquàm dixit, (Trahe me,) non subiungit, Post te curram, sed Post te curremus, plures docet esse concertatrices, & in cursu æmulas, non studiorum diuersitate, sed charitatis, charismatumque meliorum æmulatione, quæ & opportuna, & necessaria est ad citiùs proficiendum. Vix enim explicari potest, quanti referat, eos, qui virtutem parare cupiunt, non seorsum in eius studij ingressu agere, sed in societate, vbi aliorum æmulatione incendantur, & ad præstantiora opera prouocentur.

Prodit se præterea in editionis no-

ſtræ verbis myſterium minimè ſilendum. Non enim putandum eſt, orationem malè cohærentem, aut hiulcam ex oſcitantia relictam, cum de ſe ſponſa inquit: (Trahe me,) moxque de pluribus agens ait, (Poſt te curremus) Profectò inter iuſtos quādam affabrè conſertam licebit cernere catenam, dum ſapientiſſimus Deus animam quampiam ad ſe trahit, & illius æmulatione plures alias animas inſularum, orbiumve catenæ more conſertas, illiq; primæ connexas ad ſe perducit ipſum. Sic ergo ſponſa loqui credenda eſt. Trahe me, ſponſe, ſi enim me traxeris non ad te ſolam me perduces, ſed plures alias animas more orbiculorum catenæ, mihi exemplo ac imitatione connexas ad te pertrahes, mecumq; plura animarum lucra parabis. Non enim iam ſola ego, ſed plures mira pernicitate poſt te curremus, teque repertum amplexabimur.

Animaduertendum fuerit in hoc

loco,

loco, quod experimento constat, eas actiones, quas diuini spiritus afflatu, expeditiùs obire solemus, qualis est hic depictus à sponsa cursus, delectationem parere, cuius veritatis illa probè gnara sic eloquitur.

Introduxit me Rex in cellaria sua.

Traxit me sponsus, & in cellaria duo sua, contemplationem videlicet, ac inde ortam dilectionem, à quibus receßeram, introduxit me, vbi me mira voluptate perfudit.

PERCVLERAT sponsum anxia sponsæ vox quadam velut ex fornace deprompta, cum (Trahe me) clamabat, & (quod est amantis ingenium) mox lætus & festiuus affuit. Ponendum igitur in hoc loco est, sponsum votis illius cessisse, hoc enim, ad orationis concinnitatem statuere oportet, præterquam quòd sponsa ipsa disertè ait. Introduxit

Cellaria sponsi sunt duo contẽplationis & dilectionis.

me rex in cellaria sua. Cellaria verò sponsi sunt duo, diuina videlicet contemplatio, & ex ea orta dilectiõ. Quæ sanè cellaria, & vini, & vnguẽtorum quædam quasi promptuaria nuncupari possunt, vini quidem, propter charitatis ardorem, & sobriam amoris ibi excitati ebrietatem; vnguentorum verò, propter delicias, quas ibi anima percipit, internis voluptatibus à sponso delinita, specialique Spiritus sancti vnctione delibuta. Ibi enim Spiritus sanctus participes sponsi, quem vt hominem præ consortibus liniuit, singulari perungit bonitate, & septem donorum incremento, sicut & gratiæ animam ibi locupletat accessibus. Hic autem sponsa tot bonis aucta, tot cellariorum voluptatibus dẽlinita, quasi mentis excessum patitur. Sibi verò postmodùm restituta, illa verba; Introduxit me Rex in cellaria sua, enunciare credenda est, ac si planiùs sic enunciasset; Im-

pensè

pensè sponsum precata fueram, vt ad se vi suorum traheret vnguentorum. Accurrit ille, ac voto meo lętus indulsit, me traxit, & ad penitissimos, vbi latet ille, me recessus introduxit.

Iuxtà interpretationem hanc sponsa fatetur suis optatis sponsum indulsisse, & currere cupientem adiuuisse. Optabat illa arcana donorum Spiritus sancti vnctione liniri, & sponsum, parta per vnctionem expeditione, cursu celerrimo perue-stigare, quod illi sponsus indulsit. In duo nempe illam quasi cellaria, in quæ iustis dumtaxat patet aditus introduxit, ibique arcanis illam vnxit vnguentis, ad quorum odorem sponsum deinceps insequeretur. Alterum cellarium contemplatio diuina est, valde quidem recondita, & huius sæculi sapientibus clausa, in qua viget ea sponsi notitia, quæ affectuosa, seu affectuum excitatrix nũcupari solet, quam qui experiri cupit, à

Cellarium contemplationis.

Alterum cellarium amoris.

pit, à tumultibus externis longe auocandus, & in cordis intima introducendus est. Alterum autem cellarium, amor intimus est, in cordis cētro defixus, in quem mundus neutiquam penetrare valet; nec enim in externorum se amorem effundens, in amorem illum medullas permeantem, Deoque internè fruentem, cœlique gaudia prælibantem, qui iustorum proprius est, se valet insinuare. Si verò quis, postquàm se in externa, & fluxa hæc bona profudit, Deo afflante, resipiscit, & ad cor reuertitur, elegātissimè dicitur in hæc introduci cellaria, quod de se ingenuè sponsa fatetur, quæ extrà se abierat, & ad cor reuersa est. Notandum autem est, magnoperè cellaria hæc, & vini, & vnguenti esse receptacula, seu promptuaria; notitia enim illa, quæ contemplatio appellatur, inflammat affectum, cuius certè affectus inflammati, quædam exarsio amor ab ea notitia genitus, est.

Cellaria vini & vnguēti receptacula.

Hæc

Hæc autem omnia vini significantur effectibus. Quia verò præter hæc Spiritus sanctus animam in eas cellas introductam nouis linit vnguentorum charismatumue accessionibus, rectè cellaria vnguenti appellãtur. Et hactenus de notitia, & amore, quibus cellariorum similitudo satis aptè conuenit.

Intellectus & voluntas duo cellaria sunt sponsi.

Potest autem non minùs aptè dici, cellaria, hæc sponsi, intellectum, voluntatemque notare, vt iure suo, duas has animæ potentias à philosophis eo nomine vocatas, cellas suas sponsus esse dicat. Quod sanè perpulchrè asserere potest. Cellaria enim quædam sunt ad quippiam asseruandum, puta poma, vinum, vnguenta, destinata loca. Sic autem prorsus, duo hæc animæ cellaria intellectus, ac voluntas, à Deo fabrefacta sunt, non ad creatum quippiam, sed ad sponsum rerum conditorem ibi condendum, atque seruandum. Quod quàm sit aptè assertũ, ex

ipso patet hominis fine, ad quem conditus est. Constat nimirum eò conditum esse illum, vt creatorẽ suum cognoscat, & amet cum in hoc exilio, tum in patria, vbi eas actiones perfectissimè exercebit. Iam verò dum intellectus conditorem suum intelligit, illius in se, quoad fieri potest, imaginem concipit, ac proinde Deus ipse intra intellectum velut intrà cellarium condi perapta dicitur similitudine. Quod, seruata proportione, de voluntate dicendum est; quùm enim Deum amat, impulsum quendam producit amãdo, cuius ergò, sponsus ipse; qui amatur, in voluntate asseritur esse. Construxit autem ipse sibi duo hæc regia cellaria, nec alius in illis vult admittere consortium; non enim fas est regis cellas mancipijs vllo modo patere. In hæc ergo cellaria sponsus sponsam introduxit, cum eam ad mentem reuocauit, & in iustitiam asseruit, & indiès illam penitùs in-

trodu-

troducit, quod nec mirum, nec absonum videri debet. Porrò sponsa, cum peccatis erat obnoxia, extrà suum intellectum seu extra mentem aberrabat; erat enim amēs, quod est peccatorum epitheton: Erat etiam extrà suam voluntatem, non enim amabat se; qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Fuit autem dignum diuina sponsi largitate munus, eam ad mentem, ac voluntatem propriam reducere, vt quæ sui oblita erat, de se iam cogitaret, & quæ se oderat, se iusto affectu diligeret, vt intra duo intellectus, ac voluntatis suæ cellaria introducta, communem cum sponso domum incoleret. Quapropter illa huius cōscia beneficij, tanquam regię domus compos effecta, sic effatur, (Introduxit me rex in cellaria sua,) quasi diceret: Me reduxit ad mentem, vt intrà me secum habitem, & eius cōsortio perfruar. Explanatio hæc maximam habet cum prima simili- *Psalm. 10.*

tudinem, aut certè eadem est. At hic explanandi modus videtur proprior & rei naturæ germanior.

Magnoperè autem considerandum est, ijs in cellarijs sponsam cælesti voluptate absorberi, quod tametsi sponsa recens sit adhuc partus, mirum videri non debet. Quotidiano quippe didicimus experimento, clementissimum Deum, tyronibus, qui amoris militiæ recenter nomina dederunt, quoddam suæ celsitudinis, ac dulcoris specimen, in ijs exhibere cellarijs, quò alacriùs, voluptate postmodùm subtracta, suauitatis diuinæ, quam gustârant, recordatione incitati, stadium præsentis vitæ percurrant, sensusque diuinæ legi reluctantes, dum sponsus abest, assidua exercitatione, atque sedulitate peruincant. Cuius certè veritatis quædam est assertio, quod à sponsa pro se, ac pro æmularum cœtu subtexitur, dum ait.

Exul-

Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum.

Ego, sponse, ac adolescentulæ cæteræ in tua cellaria introductæ, ac tuam voluptatem expertæ cum creuerimus, & voluptate caruerimus, exultabimus in te, memores dulcoris ex tuis vberibus expressi, qui vino generoso ad inebriandum fortior est.

SICVT paulò antè, cum de se dumtaxat sponsa loquuta fuisset, aiens, (Trahe me,) subiunxit de se, ac adolescentulis, (post te curremus,) sic modò, postquam dixit, (Introduxit me rex) attexit, (exultabimus, & lætabimur,) quod ideò ab illa obseruari videtur, quia sub persona propria cæterarum similium animarum affectum exprimit, quas interdum commemorat, interdum silet, quod ad scenicarum actionum pertinet varietatem, ac venustatem. Cum igitur sponsa dicit: Exultabimus,

& lętabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum, ſic eloqui credenda eſt. Satis fuerit, ô ſponſe ſuauiſſime, me, cæteraſque adoleſcentulas eiuſdem ſtudij conſortes, tuam ſuauitatem in hoc iuſtitiæ primordio percepiſſe, ac tuam dignationem in cellarijs penitiſſimis, quò ſine merito introductæ ſumus, expertas fuiſſe, vt perceptæ voluptatis recordatio nos in officio contineat. Quamobrem cùm à te videbimur repudiatæ, & ariditatis verbere acriter cæſæ; certò ſcientes, eam nobis expedire repulſam, ex amore, quem perſpeximus in amplexu, profectam, exultabimus non interna modò, verum & externa gaudij ſignificatione, memores vberum tuorum, hoc eſt, (per metonymiam) lactis, ſeu dulcoris, quem in tuis hauſimus cellarijs; qui ſanè dulcor melior eſt vino, ad calorem ingerendum, ad exhilarandum, & ad roborandum. Exultabimus ſanè, tametſi poſteà

voluptate careamus, voluptatis olim perceptæ recordatæ. Porrò pro eo, quod nostra habet editio. (Memores vberum tuorum) ex Hebræo verti potest. Memores amorum tuorum, magis, quàm vini, ac si sponsa pro se, ac adolescentulis dicat, ipsas posteà gauisuras, memores duplicis amoris, quo à sponso Deo, ac homine, in illis cellarijs delinitæ sunt, quem perpendentes, magis quàm vini generosi potu incenduntur. Hanc sanè interpretationem iustorum vita probat esse satis idoneam. Consueuit enim Deus clementissimus, eos in aditu iustitiæ, sine meritis, demulcere, & ad cellaria illa, vbi eos voluptate perfundit, introducere, vbi nihil nisi suaue, iucundumq; prælibant. Ibi autem erudiuntur, & discunt, quàm suauis sit Deus. Et posteà, cum illis pœnæ infliguntur, vt expientur, fideles permanent, Dei semel bonitatem ac suauitatem experti, nec ad fluxas se mundi volup-

tates conquirendas abijciunt, sperant enim sibi eos labores, ad potiores voluptates profuturos. Frequentet illud Iob apophthegma vsurpant, si bona suscepimus de manu Domini, mala, (hoc est pœnas) cur non sustineamus? Qua quidem in sententia iustitię Iob sè facilè mõstrant esse participes: sicut enim ille vir rectus erat, & ea rectitudine ductus nec dextrorsum, nec siniſtrorsum aberrabat, sed æquè Deum in prosperis, & aduersis diligebat, sic & isti, quapropter appositè satis sponsa subdit.

Iob. 2.

Recti diligunt te.

Faciemus, quod rectitudo poscit, vt etiam te dulcorem negantem diligamus. Sic erimus iustæ, seu rectæ, vt qui vel blandiẽtem, vel punientem æquè te diligũt, recti, hoc est iusti sunt. Quia videlicet in omni euentu te diligunt, recti sunt.

RECTVM sanè est, sponsum ac iudicem æquissimum decens, vt sui

copiam

copiam exulibus non adeò largè faciat. Rectiq; proinde censeri debẽt, qui, quãdiu coercẽtur hoc corporis ergastulo, non satagunt perenni voluptate frui. Satis quippe fuerit, eam adhuc in exilio prælibasse suauitatem, quæ veteranis militibus victoriæ potitis, in patriamque reuersis euentura est. Nec verò æquum est, hanc vel tenuem, quam DEVS extorribus instillat voluptatem, velle omnes æquè gustare. Decet enim, eos, qui plurium se annorum domuêre labore, copiosiùs refici, quàm eos, qui recenter geniti nihil susceperê laboris, qualis sponsa modò eiusque socię adolescentulæ pinguntur. Rectitudo ergo in iis meritis imparibus, ex sponsi est libranda mensuris, vt recti dicantur, quicumque sua sorte contenti sunt, & in ariditate non minùs, quàm in suauitate constantes. Animaduertere itaque opus est, rectos in hoc loco eos esse, quos iustos appellamus,

Recti qui sint cẽsendi.

Iustitia qualis virtus.

sic enim vulgo, iudicem rectum, hoc est iustum dictitare solemus. Est autem iustitia virtus, quæ vnicuiq; tribuit, quod suum est. Est autem manifestum exilij proprium esse, pœnis concuti, calamitatibus premi, quãobrem ex iustitia huic nostræ peregrinationi, nihil nisi mœror, aridi-tas, & ærumnæ debentur. Ex quo fit, vt ij iusti rectiue iure optimo nũcupentur, & sint, qui ea mala æquanimiter perferunt, & in ijs sunt non minùs, quàm in prosperitate constantes. Diligunt syncerè DEVM seu blandientem, seu puniente. Hoc quippe modo facilè probant, se vniuersa alia Deo posthabere: seq; perindè rectos esse. Nec profectò aliàs recti esse possent, nisi ea rectitudine Deum verè diligerent. Verba ergo hæc, (Recti diligunt te) non sic explanãda sunt, recti sunt, & propterea diligunt te, sed contrà; Ideò recti sunt, quia diligunt te, hoc est, quia ęquè, dũ ades, & abes diligũt te, ideò

recti,

recti, hoc est, iusti sunt. Ex quo efficitur, quantumuis insignem iustitiam rectam (quod ad æternitatem spectat) non putari, nisi à dilectione Dei ad finem charitatis dirigatur. Vbi cernimus mirabile quiddam, ipsam videlicet iustitiam, seu rectitudinem, vt recta sit, charitatis directione prorsus indigere.

Nunc verò quicunque ea, quæ paulò ante enarrata sunt, de sponso animam suis in cellariis permulcente, ac deliciis leniente, animo colligit, nequit sibi profectò ab admiratione temperare. Quis enim spõsi humillimam sponsam in suum thalamum introducentis, ac impotenter amantis humanitatem non miretur? Concinnè quidem hoc in loco filiarum Hierusalem hanc spõsi dignationem demirantium chorus in scenam introducitur. Cui sponsa diuinam edocta sapientiam, sic aptè respondet.

Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.

Mirabimi forte, Ecclesiæ filiæ, sponsi me in sua cellaria introducentis propensionem contemplantes, ac si tanto rege sit indignum nigram sponsam adamare. Sed rem æqua lance appendite, et si enim ob peccati reliquias nigresco, ob gratiam candida sum, & candor vincit eam nigredinẽ.

Animæ nũcupantur Ecclesiæ filiæ.

FILIÆ Hierusalem, vulgata satis allegoria animæ Ecclesiæ filiæ nuncupantur, quæ cum Dei propẽsionem in animam ipsi charitate cõciliatam, & in ipsius cellaria, thalamumuè, introductam mirantur, ac stupent, sic mutuò colloqui existimandæ sunt. Quid sibi vult incredibilis hæc Dei erga sponsam humanitas? Etiamnè deformem, ac naturæ corruptela nigram adamabit Deus? Itanè qui candor est lucis æternę nigram in thalamum admittet? Candidam sanè candor ipse potius seligere debuisset, quam in se-

Sap. 7.

cretos

cretos ędium ſuarum receſſus introduceret, & gurgite dulcoris abſorberet. His occurrit ſponſa, quæ ſic effari putanda eſt. Non eo inficias filiæ Hieruſalem, me nigreſcere. Nigra quidem ſum. Nec enim, quæ nuper è peccati nigredine ad iuſtitiæ ſum traducta candorem, adeò confeſtim tota poſſum candida comparere. Adhuc certè peccatorum vixdum ab antiqua habitatione recedentium vmbras, & canũ, quos inceſſit rabies, quaſi latratus patior. Hęc enim ſunt inoliti veſtigia ſceleris. At verò non quia eo modo ſum nigra, à ſponſi thalamo cõtinuò arceri debeo. Nã formoſa effecta ſum noua iuſtitiæ pulchritudine, atri coloris, quem peccata reliquerũt, turpitudinẽ longè ſuperãte, totiq; animæ egregiam formam diuinæ naturæ ſimillimam, quę diuina gratia eſt, inducente. Quapropter noua pulchritudine magis ſponſus capitur, quàm nigredine, ac deformitate fu-

getur.

Turpes scelerum affectus, peccatis relictis, non euestigiò reuelli.

getur. Expendendum est in hoc loco, turpes scelerum præteritorum affectus, quos altis radicibus infixos peccata reliquere, non euestigiò reuelli ob diuinæ gratiæ candorem animæ inductum. Oportet enim velut impacto ligone terram inuertere, sedulaque cultura noxias herbas proprijs actibus genitas proprijs conatibus extirpare. Quia verò nequit hoc adeò breui peragi, donec charitatis viribus ac nauitate affectus rebelles animus edomet ac elidat, necesse est gratiæ vires lucta quodammodo retundi, & quibusdam velut patratorum scelerum nebulis obtegi. Nebulis autem propter charitatis radios rarescentibus, gratiæ forma se prodit, & intermicat, quemadmodum nubium densitate rarefacta, solisque radiis transuerberata, cœli se facies per eos nubium quasi cãcellos ostentat. Quoniam autem nondum eæ nebulæ animam obnubilantes propter cha-

ritatis

ritatis infantiam, in qua sponsa modò versatur, prorsus absumptæ, ac resolutæ sunt, oportet gratiæ in anima repositę pulchritudinem quodámodò celari, ac proindè non ità elegantem apparere. Quod apposita sponsa propalat similitudine aiens.

Sicut tabernacula Cedar: Sicut pelles Salomonis.

Peccatis assueta, externos actus nondum moderata, externè nigresco, vt tentoria Arabum externè sole perusta. Sed ob infusam gratiam & virtutes, vestes Salomonis in gloria sua ornati imitor, & omnis gloria mea est interna.

CEDAR filius fuit Ismaelis, à quo Ismaelitæ duxêre genus. Ex qua etiam stirpe Agareni, qui nunc Saraceni appellantur, profecti sunt. Vniuersi autem hi Cedar nomine intelliguntur, vt eadem sint tabernacula

Cedar filius Ismaelis vnde originem ducât Saraceni.

cula Cedar, ac tabernacula Agarenorum. Agareni autem olim in tabernaculis, papilionibusuè habitabant. Papilionibus verò teter obducebatùr color, ob imbres, variamq; aëris inclementiam, cui expositi exorto post sole torrebantur, & sic atrum colorem prætendebant. His tabernaculis, propter relictas peccatorum vmbras, & vestigia se sponsa dicit esse similem, vtpote, quę imbres ingruentium libidinum, inustasque à dæmonibus notas perpessa sit. Pelles autem Salomonis in hoc loco, vel Salomonis in omni gloria sua ornati vestes elaboratas intelligit, quibus & diuina gratia, & virtutes eius comites animam mirificè, quasi ad nuptias, exornantes intelliguntur; vel aulæa, seu peristromata Salomonis regiæ, quæ filiorum textu vario, colorumque discretione distincta, virtutum texturam quasi polymitam notant, quam Deus variis staminibus, ac colori-

Pelles Salomonis diuinam gratiam & virtutes notant.

bus, ob

bus, ob varia virtutum in eãdem texturam concinnata ſtudia, dicitur cõtexuiſſe. His ergo Salomonis pellibus, ob gratiæ diuinæ, diuinarumque virtutum accepta dona, veſteſque quaſi nuptiales, quibus ad ſponſi thalamum accedat ornata, ſponſa ſe ſimilem eſſe profitetur, ita vt nigredo ad Agarenorum exuſtos papiliones, pulchritudo ad pelles ſit referenda Salomonis.

Verùm, tametſi apta ſit hæc pellium Salomonis interpretatio, aptiùs nihilominus videtur iuxtà textũ Hebraicum, & paraphraſim Chaldaicam, pellibus hic ſignificari cortinas. Sic quippe ex Hebræo rectè vertitur, (Sicut cortinæ Selomoh.) vox autem Ieriah ſignificat cortinã ſeu velum album, quod in tentoriis extenditur. Qui ſanè ſenſus ideò aptior eſt, quia, cum ſponſa nigra ſit ob peccati reliquias, & candida ob gratiæ formam (hæc enim eſt pulchritudo nigredini contraria) pro-

Vox Ieriah ſignificat cortinam.

priùs is gratiæ candor, cortinis tabernaculorum candidis, quàm alijs notatur telis, ſicut nigredine tabernaculorum peccati obſcuritas innuitur. Et par eſt, vt in tentorijs & nigredo & candor eſſe dicatur, ſicut & in ſponſa nigredo, & candor aſſeritur eſſe, vt ſic harmonicè rerum externarum ſimilitudo internæ reſpondeat venuſtati. Hæc prima ſit enarratio, quæ nigredinem tabernaculis Cedar, pulchritudinem Salomonis Dauid filij regis Hieruſalem pellibus aſcribens, ſatis aptè cũcta diſcernit.

Secunda interpretatio.

Secunda verò tam Cedar tentoriis, quàm Salomonis pellibus & nigredinem tribuit, & pulchritudinem, duplici ſimilitudine vtrobique inuenta. Prima enim ſimilitudo ex tentoriis Agarenorum, ſeu Arabum poſterorum Cedar filij Iſmaëlis petitur in hunc modum. Cum nimirũ illi in tentoriis, vel cauſa paſcendi greges, vel prędandi habitarent, cõ-

Simile.

tinuò

tinuó ſolis ardore exuſta, puluereq; terræ illius arenoſæ operta tentoria nigredinem externo aſpectu præferebant, intus verò auro, multiſq; opibus, quibus Arabes abundabant, plena erant. Sic etiam ſponſa externo aſpectu, cũ corpus nõdum edomuerit, ſibi, çũ erat auerſa, ſimilis, nigredinem præfert, at verò mente intus mutata diuinæ gratiæ opibus affluit. Hæc prima eſt ſimilitudo.

Secunda verò ex pellibus Salomonis alio ſenſu acceptis eruitur, ità vt pelles Salomonis ſint papiliones, ſeu tentoria tentoriis Cedar reſpondentia. Salomonis verò nomen hic non regẽ illum Hieroſolymorũ, qui à mulieribus ſeductus eſt, ſed Deum ſignificat, cui aptiſſimè quadrat eius nominis ſenſus à pace deduct⁹. Cõſtat autem Deum in deſerto tabernaculũ parari iuſſiſſe, cuius externa facies pellibus arietũ, &, vt aliqui putauêre, taxorum operiebatur, quæ piloſæ erant. Et cum ad re-

Salomonis nomen hic Deum ſignificat.

pellendos imbres consutæ fuissent, ne, quod latebat, humore maderet, & sole postmodum vrerentur, necesse fuit, eas pelles nigrescere. Intus verò explicabantur cortinæ opere plumario variegatæ, ex purpura, cocco, byssо, hyacintho contextæ, & aliæ complures opes ad diuini cultus apparatum conquisitæ. Sic prorsus, externus sponsæ aspectus horridus est, ac rudis, nondum enim tonsa, & erudita est, cùm fœtus sit in iustitia recens; intus verò Christi sanguine tingitur vt purpura, gemino amore vt cocco bis tincto ardet, castimonia candet vt byssus, cœlesti colore claret vt hyacinthus, eius enim mens cælites æmulatur. Aliæ denique permultæ opes intra eam sunt à sponso conditę, vt tabernaculi fœderis exteriùs horrida, interiùs pulchra imaginem referat.

Duo extulerat sponsa, se nempe deformem, se etiam pulchram esse. Et pulchritudinis quidē causa spō-

sum

sum esse, omninò patebat. Deformitatis autem, seu nigredinis origo non ità facilè apparebat. Quamobrem huius pergit manifestare originem, vt filiæ Hierusalem sinant eam demirari, quas sic alloquitur.

Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.

Non ergo pergatis me fuscam à noxio Sole dæmone adustam contemplari, sed potiùs nouam gratiæ venustatem intuemini, & videbitis me ad regis thalamum comparatam.

SInite ergò, Ecclesiæ filiæ, fuscedinem meam attentiùs intueri; nec inde velitis sponsi metiri charitatem, quasi ea nigredo, seu fuscedo mea illum à mea consuetudine queat arcere. Non horret illam, sed excidit, ac delet. Non irascitur, aut repudiat: nouit enim, tametsi ego culpa non vacem, aliundè mihi colorem illum atrum illatum fuisse. Non sum fusca natura, sed dæmo-

nis arte. Condidit me candidam sponsus, sed Satan inuidiæ stimulo incitatus, me denigrauit. Monet ergò sponsa, se minùs ob eam deformitatem arguendam, quòd Serpentis calliditate illam contraxerit, quã excusationem Serpens ipse nequibit afferre, qui non peccauit irritatus. Quod eò tendit, vt constet hominem lapsum diuina miseratione minùs fuisse indignum, quam dæmonem, & ob id sponsum non ex iustitia, sed ex misericordia, ac munificentia, sponsæ culpam condonasse, ac eam in sua cellaria introduxisse. Porrò sponsam nõ natura, sed casu culpam concepisse, ac inde euasisse deformem, Septuaginta Interpretes diuinorum mysteriorum consultissimi notasse videntur. Eorum quippe translatio latinè reddita sic habet. (Ne aspiciatis, quòd ego sum nigrefacta) hoc est, ab alio nigra effecta. Quod enim natura est atrũ, non nigrefactum, sed nigrum ap-

pella-

pellatur. Quod verò natura candet, & casu nigrescit, propriè dicitur nigrefactum. Author ergo fusci nigriue coloris Serpens est, qui Soli non in alendis, sed cum efferbuit æstus, in enecandis & amburendis plantis est quàm simillimus. Profectò Sol iste pestilentissimus, animæ virtutem eripuit, & quasi terræ feracissimæ vim totam absumpsit, humoré gratiæ lætissimum flamma immissa decoxit, vnde formam candore illustrem contigit inquinari. Hæc prima est interpretatio.

Differentia inter nigrū & ingrefactum, hoc casu, iliud natura cōstat.

Secunda verò aliquantò secretior succurrit. Neminē latet, prunas esse aspectu pulcherrimas, ignisque flammam noctu lucentem. At, cùm primùm Sol incipit apparere, prunarum flammæque color emoritur, liuescit, ac euanescit Solis interemptus aspectu. Sic nimirum anima iusta, velut pruna flammaque pulcherrima igne charitatis concepto lucet, si inter peccatorum men-

Secunda interpretatio.

tes culpa obtenebratas, & in noctis obscuritate iacentes spectetur; at, dū ea sponsi comparatur aspectui sole clariori, emoritur, & fusca videtur eius pulchritudine velūt euanescente, quod dum Ecclesiæ filiæ, animæ visu perspicaces animaduertunt, iure quidem mirantur à sponso animam quampiam, etsi iustam, in eius introduci cellaria. At si sponsam seorsum, vel certè ad peccatorum animas collatam expenderent, omninò eis quasi fax in media nocte lucens videretur. Propterea q; sponsa sic eas hortatur. Nolite me considerare sponso comparatam, sic enim fusca sim necesse est, sole ipso iustitiæ sponso meo sua infinita luce lucem meam obtenebrāte, sua pulchritudine meam obducente, ac si adderet. Considerate me potiùs ad alias deformes collatam, & cernetis me non esse omninò deformem thalamouè sponsi prorsus indignam.

Quia

Quia verò cœpit (vt ex prima patet enarratione) suæ nigredinis originem retegere, pergit hoc ipsum à suo principio repetere, aiens.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me.

Prorsus nigredo mihi naturalis non est, sed à dæmonibus inducta.

DIVINAM sapientiam vniuersarum esse matrem creaturarum, communis est Theologorum consensio. Enimverò rerum omnium rationes, ac ideas, tanquàm fœtus quosdam in lucem suo edendos tempore, velut in vtero capacitatis continet immensæ. Quo quidem ex vtero per creationem, tanquam per partum quendam, promuntur in lucem tempore definito. Etsi verò creaturis vniuersis filiarum quadret appellatio, natura tamen angelica ob eam, qua cæteris antecellit, nobilitatem, Dei filia potissimum nun-

Diuina sapientia mater vniuersarũ creaturarum.

Natura Angelica filia Dei.

cupatur. Quæ quidem nomenclatura apostatarum angelorum naturæ, & ob gratiam, in qua condita fuit, & nunc ob solam naturalem integritatem æuo sempiterno perseueraturam, apprimè conuenit. Angeli ergo apostatę sũt filij, filij tamẽ alieni, qui claudicauerunt à primis suis semitis rectis, de quibus sic sponsa loquitur. Filij matris meæ, hoc est, dæmones, quos vt filios olim mater mea, sapientia videlicet diuina condidit, filiorumque nomine, gratia, & adoptione insigniuit (etsi hanc illi per summum scelus repulerunt) hi filij alieni pugnarunt, & incursarunt contra me, ardentissimo velut æstu torruerunt me, vnde mihi contigit ater ille color. Emphasim habet hic loquendi modus. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, ac si dicat sponsa. Sanè cùm creationis iure, eiusdem, ac ego, sint matris filij, non in me pugnare, sed propugnare deberent, at filiorum ado-

Angeli apostatis filii alieni.

ptio

ptionem repudiarunt, & nomen; vnde licèt origine fratres, sunt tamen studio ac professione acerrimi hostes.

Est autem victorum mos debellatis hostibus leges dicere, quem morem vulgari cernimus experimento probatum, dum exultantes victores, vel ad terram effodiendam, vel ad onera comportanda, vel aliud non absimile seruitutis genus victos adigunt, atque condemnant: Quo quidem tyrannicæ victoriæ iure Angeli transfugæ nimiùm dirè vtentes, ad miserrimam vinearum colendarum sponsam compulêre seruitutem, quod sic ipsa fatetur.

Posuerunt me custodem in vineis.

Illi me vicerunt, & vt alijs præessem impulerunt, vt aliorum custos mei oblita fierem.

PERGVNT igitur tyrannici victores iure prælij, quo me prostrarũt, iniquas mihi leges dicere. Seruitutis

tuti miſerrimæ addixerunt me, cum me multarum vinearum cuſtodiæ præfecerunt: Inextricabilibus me ſæculi curis implicuerunt, vt inde lętum quaſi vuarum prouentum expectarem, cum tamen neque racemum mitem decerpere potuerim.

Cuſtodiæ vinearum delineatio.

Cuſtodia vinearum; prælatio, ſeu præfectura eſt, quæ cum excellens quiddam, & vulgari fortuna maius videatur, hamus quidam eſt, ad homines ſuperbiæ contagione vitiatos egregiè capiendos. Quod Lucifer ipſe huius elationis ſator optimè nouit, & ſuo damno expertus eſt, cum diuinum, inuito Deo, appetijt principatum. Hanc vinearum cuſtodiam, tãquam diuinitatis conſortium quoddam primis parentibus depinxit, vt, quo telo ipſe ſauciatus fuerat, genus noſtrum interimeret. Hoc enim notat illa ſuggeſtio: Eritis ſicut Dij, ac ſi dixiſſet, eritis cuſtodes in vineis, moderatores, ac tutores veſtri, vobis ſufficientes, vt cæteris do-

Gen. 3.

mine-

minemini, ac præcellatis. Hanc suggestionem patiuntur passim peccatores, qualem fuisse sponsam ex his verbis ediscimus. Quæ suæ seruitutis grande malum nunc admiratur, & retegit, vt pateat, quanam arte Lucifer seducat ignaros. Promouet illos ad prælationem, quam dum tradit captiuis, se illis persuadet principatum tradere, quo nullum est seruitutis genus infœlicius. Vix rei rusticæ studiosi vllum plantarum genus norunt, in quo excolendo, ac repurgando, solicitiùs, quàm in vna vite, eis laborandum sit, quod vulgatissimum est; nec vllum est seruitutis genus, aut maiore anxietate septum, aut acriore sauciatum dolore, quàm sit illud, quo, inter mundi voluptates & illecebras, desertores Angeli torquent homines scelestos, quos alijs præesse faciunt; vt facilè adnimaduertas, non absq; emphasi sponsam conqueri de suorum victorum tyrannide, quæ acerbissi-

ma captos premit seruitute, quam custodia vitium arcanè notauit. Neque verò id solum calamitatis genus sponsam oppressit, quòd bonis intenta caducis, nihil inde voluptatis, commodique perciperet, sed (quod funestius est) vinearum custos aliarum, vineam sibi ab sponso commissam obliuioni tradidit, & aprorum, aliarumque ferarum incursibus exposuit. Quapropter subdit.

Vineam meam non custodiui.

Quamobrem, aliorum prospectura bonis, animæ vineam, virtutum vitibus ab sponso satam, & mihi sub fide magni proventus commissam non custodiui, sed vastari sum passa.

VINEAM, in qua sponsus eius cultor peritissimus, vini radices cõseuerat, malleoloque panxerat, quæ iam pampinis obtecta, æstuique subducta fructum ediderat, non custodiui. Nimirùm alienis distracta curis, alienis prospectura bonis a-

nimam

nimiam meam virtutibus, crebrisque virtutum actibus, ceu vitibus, vuisque locupletem despexi; curam diuinæ legis ablegaui. Non fuit virtutum læta vindemia per merita, piaque exercitia, quæ à virtutibus, tanquàm a vitibus præcerpuntur, & graphicè per vuas vite pendentes, extumentesque notantur. Hæc prima textus expositio (quam sumus auspicati ab illis verbis, Filij matris meæ, &c.) notat infœlicem sponsæ in Adam casum. Pugnauit quippe in illum dæmon, & strauit; quamobrem paradisum, cuius custodiæ, ac culturæ, velut vineæ lætissimæ fuerat præpositus, minimè curans, ad externas regiones suopte ingenio steriles colendas, relegatus est.

Merita & pia exercitia sunt quasi vuę in vite pendē tes.

Secunda loci explanatio, non minus quàm prima quadrans, immò illi annexa, & ab ea originem ducens, filiorum nomine, prauos, ac petulātes sensuum motus intelligit,

Secunda interpretatio.

qui

qui aduersus mentem importunè præliantur; & illam è constantiæ fastigio propter vehemẽtiam, & improbitatem exturbant. A propria conscientia, sicut à vinea propria colenda, & à sponso, sicut à vitte sua deterrent; & ad fluxas mundi voluptates conquirendas, ad honores aucupandos, velut ad alienas vineas tuẽdas impellunt; ex quibus, cùm homines fœlicem vini prouentum expectant, fellis vuam, & amarissimos botros, in propria custodis damna decerpunt. Eleganter autem, hi sentientis appetitus effrænes motus, à sponsa, filij matris suæ, hoc est, Euæ, quàm sine metaphora matrem appellare potuit, nuncupantur. Profectò ex elata Euæ voluntate, quæ se tanquàm vterum exhibuit, & ex suggestione serpentis, qui, tanquam pater, elationis semen in eam iniecit aluum, per inauspicatum partum, horum filiorum, motuum scilicet petulantiũ, numerosa proles excre-

uit.

uit. Nam postquàm Euæ vterus intumuit, elationis semine concepto, motus effrænes in Deum, ac mentem rebellare cœperunt. Quorum sanè filiorum numerus ingens, in Euæ filios, hæreditario iure proserpsit, & partem non exiguam sponsa sortita, in culpam præceps acta est, cuius in hoc textu sub hoc arcano sermone commeminit. Deflet amissam pulchritudinem, & deformitatem inuectam, quæ non ex natura, sed ex euentu inhæsit, & virtutum concinnitatem in noua monstra peruertit. Motus quippe immoderati, monstra sunt immania, ex Euæ, Serpentisque genita congressu. Nec enim dispares adeò naturæ, serpentina videlicet, & humana, nisi ad gignenda monstra potuêre misceri. Iuxta hunc ergo sensum inquit spõsa. Motus effrænis appetitus, ex halitu Serpentis, & Euæ matris voluntate geniti, pugnarunt contra me, & à rationis fastigio me exturbarunt;

egoque proinde alienis distracta curis, vineam meam, hoc est, vitem meam, qui est sponsus, non custodiui. Sed iam ex diuerticulo reuertamur. Postquam votis adolescentularum sponsa satisfecit, seque ipsam propugnauit, ad sponsum auidè cõuersa, & ardentioris spe charitatis incitata, in hunc modum effatur.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.

Iam ergo (te appello sponse) vinearum expertam culturam, incassumque vexatam reuertor ad te, vt, quæ vineis præeram, tibi modò subsim, & tuarum ouium merear in grege censeri. Si fortè contingat lanæ purioris vellera tibi pro custodia referre, virtutum nempe fructus optatos promere.

Maris pericula enarrant ea experti.

CVM quis maris temeritatem euasit, cuius fluctibus, tabula post naufragium apprehensa iactabatur, tutus etiam in littore, pericula enarrans, animo concutitur & hor-

ret, ac

et, ac benè sibi precans, ad terræ loca tutiora, & interiora conuertitur. Hoc planè modo sponsa periculis erepta maris Serpentis flatibus concitati, iam in littore, commemorans quod est passa naufragium, adhuc certè cohorret, & quasi metu concussa, ne fortè iterum procella ingruente obruatur, ad interiora continentis loca festinat. Culpæ igitur recordatione, quæ ipsam in seruitutem compulerat, perculsa, ad sponsi asylum conuerta sponsa, Indica, obsecro, ait, o sponse, quem diligit anima mea, vbi pascas oues charitate fœtas, qui pastoris functiones obis, sicut prophetarum oracula prædixêre? Dæmonis olim parui libidini; ipseq; se pastorem profitebatur, qui greges suos dulcissimis posset herbis alere, lætioribusque terræ fructibus enutrire; quapropter vineis me præfecit, vt vel sic primos quosque botros carptura viderer; at sanè spes me fefellit, & pastu desti-

tuta interibam. Reuertor igitur ad te, vigilantissime pastor, vt tua pascua colam, terræ fructibus vescar, & nouorum vellerum fœnus tibi pro custodia referam. Famem, qua vexor, solus sedare potes, quid igitur prodest, aliena pascua disquirere, in quibus herbæ noxię, ac venenatę leguntur? Prudenter agam, teque perueſtigare contendam, vt mihi demum gratuler, propter te meum tutelarem, more cuiusdam Vatis elata voce canentis. Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ. Hic annotandum est, animam, velut ouem, symbolica Theologia in scenam introduci pabuli cupidissimam. Pabulum autem animæ sponsus est, cuius defectu peccatores intereunt. Cum verò ad diuinam gratiam suscitantur, fame Dei se torqueri sentiunt, quod in culpa mortui minimè sentiebant. Profectò fames vitæ index est. Et quò illa minùs vrget, eò mors fit vicinior, vt patet in morbis. Et

Fames vitæ index.

mox

mox vt quis cœpit conualeſcere, fame infeſtatur. Propterea ſponſa, quę nõ multò antè ſuſcitata fuit, famem hanc ſalubrem vitæ indicem percipiens, anxiè rogat, vbi ſpõſus paſcat oues, vt famem eleuare, etſi non ſedare queat. Sed quia paſcua plura ſponſus habet, in quibus ſui copiam, aut modicè, aut largius facit, ſic ſpõſa loqui credenda eſt. Mihi cunctatio diſplicet, quamobrem, nec in quauis vulgari paſtione quieſcam, ſed ferar in vlteriora, incredibili, ô ſponſe, tuæ pulchritudinis amore capta. Profectò ſponſa iam norat, vbi ſponſus oues paſceret, ac propterea in eum locum ocyſſimè confugit; Nunc verò alienæ paſcuæ filiorum alienorum recordatione perterrita, & interioris cum ſponſo cõſuetudinis auida, in tutiora & interiora paſcuæ loca, ſponſo auſpice, ſe recipere, ac penetrare conatur. Quod facilè ſubiecta verba declarant.

Vbi cubes in meridie?

Apparuit mane lætissimum, cum amare cœpi, nunc amoris meridiem peto, in quo tu cum sponsis conquiescere soles, quasi in toro cubans, nuptiale fœdus confirmans, ad charitatis incrementa. Illuc ergò perduc me.

TVIS in pascuis, o sponse, definitæ sunt quasi stationes, auroræ, meridiei, cęteriſque temporis partibus, quas percurrere oportet eos, qui lucis, & caloris incrementa conquirunt. Nimirum, cum tu, o Sol diuine, ardentissimos amoris emittis radios, ac Sol, dum medias cœli partes permeat, quibus animas, quas humanissimè pascis, torrere soles, in amoris fornace tibi arctissimè sociatas. Tunc sanè meridies est, quem ego votis omnibus expeto, & efflagito, vt tuis traiecta radijs, igne diuino percoquar, & absumar. Non enim conquiescam, donec amburar, tibique quàm si-

millima reddar. Iuxta explanationem hanc, verba sic intelligi debent, vt sponsa interroget in hunc modum. Indica mihi, sponse, vbi, hoc est, quo in loco cubes, seu requiescas, in æstu meridiano. Quis, inquam, amoris gradus sit ille, in quo tu cubare diceris, cùm meridies, hoc est, maxima vis, & calor amoris est. Videtur autem sponsa ad phœnicis historiam alludere. Sicut enim in nido succenso phœnix cubat, & ardet, ita sponsus in amore meridiano, hoc est, ardentissimo, cubare, & eo igne incendi perhibetut. Optat verò sponsa, licèt nuper amare cœperit, ad meridiem amoris peruenire. Oportet enim, nouos iustitiæ cultores, desideria magna concipere, alias vix egregium quippiam præstabunt; cùm enim in excelsum scopum collimant, illuc sanè suos conatus omnes intendunt, & si fortasse non eousque perferuntur, valde tamen propinquât: Ij verò, qui

Phœnix in succenso nido cubat.

non magna moliuntur, minùs certè conantur, modiciſque conatibus partus edunt breuiores. Hæc prima loci eſt interpretatio, iuxtà quam, intrà charitatis ipſius naturam, & ingenium, dicitur eſſe meridies, mane teneri amoris exacto.

Eſt autem ſecunda ſatis elegans explanatio, vt meridies, non hic aliquis, intrà amoris naturam gradus, ſed in notitia ſponſi, claritas immenſa, & quaſi meridiana notetur, quæ eſt ipſamet viſio diuinitatis, ab ſponſa auidiſſimè expetita. Eſt, quippe, notitia rerum in diuina ſponſi elucentium natura, quæ matutina appellatur. Veſpertina verò, quæ res conditas in propria ipſarum, extra Deum, natura contuetur. Meridiana denique, quæ rerum conditarum prætergreſſa menſurã, ſponſum in ipſomet ſponſo ſpeculatur, quæ quidem omnium eſt nobiliſſima, & excelſa maximè. Hic eſt meridies, in quo ſpõſus æuo ſẽpiter-

no cu-

no cubat, hoc est, conquiescit, quem sponsa nosse cupit. Cupit autem, & nosse illum, & in eo cubare, quod est, conquiescere, quod Hebraica verba apertissimè declarant, quæ sic latinè redduntur. (Vbi cubare facias) Precatur quippe sponsa, eius quietis cupidissima, vt sponsus doceat, vbi nã cubare faciat in ea luce patriæ meridiana, eos, qui de via fessi illuc migrant, æterna requie fruituri. Cum verò sic rogat. Vbi cubare facias, idem agit, ac si diceret. In quo illius glorię loco, quã excelso, quàm fœlici? Licèt enim locum fide norit, fidei tamen cognitio obscura est, ac proindè velut rei ignara, illustrius quiddam poscit, & rem clariùs nosse cupit. Hoc verò desiderium ardentissimum patriæ, tyronibus, qualis adhuc sponsa depingitur, opportunissimum est. Cum enim adhuc, non ingenuè ament, non adeò excitantur, solo puri amoris affectu; præmij autem spe acerrimè vrgentur, &

ad opera difficilia alacriùs incitantur. Propter hoc igitur, sponsa tam sedulò quærit de loco, vbi sponsus oues pascat, & eas cubare, hoc est, requiescere faciat. Non sanè, quia confestim illuc migratura sit, longam enim prius est emensura viam, sed vt fine concepto, iuxtà veræ philosophiæ pronunciatū, & rectà gradiatur, & expectati boni magnitudine, ad percurrēdam viam fiat expeditior, nec aberrare sinatur, quod verba proxima opportunè significant.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Vereor, ne postquàm faustè cœpi, infœliciter abs te seiungar, & qui pastorem mentiuntur, cum lupi sint, me ad suos greges abducant, atque discerpant.

SATIVS profectò erit, te facem præferente, ô sponse, nosse viam, qua gradiendum est, quàm per an-

fractus,

fractus, diuerticulaq; aberrantē ſeduci, in aliorumq; paſtorum caulas incurrere, dęmonum ſcilicet, ac ſceleſtorum hominum, qui cum cœtus gregeſuè perditarum paſcant animarum, ſodales tui nuncupantur, quadam officij ſimilitudine, non ſuo quidem ingenio, ad perdendum, profligandumque comparato. Pro his verbis: Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum, aliqui ex Hebraico ſic vertunt (Quia, vt quid ero, veluti operiens ſe ſuper greges ſodalium tuorum?) Illa verò verba (operiens ſe) nomine confícto, licet ad ſenſum eundem opportuno, exprimunt quidam, aientes, (Ne oberrans per greges conſortium tuorum, videar, palliolata.) Scorta nimirum olim in triuijs apparebant, & hac illacuè excurrebant pallio obnupta, vt patet ex hiſtoria Thamar, quam, cùm Iudas ſuos greges petens pallio vidiſſet opertam, velut ſcortum alloquutus eſt, & paſtor ab Gen. 38.

ſtor ab eo miſſus de ſcorto, an comparuerit interrogabat. Precatur ergo ſponſa Deũ, ac ſponſum ſuũ, ne patiatur illam aberrare, & peccatorum paſcua colere, quia ſi exerret, erit vt ſcortum, ſuum verum ſponſum violata fide coniugij, relinquens, & aliorum, qui ſponſum ſimulant, adhærebit amori. Et hanc emphaſin habẽt illa verba. (Quia vt quid ero, veluti operiens ſe ſuper greges ſodalium tuorum?) Quod verò ſodales hi nomine dumtaxat tales ſint, patet ex paraphraſte Chaldaico, qui interpretans hunc locum de filiis Iſmaëlis, & Eſau, qui relicto vero Deo, alienos Deos colebant, ac ſi verè eſſent ſocij diuinitatis Dei veri, ſic ait, (Qui applicant tibi idola ſua pro ſociis.) Preces ſponſę ſponſus exaudit, quapropter ſic eam affatur.

SPONSVS.

Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere,

Si te

Si te ipſam non calles, qua ex ignoratione meridiem noſſe nequis, egredere ex temetipſa. Exue veterem hominem. Sic quippe egreſſa, viam carpes, expeditiusq; percurres.

FLeri nequit, vt ſponſæ ardentiùs amare cupientis clamore non percellatur ſponſus, qui amoris paret imperio. Eueſtigiò adeſt, quam cupiebat ſponſa viam, ad ipſum in vlteriore charitate perueſtigādum, monſtraturus. Pulcherrima (inquit ille) inter mulieres, hoc eſt, recentes ac imbecilles fœtus, mulierum natura imbecillium tranſlatione graphicè pictos, quibus, tu maior effecta, facilè antecellis. Si ignoras te, cuius ignorationis ergò, & meridiem, vbi conquieſco, noſſe, & aſſequi nequis; egredere. Temetipſam fuge, lares proprios, domumque antiquam relinque. Exue veterem hominem, in quo ſepulta iaces, actusq; illius auerſare. Hæc prima lex, ſi ad meridiem ferri ſatagis, vt foras prodeas;

Natura mulierum imbecillum.

deas; nec te domus antiquæ remoretur amor, qui retardare nequiuit
Gen.12. apud Chaldæos Abrahamum, exire adornantem, arcani huius exitus typum præferentem. (Si ignoras te.) Latet porrò mira in his verbis energia, minimè silentio tumulanda. Enim verò sponsa petierat meridianam sponsi lucem, aiens, (Indica vbi cubes in meridie?) Cui profectò interrogationi, (quantùm coniectari licet) disertè respondendum erat, ostensa via, qua in meridiem tenderetur, nisi altius quiddam, arcanumque magis hac responsione celaretur. Nimirum splendidissimam sponsi lucem appetenti sponsæ, idoneè admodum imbecillitatis propriæ circũspectio præcepta est, qua in penitissimam Dei cognitionem via sternitur, quasi planiùs in hunc morem sponsus eam commoneret. Si sapientiæ, ac diuinæ charitatis amore flagras, à tui ipsius cognitione auspicare, hæc enim te du-

cet, ac

cet, ac vna tuebitur. Modum verò secretiorem sponsus edocet, quo semetipsam sponsa callere perdiscat, vnico rem totam verbo complectēs, dum ait. Egredere, tanquàm si expressiùs diceret. Temetipsam interseca, mediamque concide, ità vt mentem ab appetitu distermines, ac duo quasi agmina constituas. Altero quidem in agmine appetitum sentientem, effræneſque ipsius motus recensebis. Ab hoc verò agmine, mentem, voluptatemque segregabis, alterumque numerabis agmen, in quo te ipsam repones, & indicto bello, agminis primi colloquia, cōmerciumque vitabis. Sic viam arripies, luceque frueris. Profectò, si oculus colore tinctus esset, & imbutus, colores nequiret cernere, vt apud naturæ inspectores compertum est. Quin quamuis purus esset oculus ab omni nebula, humorisque affluxu repurgatus, si hærerent illi externè dumtaxat res colore

infectæ, percipere illas non valet, ità sanè, vt omninò spatium interiacere debeat, quo colorum imago purior reddita in oculum perferatur, & cernatur exactè. Hoc planè modo, à temetipsa exiliens, & velut ab excelso loco, mentis intuitu repurgato, tuam despiciens humilitatem, illius affectus internoscere ac explorare valebis. Nam si mentis acies, appetitus concretione, ac sanie fuerit imbuta, vel ipsi nimium propinqua, vi cernendi, qua prædita est, nequaquàm fungi sinetur. At postquàm egressa, ô sponsa, nè cuncteris, desidiauè torpescas, sed viam arripe. Et.

Abi post vestigia gregum tuorum.

Post greges gradere, non vt à motibus appetitus effrænis traharis, sed vt quasi verbere infucto vrgeas, & quò mens vocat, rectà ire compellas.

NE præeas; non enim greges hœdorum, idest, sensuum & affectuum petulantes, ac lasciuientes te

sequen-

sequētur; sed aberrabūt. Sunt quippe greges non ouium, quæ vltrò ducuntur ad occisionem, nec agnorum, qui tondenti non reluctantur, sed hœdorum, qui, si creuerint, euadent hirci, qui reproborum mores significant, ac ideò in iudicio statuuntur à sinistris. Hos igitur, vt salui fiant, & ad dexteram reducantur, verbere vrgebis. Coges ergo illos præire, tuque ipsorum post vestigia gradieris, more pastorum, qui suorū gregum vestigia sequuntur, non quò hœdorum lasciuiam à militari via exerrantem sequantur, aut ferant, sed quò greges in prospectu habentes, cùm à via deflectunt, funda, pedoque vtantur, rectaque illos ingredi cogant, & impunè vagantem coërceant petulantiam. Cum verò inflicto verbere, incussoque timore, appetitus sentientis agmen more pastoris egeris, disce oraculo, quidnam tibi sit agendum. Et.

Mores reproborum.

Pasce hœdos tuos iuxtà tabernacula pastorum.

Affectus appetitus edomiti in officio continę, & fac, vt spiritalis palæstræ consultorum monitis obtemperent.

SENSVS rebelles hœdorum more, dum recens sanguis efferuet, exultantes cùm domueris, dictoque iam feceris audientes, ne patiaris otio se tradere, aut tam citò deseras, ac si rebellare nequeant, neque soleant. Sanè si eos impunè agere permiseris, fœdus rescindent, ac in te vno conniſu irrumpent. Præside igitur illis, acriterque cæde, ac simul pasce iuxtà casas, mapaliauè pastorum, qui sunt viri rerum diuinarum consultissimi, Apostolorumque posteri ac hæredes, qui saluberrimas spiritalium dogmatum herbas, sibi credito gregi carpendas porrigunt. Quorum si dogmata toto pectore hauseris, ad meridiem ipsorum ducatu ocyssimè properabis. Præcipit sponsus, vt sensus rationi rebelles

sponsa coërceat, & iustitiæ seruire cogat. Quod proculdubio fit, cum sensus siue internos, siue externos, culpæ licentia exultantes, ità comprimimus, ac moderamur, vt nec cogitare, nec recordari, nec audire, nec cernere turpe quippiam sinamus, sed suas ad rationis lineam functiones cogamus obire, quod sponsa præstitisse credenda est, vt mox apposita laus ei congruere possit. Spõsus quippe illi tanquàm equo domito insidere voluit, quod sanè noluisset, si sensus nondùm, magna saltem ex parte repressisset. Est autem accuratè animaduertendum, generosi equi illustre signum esse, Domino insidenti se facilem ac lenem exhibere; alijs verò præsertim inimicis esse intractabilem, & in eos calcium illisu, & hinnitu ferocire, quale quid dam de bucephalo Alexãdri magni dictitari solet. Quod generosi animi discrimen in sponsa reperiri, subiecta sponsus similitudine propalat.

Generosi equi Domino insidenti lenes sunt; aliis intractabiles.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

Angelo, quo tanquàm equo meo vèhebar olim, dum in sinu Arabico currus Pharaonis euerterem, te similem feci.

BElli consultissimus sponsus est, Sabaoth, Deus ob id appellatus, quapropter bellicum sibi iure comparat apparatū, in dæmonem Pharaone significatum præliaturus. Armat equitatum, quo apparatus belli notatur vniuersus, propter nobilissimam equi naturam, firmissimum in præliis robur. Nam ingenuè hoc animal sese periculis obiicit; irrumpentium gaudens clamore copiarum. Tubarum exultat clangore; hastarum ictus, clypeorum collisionem minimè perhorrescit, sed fidentiùs ingreditur, & in confertissimos hostes, adactis leuiter calcaribus irrumpit. Equi verò, quibus spōsus vehitur, Angeli sunt, quibus, quasi vectus & insidens, sua

Apparatus belli notatur.

Equi natura.

Equi sponsi sunt Angeli.

ducit

agmina, aduersamq; potentiam tyrannidemque coërcet. Quod, præterquam quòd est diuinæ Theologiæ oraculum, quo docemur, dæmonum impetū, quo in nos debacchari moliuntur, à Deo per Angelos elidi & frangi, sacrarum etiamnum historiarum veritate sancitur. Cum enim Israëlis Pharaonem fugientis castra duceret Angelus, qui selectum illum populum columna, & nube præibat, & tuebatur; iamque præceps Pharao rubri maris aluеum ingrederetur, respexisse dicitur Dominus per columnam in Ægyptiorum castra; non quia ductor Angelus non esset, sed quia, velut equo generosissimo, Deus illi insederat, vt gentem, quam sibi cooptarat, propugnaret, hostemque dirueret. Huiuscemodi ergo equos sponsus conscendit, sicut scriptum est, (Qui ascendis super equos tuos) & his ait esse similem sponsam, dum sic eā affatur. Equitatui meo, & ex He- Exod. 13.

bræo, Equę meæ, ex Septuaginta verò interpretũ versione, Equo meo, assimilaui te, quæ omnia sensum eundem reddunt. Porrò ex anima charitate prouecta (quo quidem in genere eadem est Angeli, hominisque mensura) tanquàm ex equo nobilissimo, quo vehitur sponsus, tela suæ potentiæ euibrat, hostisque animam inuadentis arcet improbitatem, non aliter, quàm olim per Angelum dimicans, respiciens per ignis columnam in Ægyptiorũ currus, Pharaonis temerè insanientis repressit audaciam. Fecit ergò sponsus Angelicæ sublimitati sponsam, persimilem, in Pharaonis curribus euertendis, ac dissipandis. Hæc prima est interpretatio.

Secunda interpretatio.

Secunda eruitur ex scriptore huius cantici, eiusque historia. Porrò Salomon, qui numine afflatus hoc carmen scripsit, loquitur Dei personam agens, sicut Angelus in veteri testamento, nomine Dei plerumq;

loque-

loquebatur, præcipiebat, hortabatur. Constat autem, Salomoni, ex Ægypto, seu Pharaonis regno, equos duci solitos fuisse, & currus, vt tertij Regum narrat historia. Sic enim habet inter alia, c. 10. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa, & paulò pòst. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti. Habebat ergo Salomon equitatum in curribus, seu quadrigis Pharaonis, hoc est, ab Ægypto, seu Pharaonis regno missis. His verò vtebatur Salomon ad regni præsidium, sicut scriptum est. Congregauitq; Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitũ, & dispoſuit eos per ciuitates munitas, & cũ Rege in Hierusalẽ. Sponsus ergo loquens per Salomonem, aut Salomon, velut in comœdia sponsi personam agens, ait, se spõsam equitatui suo in Ægyptiis curribus comparasse. Quæ simi-

litudo sic accipienda est, vt sponsa, quæ ante in regno Pharaonis, hoc est, dæmonis seruiebat, & Ægyptios, hoc est, dæmones vehebat sessores, à Salomone, hoc est, sponso, magno pretio empta, in eius equitatum sit ex liberalitate vocata, & ad Ecclesiæ, cuius rex sponsus est, robur præsidiumque pertineat. Sic ergo sponsus loqui credendus est. Eras, ô sponsa, equus Ægyptius, effrænis, sed ego redemi te, & redemptam assimilaui equitatui meo, quo ego in curribus à Pharaone redemptis vtor in regno meo. Habet sponsus equitatum, & currus, hoc est, animas plurimas, è dæmonis seruitute, in Hierusalem libertatem assertas, vt Moysen, Paulum, Augustinũ, quibus ipse vectus, regnum Ecclesiæ obequitat, & tuetur, & his similem spõsam fecit, quæ magna profectò illius laus est. Quãobrem iure pergit eam excelsam dignitatem, ac meritorum magnitudinem commendare.

Pul-

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

Quemadmodum extincto alterutro sexu, venerem turtur execratur sponte sua, ita tu, cum quasi extinguor, me celans, amorem execraris externum, & genarum exortus rubor, te indicat, me tametsi absentem vereri, adeò vt robur ipse sit quasi frænum; quo genæ suauiter premuntur, chamo, frænoque duriore minimè indigentes.

NE nomen equi, quo adulterij rabies à Hieremia significata est, sponsæ aliquam violati tori labis notam inureret: Neuè quis suspicaretur sponsam chamo, frænoque tanquàm hinnientem præ lasciuia equum indigere, subiecit sponsus arcanam turturis similitudinem, vt huius animantis ingenio, sponsam à calumnia vindicaret. Inquit ergo (Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis) Rubore, qui, præ verecundia, tu-

as genas obducit, illaſque venuſtat, mirificè delector, quia turturis rubor eſt. Quemadmodum enim turtur, alterutro coniuge extincto, nequaquã induci valet, vt veneri vltrà indulgeat, in primum amatorem ac coniugem vim amoris effundens; ſic tu, rubore genas perfundẽte, erubeſcis, nec induci potes, extraneum vt admittas amorem, ſi quando ego videor extinctus, dum cõſultò me celans, voluptatemq; meæ præſentiæ ſubducens feſtinus abſcedo. Sic igitur, ne quid turpe cõmittas, opus nõ eſt te reprimere, vimq; inferre, chamo & freno genas cõſtringente. Pudor enim ipſe, ex amore profectus, te in officio continet, actuſque omnes ad amuſſim legis coniugalis facit effingere. Hæc prima eſt explanatio.

Turturis natura deſcribitur.

Secunda verò maximè arcana eruitur ex Hebræo textu, qui ſic latinè redditur. (Decoræ ſunt maxillæ tuæ in murænulis, vel propter

Secunda interpretatio.

marga-

margaritas (vbi cernimus pulchritudinem genarum sponsæ, ab ornamentis murænularum, vel vittarum, in quibus margaritæ lucent, commendari, sumpta metaphora ex puellis, ex quarum auribus inaures, vt catenulę, vel aliàs margaritis consertæ pendere, ac ità genas ornare solent. Qua quidem imagine sponsus declarat, sponsam non egere lupato, seu asperiore fræno, equorum indomitorum more; sed eam aure duci. Nam verbis sponsi aure perceptis, tanquam aureis inauribus totam faciem honestat, & illis suauiter trahitur, non indigens alia vi ad Deo obtemperandum. Quod profecto mysterium Chaldęus paraphrastes eleganter expressit, verba hæc de populo Israël, in quo plures erant sponsæ similes, interpretans, & sic aiens. (Quando egressi sunt ad desertum, dixit Dominus ad Moysen: Quàm pulcher est populus hic, vt dentur eis verba legis, & sint sicut

inau-

inauris in maxillis eorum, vt non recedant à via bona, ſicut non recedit equus, in cuius maxilla eſt frænum.) Qua ex re planè perſpicitur, ſponſam non equum ferocientem, ac petulantem, ſed ingenuum, equitique parentem imitari, non verbere, & calcaribus, ſed phaleris indigere. Quod ſponſus perpulchra colli figura commonſtrat, nam ſic ait.

Collum tuum ſicut monilia.

Collum habes in ſeipſum recuruum, ſicut orbiculata monilia, & ſic oculos ad tuum greſſum moderandum ſemper conuertis.

MONILE Græcè hormiſcos appellatur, ſimilitudine locorum maritimorum, quorum littora in lunæ ſunt cauata figuram. His nimirum locis, quæ hormi vocantur, monilium figura, in ſeipſam reflexa reſpõdet. Cœpit autem ſponſus commendare ſponſam, ſub equi perele-

Equi ſimilitudo.

ganti

ganti similitudine, cuius genis ruborem pudoris indicem, tamquam elaboratum, suaueque attribuit frænum. Qua in translatione persistēs, colli laudat elegantiam à figura circulari in seipsam recurrente. Sic quippe inter notas equi generosi colli curuitas solet commendari, vt, cum graditur, crura ipsemet suā, vngularumque positum inspectare videatur. Sic & sponsa, equus videlicet generosus, quo sponsus vehitur, collum habet elegās in se recuruum, vt subinde suum incessum, cursumque prospectet, nec inopina in lapidem impingat, in salebras incidat, vel dæmonis tendiculas oscitanter incurrat. Collum hoc recuruum, quod sponsa ad semetipsam torquet inspectandam, ea est virtus, quæ à sanctis Patribus Oratio mentalis nuncupatur, quæ instar colli porrectam à sponso escam potumque excipit, & in spiritalem ventriculum traijcit. Verè enim tunc sponsus a-

Oratio mētalis.

nimam

nimam pascit, & per id collum dapes cælestes animæ ingerit. Huius ergo arcani colli laus eximia est, vt sit sicut monilia, hoc est, vt sit in propriam cognitionem reflexum. Sunt enim plerique, qui vix orationis primordia summis labijs deguſtarunt, & inani quadam elatione delusi, collum nimis erectum habent; hiant enim ad superna præmaturè, suique immemores id collum ad se non retorquent, quia de semetipsis purgãdis, ac edomandis minimè cogitant. Propter hoc ergo sponsus commendat sponsam à colli curuitate, quasi hæc figura illi potissimum placuerit, quod alia ex Hebræo versio apertius indicat, in qua post illa verba (Decoræ sunt maxillæ tuæ in murænulis) additur, Collum autem in torquibus, quasi sponsus diceret. Colli tui arcani elegantia, & decor in torquibus, seu monilibus, hoc est, in figura ad seipsam reflexa eximiè lucet. Poterat nimirum, ob alias dotes, ora-

tionis

tionis collum Symbolicum laudare, verum illam tamquam sponsæ vtilissimam, Deoque gratissimam, quam laudaret, aspexit, quòd orationem ad propriam cognitionem, instar equini colli retorqueret. Cum igitur sponsa sit adeo sedula, in proprio incessu moderando, & ad equitis nutũ componendo, non est sane adductis habenis reprimenda, nec domitori tradenda; nec verò eques de habenis ex firmiore corio inijciendis, sed de catenulis mirificè elaboratis, habenarum loco sufficientis cogitat, ideoque ait.

Murænulas aureas faciemus tibi.

Inijciam tibi catenulas muræna referentes, tenues eas, & adornandum, non trahendum, cogendumque fabrefactas, quod est, tuæ symbolum obedientiæ, quæ libens ducitur, quo impero, nec habenis eget violentis.

VLTRO mihi obtẽperas, ò sponsa & cum præsagis, quid malim, tẽ-

pus anteuertis. Non ergo mihi ad te flectendam, & edomandam, nitendum est; nec vero habenis eges ad coactionem, sed ad venustatem, & ornatum, vt phalerata incedas. Decreui ergo, catenulas tenues, murænarum imaginem aspectui gratam referentes ex auro conserere, illasq; tibi ad ornamentum inijcere. Non te iniutam traham, sed volentem ducam, nec enim pertenues catenulæ ad inferendam vim quidquam prosunt. Insignis sponsę in obedientia progressio, nouo isto, planèque miro habenarum opere notatur. Adeo enim promptè, ac suauiter obaudit, vt, quod vulgo iactari solet, laneo filo ducatur. Quo quidem prouerbio, voluntatis ad parendum significatur expeditio, & spiritus pernicitas. Quod vt exactè intelligatur, concipiendus est sponsus sub imagine corporea suaue quoddam frenum, habenasque ex aureis catenulis consertas sponsæ, velut equo ge-

Sponsæ progressio in obediẽtia.

neroso

neroso inijciens. Hæ igitur habenæ mysticè virtutem obedientiæ notãt, per quam, velut per illas tenues catenulas, sine vi vlla, immo eximia cum suauitate sponsam ducit, quò vult. Materia verò catenarum, arcanum quiddam suggerit; est enim aurea, vt diuinæ charitatis auro notatæ natura, in cuius finem vniuersa obedientiæ opera, ex ipsius charitatis ingenio, ac imperio sunt destinanda ista saltem adumbretur imagine. Hæc prima est interpretatio.

Aurum diuinæ charitatis naturam insinuat.

Iuxta Septuaginta Interpretum versionem, quæ pro murænulis aureis (simulacra auri) habet, secunda huius textus interpretatio educi potest, in hunc modum: Porrò auro maiestas regia notatur, quod & sacris, & profanis scriptoribus compertissimum est. Cum verò de regia maiestate agitur, per antonomasiam sponsi maiestas intelligitur. Vnde & per aurum hic, sponsi notatur maiestas. Cum verò maiestatem

Altera interpretatio.

Auro & maiestas regia notatur.

ſponſi, vel habere, vel æquare nemo poſſit, excelſa certè dignitas eſt, ſi quis eius maieſtatis ſimilitudinem gerat. Et hoc ad eximiam ſponſæ laudem ſpectat, quòd ſponſus, auri, hoc eſt, ſui ipſius ſimilitudinē ſponſæ faciat. Hæc autem ſimilitudo in hoc ſita eſt, vt quemadmodum ſpōſi maieſtas lege non cogitur, ſed ipſe eius directione vtitur, ita ſponſæ, vtpote, iuſtæ, lex poſita non ſit, quæ illam cogat, nec enim eget, ſed ipſa, legis vi dirigente vtatur, & in hoc regiæ maieſtatis ſimilitudinem gerat, quòd Regis, ſeu principis more, lege non cogatur, ſed dirigatur. Poſtquam autem, aureas ſponſus fabrefecit ſponſæ catenulas, aurive ſimilitudines, quibus, ad parendum legi, inſignis animi promptitudo, obedientiaque ſignatur, tuto illi doctrinæ ſuæ ſponſus dogmata, argento ſignificata obſeruanda committit; ideoque ait.

Ver-

Vermiculatas argento.

Habenas istas, quibus obedientiæ tuæ exprimitur perfectio, argento liniemus, ita vt arctè illis argentū inhæreſcat. Quod arcane fiet, cum mea doctrina argenti puritate, & candore ſignata, animo tuo obtẽperanti imprimetur, & arctè inhærebit.

VERMICVLATVM opus dicitur, quod teſſellis inſititijs, vermiculos referentibus, concinnatum eſt, quod interraſili opere, in ligno, oſſe, iaſpide, vel marmore ſcalpto paſſim fieri ſolet. Fit vero etiam ab inauratoribus, abſque vlla ſculptura, cum aurum inductis argenti lineis, punctiſve vermes imitantibus ornant, & variant, vt pallor ille auri natiuus, inter albicantes argenti guttas, & puncta, ſpecioſa ſe prodat varietate, quod Hebræa ſatis clarè notant, cum Latinè reddita ſic habent (Murænulas auri faciemus tibi, cum punctis

argenti.) In hunc ergo morem aureis murænulis argentum sponsus decreuit inducere. Vulgatum est, argenti, candore ac tinnitu sponsi doctrinam puritate, ac sono insignem præferri. Quid ergo innuit hęc punctorum, guttarumve argentearum, auro inducta pulchritudo, nisi sponsi doctrinam obaudientis sponsæ animo diuino hærentem artificio? Quot enim dogmata illius animo à sponso imprimuntur, tot puncta dicũtur auro induci. Porrò postquam obedientiæ accessione sponsa cumulata fuerat (quod in aureis catenulis symbolum latebat) opportune admodum sponsi doctrina, & vox clarè sonans, ceu argẽtum igne examinatum, obtemperanti animo, ad gloriam, & venustatem debebat hærere. Recenseri autem par est, hanc eximiam inter laudes sponsæ vniuersas. Si enim sponsi monita illius cordi alte adeo inhæresc unt, emetietur profecto actus omnes suos ad

Argentum doctrinam sponsi insinuat.

sponsi

sponsi nutum, quo nihil ad veræ virtutis absolutionem accommodatius poterat excogitari. Postquam verò sponsus nonnullas recensuit sponsæ laudes, quibus internam, externamque illius extulit pulchritudinem, sponsa gratè commemorat, quemadmodum ex sponsi commercio hæc bona receperit.

SPONSA.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Dum Rex sponsus, postquam lectum voluntatis meæ stratum vidit, ibi accubaret, charitas erga ipsum mea, nardi expressa symbolo, effudit odorem suum, qui ei peculiaris, & quàm suauissimus est. Ipse præterea sponsus, nardus mea est, me calefaciens, ac odore suo imbuens.

SPONSÆ voluntas velut arescens, ac humore destituta, ob sponsi amicitiam, more terræ Solis ardo-

re peruſtæ dehiſcens, identidem implorabat ipſum, cum vox illa deſiderij interpres erumpebat (Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes) quam ipſe libenter exaudiuit, & affuit, explicataſque proximè ſponſæ laudes recenſuit. Subtrahit enim ſe; at citò ſtudet reperiri moræ impatiens. Oportet autem hanc viciſſitudinem, inter ſeriò amantes eſſe crebram, quò ſitienter bonis ereptis inhient, & ſuauiore poſtmodum voluptate, cum redduntur, tamquam ingenti aquarum affluxu perfundantur. Obſeruans verò, quaſi ex inſidijs ſponſus humaniſſimus ſponſæ voluntatem hiantem, lateque patentem, in ipſam irrepſit, qui eſt proprius, ac optatus illius accubitus, in quo cum coniuge conquieſcit, & miris charitatem auget incrementis. Quamuis enim in ſponſæ voluntate ante proculdubio fuiſſet, verum ſe abeſſe ſimulabat, & ſe conſulto non prodebat. Nunc verò cum

ſe ma-

se manifestat ipsum, voluntatemque adurit, noua & potiore quidem ratione in accubitu dicitur esse. Pro accubitu aliqui ex Hebræo vertunt (circuitum) quod in præsentem sensum apprimè quadrat. Est enim sponsæ voluntas sphæra quædam, ambitus, seu circuitus, sponsum vndique complectens, & vallans; & hæc propria est sponsi sphæra, sicut igni, cæterisque elementis, à natura sua sphæra propria definita est, ad quam elementum, cum inde abest, semper tendit; ac exinde, cum in illa est, velut in natiuo loco conquiescit. Rectè igitur expensa metaphora, sponsus dicitur in accubitu, circuitúve voluntatis sponsæ cubare, hoc est, conquiescere. In hoc autem accubitu, nardus dicitur odorem fudisse suum. Sicut enim odorati pastilli admoto igne colliquefiunt, odoremque fundunt, ita nardus, quæ est sponsæ charitas, admoto sponsi propa-

lantis igne lenteſcens, in voluntatis fornace ſuccenſa, odorem ſuum exhalauit, cuius olfactu mirificè ſponſus delectatur. Odorem, inquit, ſuum, hoc eſt, proprium, ac peculiarem, quo à cæteris rebus odoratis facilè ſecernitur. Hic eſt ſponſi Chriſti odor, quo fragrant, qui cum ipſo inière commercium, habentque conſuetudinem, quemadmodum qui paſtillos contrectant, manibuſque verſant, odorem ipſorum contrahunt. Nimirum cum ipſamet charitas, nardi ſymbolo, vt proximè explicauimus, expreſſa, ſit manus, aut brachium, quo ſponſum contrectat, & amplectitur ſpõſa (charitate quippe conſtat arctiſſimus ille voluntatis cum ſponſo ibi cubante complexus) efficitur omnino ſponſam diuino ſponſi odore imbui, dum agit in accubitu. Nardo charitatem exprimi, quæ tota ignea, & feruens eſt, facilè perſpiciet, qui plantæ huius deſcriptionem contemplatus fuerit.

Enim-

Enimuerò si nardum, cuius est vsus in medicina, expendamus, comperiemus nardum radicem tantum esse, & non aliam plantæ partem; eiusq; radicis partes, vt conferti glomi, toruliue compacti, quòd spicarum formam referant, à peritissimis Medicis spicæ nardi appellantur, quibus excalfaciendi vis ordine primo tribuitur. Si nardi folium contueamur, expetitum maximè ad vnguenta cernemus. Erat enim mos olim, non Palæstinis modo, verum & Romanis, vnguentis pretiosissimis ex nardo confectis capillos delibutos gestare. Si odorem optemus, nardus (quod vulgatissimum est) odore præstantissimo commendatur. Calor autem spicæ latentis, ordine primo à Medicis laudatus, charitatis suopte ingenio calore æstuantis, corde conceptæ symbolum existit. Vnguentum verò ex folio, & odoris fragrantia externi sunt amoris latẽtis indices, quales apud amantes

Nardi vsus in medicina.

passim conspicimus, quibus mos est eiusmodi & vnguentis pretiosis se delibuere, & odores cõparare. Plura sunt alia, quæ, si exactè trutinentur, diuini amoris vim planè cælestem apprimè significant, quæ tanquam peruia prætermittimus. Subit autem mentem secunda huius loci non inepta interpretatio, quæ sub nardi symbolo sponsum intelligit; cui natiua competit animos glaciatos calfaciendi, cælestemque odorem fundendi proprietas. Quasi sponsa diceret. Dum esset Rex in me cubans, ipsemet, qui est nardus mea, me excalfaciens, obungens, ac odore imbuens, exhalauit odorem suum. Quemadmodum enim sponsus habet nomen suum, quod est super omne nomen, quo ab vniuersis internoscitur rebus; ita & odorem, quo à cunctis aliis rebus odoratis facilè discernitur, cuius efficitur consors, quicumque ipsi arctissimo amoris fœdere sociatur.

Quia

Quia verò huius odoris hauſtu recreata, quodam voluptatis amne velut obruta fuerat ſponſa, ne quis fortè ſuſpicetur eam ſemper à ſponſo voluptate mulceri, quod huius ex ilij lex minimè patitur, hæc verba ſubtexit.

Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi.

Cum acriora præcipit ſponſus, fit mihi myrrhæ amaræ tactus, aſperiore rigentis faſciculus.

NON mihi nardus dumtaxat, verum & myrrhæ faſciculus ſponſus eſt, nam velut alternis poculis, dulcore ac amaritudine me potat. Dum accubabat mihi, tanquam nardi odoratus faſcis meo pectori ad conciliandum hærebat odorem, meque ſuauitate capiebat. Non tamen abfuit omnino ab accubitu illo myrrhæ ſelectæ ſurculis concinnatus faſciculus, tunc ſanè prælibatus, poſtmodumque depaſcendus; futuræ quippe ari-

ditatis,

ditatis, laborisque acerbi, quem perlatura eram imperante sponso, meis oculis fuit imago repentè obiecta, vt risum præsentem venturi luctus imago temperaret. Arcanum quiddam sponsa retexit, quod neutiquam oscitanter præteriri debet. Sapientis cõsilium est perquam opportunum, felicitate non efferri, sed instantis calamitatis meminisse; sicut enim humanus animus moderationis admonitus, prosperitate parcè vtens ad calamitatem ferendam æquanimiter se comparat. Prosperitate vires concipit, & armatur animus futuri memor, ac proindè nõ succumbit irrumpenti aduersitati. Cuius sanè dogmatis sponsus ipse fuit assertor, cum in Taboris montis vertice, quò nos erudiret, dum mortale corpus gloriæ quadam breui exundatione absorberet, Moysen & Heliam accersit, non de præsenti effaturus gloria, verùm de excessu, quem (vt ait sacer textus) complet-

Felicitate non efferri, sed instantis calamitatis meminisse par est.

Sponsus in monte Tabor non tantum de sua gloria, sed morte futura innuit.

turus

turus erat in Hierusalem, hoc est, de acerbissimo genere mortis myrrhæ symbolo notatæ, qua erat interimendus. Monet igitur nos sponsa dogmatis huius non ignara, se adhuc nardo arcana fruentem, ferendi laboris philosophiam (velut alterum Ioannē) ex sponsi pectore hausisse, ac tum deliberasse, quascumque inferendas sibi ærumnas, vel optandas vltro, generosè subire, austerioriſque vitę inire rationem; quę quidem omnia laborum genera vnius arbusculæ myrrhæ significatione celantur. Nimirum arbuscula hæc in Arabia nascens, minor quàm thuris arbor, altitudine ad quinque ferè cubita adolescit. Conuenit autem inter auctores, qui hac de re scripserūt, eam esse scabram, spinosam, foliis aculeatis, caudice duro & intorto, è cuius vulnere defluit lachryma gustu acris, cum amarore, quæ glutinandi, siccandi, & abstergendi vim habet egregiam. Quæ quidem omnia

Myrrha in Arabia nascitur.

Vitæ austeritas quasi herinaceus.

mnia adeò sunt apta ad vitæ austeritatem pingendam, vt ne voto quidem aptiora possent excogitari. Vitæ videlicet austeritas est herinaceus quidam contractus, ac in se conuolutus, cuius hæc arbor elegans imago est, quam si velis attrectare, scabro cortice, aculeisque foliorum lædaris, aut pungaris oportet. Si eius lachrymam vel primoribus labiis deguſtes, acrimonia, & amaritudine infesteris opus est. Et hanc viam salebrosam, rupibusque rigentem prius debet carpere, quàm in paradisi conuolet amœnitatem, qui ad charitatis fastigium peruenire contendit; sic enim tanquam myrrhæ pharmaco resolutus luxu glutinatur, ac constipatur animus, arente humore noxio, qui ante in sinus eius permearat, & acrimonia vitæ affectum scalpente detergitur. Quæ omnia penitissimè sponsa cõtemplans, velut in montis vertice consistens, dum nardi voluptate

delini-

delinitur, agit cum sponso de excessu, hoc est, de semetipsa vexanda, & austeritate crucianda ob ipsius sponsi amorem ardentissimum, qui propterea myrrhæ fasciculus appellatur. Nempe dum mulcet, ac delectat, nardus; dum labores immittit, aut præcipit, myrrha, pulchra translatione vocatur. Vt verò liquido perspiciatur, quàm auidè sponsa charitate saucia, laborem ab sponso impositum subire cõstituat, subiuncta verba plurimùm conferunt.

Fasciculus myrrhæ.

Inter vbera mea commorabitur.

At verò inter vber vtrumque reponam illum, cum laborem amarum vtroque septum amore complectar, & perferam.

NON ægrè feram myrrhæ puncturas, & amaritudinem, nec ad inhonesta loca reiiciam fascem ab sponso mihi porrectum; verum in loco omnium potissimo, ac

mo, ac maximè cõspicuo reponam; inter vbera videlicet, vt inhæreat pectori, ac vberibus sepiatur, more amantium puellarum. Notissimum est vbere amorem notari; est enim amor suopte ingenio tener, ac dulcoris effector, & suo quasi pondere in rem dilectam fertur; sicut vber constitutione sua est molle, lactis, quod facilè reddit, plenum, & corporis anguſtiam non ferens extumescit, ac pondere suo in fœtum procumbit. Myrrhæ igitur manipulum inter vbera sponsa collocat, cum amore gemino, Dei scilicet, ac proximi, & laborum acerbitatem & austeritatem vitæ velut brachio amplectitur vtroque. Profectò insignis est in huius verbis textus energia. Fasciculus quippe myrrhæ locatur inter vbera, loco videlicet cordi proximo, &, quod mirum est, non breui manet ibi, quasi confestim elidatur, sed commoratur. Pugnat nimirum aperto Mar-

Vber amorem designat.

Amor Dei & proximi.

te hæc

te hæc lex ſpiritus cum lege membrorum, quam generis noſtri maxima pars amplectitur. Cum enim ſponſus ſe quaſi reſurgentem, gloriaque coronatum, læta nuncian-tem exhibet, paſſim locatur inter vbera; cum vero fit myrrhæ faſciculus, & amaritudinem ingerit, vix inuenit lucum cordi propinquum, ſed ægrè recipitur collo impoſitus grauis iugi modo ſtatim detrectandus. Si verò fortè à quopiam ſpiritu vehementi flante ponitur inter vbera, non ſinitur ibi commorari, ſed eueſtigio repellitur, raroque à quopiam hic myrrhę faſciculus cordi inſculpitur. Ex quo patet, ſponſam iure laudari debere, quæ illum inter vbera repoſuit, & ibi commoraturum pollicetur. Hæc ſanè laus eximia eſt, quæ in ſponſæ lucet ornatu, quæ ad abſolutam magnoperè confert venuſtatem. Anxietatem quippe ſiue aliundè illatam, ſiue vltrò quæſitam, non coacte,

non moleſte ferre, ſed amore impellente complecti, egregium facinus eſt, quo Deus capitur quàm facillime. Eſt autem clementiſſimi ſponſi adeò liberalis natura, vt, cum voluntatis expeditionem tanquam è ſpecula proſpexerit, accurrat ipſe, & ipſam voluntatem non modo afflet, verum præ immiſſa voluptate ſenſum doloris eleuet, quod ſponſa fatetur aiens:

Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi.

Humanè mecum agit ſponſus, nam vino generoſo, quod botrus notat, propinato, me tanquam ſenſu alienat, ne admodum myrrhæ amaritudinem formidem, aut ſentiam.

Mos antiquus apud aliquas nationes.

APVD nationes aliquas mos olim inualuit, vt morte plectendis, commiſerationis ergò, vinum generoſiſſimum propinarent, vt illius hauſtu præuenti, ac ſenſuum vſura non parum alienati, inferendi

ſuppli-

supplicij acerbitatem minime sentirent. Ad morem hunc satis humanum, ac lenem sponsa videtur alludere, cum sponsum, qui myrrham interdum porrigere, hoc est, inflicto laboris verbere, ac examine ipsam solet acriter cædere, ac velut patibulo affigendam tradere, fatetur adeò esse humanum, & ad commiserationem propensum, vt cum ipsam immissa calamitate, & ariditate, tanquam myrrhæ liquato poculo vult experiri, laboribusque obruere, vel certè, cum vltro ipsa se torquere parat; tunc ille vino propinato, quod Cypri insulæ generosi vini feracissimæ botro notauit, sponsam ipsam consopiat, doloriſque sensum miro modo eleuet. In hunc ergo modum effatur sponsa; etsi sponsus ceu myrrhæ gustatus flos me interdum amarore diuexat, est tamen ipse humanissimus, cum quo ab infantia creuit miseratio, ac pindè velut expresso bo-

tro vinum offert, cum me voluptatis influxu demulcet, sensibusque quodammodo præ suauitate alienat, vt parum formidem ac sentiam permixtam dulcori myrrhæ amaritudinem. Quod autem subtexit, in vineis Engaddi, qui locus est in Iudæa vitium satu nobilis, ad eandem facit explanationem. Est autem phrasis poëtica, botrum in Engaddi nascentem, nuncupare Cypri botrum, ad eius generis perfectionem explicandam, quemadmodum Leones Pœnos, Tigresque Armenias, quamuis nec in Aphrica, nec in Armenia nascentes, figuratè vocamus. Interpretatio hæc nomine Cypri insulam intelligens, huic loco satis est opportuna; quam profectò non debuisset licenter adeò quidam recens huius libri interpres expuere, ac animiam illi imperitiam adscribere, cum sit clarissimorum Cantici huius explanatorum consensio, Cyprum hic insulam esse vuarum pro-

uentu

uentu laudatissimam. Sic existimarunt S. Gregorius Papa, S. Bernardus, Venerabilis Beda, S. Anselmus, Rupertus Abbas Tuitiensis, S. Thomas, Dionysius Carthusianus, & alij. Nec mirum aut nouum censeri debet nomen Cypri, quod infra cap. 4. aromatis genus significat, ac eisdem, quibus hic characteribus scribitur, (est enim vtrobique Hebraicè כפר Copher) varios sensus reddere; nam ex quouis etiam vulgari idiomate promi possunt voces eiusmodi varia sensa claudentes. Et quidem si auctor ille ideò Copher, vel Cyprum ait insulam non significare, quia illud aroma significat, necesse erit, ceteras omnes interpretationes, præter vnam illam suam, ineptas esse, ac propterea nobilissimos quosque explanatores, non Latinos tantum, verum & Græcos explodere. Porrò Origenes iuxta S. Hieronymi versionem, botrum floritionis pro

Interpretes cantici canticorũ.

botro Cypri transtulit, cui Theoderetus, Psellus, alijque Græci botrum florentem exponentes astipulantur. Gregorius Nyssenus Cyprũ florem vitis asseruit. Rabbi Abr. in Epitome thesauri linguæ sanctæ allegatus, putat esse nomen loci, vbi botrus prouenit, vel genus palmæ gignentis dactylos, Chaldæus paraphrastes botrum vuarum vertit. Lyra censuit esse aromaticam, nomine Cyprum, nec qualis esset satis exposuit. Alij demum censuerunt esse medicamentum quoddam, quod Arabibus Capur, seu Casur appellatur, veteribus Græcis ignotum, recentioribus autem κάφρεαν appellatum. Latini Caphuram, officinæ Camphoram vocant, & sic Isidorus, Clarius Brixianus, botrus camphoræ transtulit. Hæc paulo fusius præter consuetudinem scripsimus, vt sanctis Patribus deferatur honor. Est quippe liberum cuique, quam maluerit interpretationem,

com-

communi sanctorum Patrum sententiæ non repugnantem, aut dissentaneam seligere; non autem imperitiæ notam Sanctis inurere. Vbi notandum est allatam de Cypri botro interpretationem semper manere inconcussam, licet enim non omnes allati Patres per Cyprũ, insulam illam intellexerint, satis profecto est, cõmunem esse sanctorũ Patrum Græcorum, & Latinorũ consensionem, botri nomine, vuarũ racemũ intelligi debere, siue is ex Cypro insula, siue aliunde sit. Interpretatio quippe nostra, non insulæ Cypri, sed botri significatione nititur. Nunc demum Copher vltimã, quã attuli, significationem persequar, secundãq; huic loco interpretationem affigã. Qui accuratè de aromatibus Indicis scripserunt, tradũt Copher, seu Caphuram esse arborem nuci iuglandi similem, cuius materia cinerei est coloris, faginæ assimilis, interdum nigrior, & medio-

Secunda interpretatio.

criter ſolida. In huius arboris ligni medium gummi quoddam excurrit, quod poſtmodum extrahitur, aut per rimas exſudat, quod cum cõcreuerit, facile in botri, aut cuiuſuis alius rei figuram compingi, & informari poteſt, non enim arbor illa fert botros. Tria vero notatu maximè digna de hoc gummi à probatis auctoribus excerpta, prætereunda non erunt. Aiunt Caphuram in aqua flagrare: deinde tradunt eam humore madere, ſi in recenti & calido pane condatur. Aiunt denique, niſi ſedulo aſſeruetur, ex operculatis etiam thecis nonnumquam euaneſcere. Quę profectò tria ſponſo impendio conueniunt, vt non immerito botrus Copher ſit appellatus. Etenim in hoc ſpiritali humani generis cataclyſmo, quo aquæ culpæ hyemales tum origine permanantes, tum volũtate praua erũpentes mundum obruerunt, & ignẽ charitatis extinxerunt, in medio

Caphuræ natura.

ipso diluuio extans, & erectus fluctibus ipsis velut oleo pascitur, & more lampadis accensus flammam charitatis emittit, quam flumina nequeunt obruere. Sic ergo in aqua sponsus flagrat. Iam autem, si postquam ille ventum emisit australem, qui aquas diluuij huius absumeret, & humore culpæ noxio demum excocto, anima spiritus flantis cęlestem calorem conceperit, vt panis recens appellari queat, tunc sponsus arcano quodam illapsu animam ipsam cæleſtis gratiæ, ac voluptatis rore conspergit, aquamque diluuij infectam hoc rore permutat, ac proinde verum est, spiritalem caphuram recẽti pane concluſam humore madere. At tunc, nisi cõdita semel, per quàm sedulo asseruetur, elabitur quidem, & euanescit, quod altè memoriæ sculpendum est; nam si sponsus (qui hac proprietate Caphuræ velut effigiatur) semel sit à sponsa dignè exceptus, & tamquam operto vase in-

cluſus, non continuo tanti Regis magnitudini ſatisfactum eſt, nec eſt ymquam ab eius cultu, & veneratione ceſſandum, aliàs irritatus anfugiet. Nunc igitur Spiritus ſanctus hæc & alia plurima Cypri botro complexus, ſponſam introducit ſic aientem. Botrus Cypri dilectus meus mihi, hoc eſt, ſponſus tamquam racemus Caphuræ compactilis fuit, mihi lampas quædam, dum ego olim ſcelerum aquis fluctuabam, quibus ipſe velut oleo vtebatur. Poſtquam vero pręualuit lampadis flamma, & abſumpſit aquas, ipſius ego calorem concepi, ac recens quidam panis euaſi ipſius humore reſperſus. At modo multo mihi vigilantiſſime enitendum eſt, ne vlla noxa laceſſitus effugiat; omnes pori ſunt obturandi, omnes meatus obſtruendi, habeo quippe theſaurum in vaſe fictili, quod eſt multis caſibus obnoxium. Hactenus de ſecunda expoſitione dictum ſit, quæ primæ mi-

nimè reluctatur. Vtraque vero confert, vt clarè cernamus, sponsus, quàm sit erga sponsam humanus, & quàm curet sedulo myrrhæ amaritudinem cum suauitate miscêre. Iam autem longum iter emensi, sponsum audiamus laudes sponsæ rependentem.

SPONSVS.

Ecce tu pulchra es amica mea. Ecce tu pulchra es.

Bis pulchra es, ò sponsa, & ideo pulchra, quia per charitatem, veram nempe animæ pulchritudinem, es effecta amica mea. Interna tua pulchritudo partium animæ cõcordia, & proportione cum splendore constat. Externa verò exteriorum actionum moderatione concinna cum splendore conflatur.

BIs pulchram appellat. Est autem pulchritudo debita membrorum proportio cum quadam suauitate coloris. Oportet ergo duplicem esse proportionem, duplicẽ etiam

Pulchritudinis delineatio.

Duplex pulchritudo, interna & externa.

iam coloris temperiem, vbi gemina elucet pulchritudo. Quod profecto ita est accipiendum, vt altera interna sit, & externa altera, vtraq; tamen longo dissita interuallo à corporis ea pulchritudine, qua scelesti etiam homines persæpe sunt præditi. Prima verò ac princeps pulchritudo, qua sponsa præstare cernitur, ex debita potentiarum animæ proportione conflatur. Potentiæ quippe trãslate membra dicuntur animæ, quæ si officio fungantur velut harmonicè dispositæ, sibi mutuo connexæ absque ordinis perturbatione, obtemperante rationi appetitu, ac eius

Adæ anima.

partibus, mira tunc existit concinnitas, quæ quamdiu perstitit, Adæ anima pulcherrima fuit, Et huius harmoniæ solutio, propria est & natiua deformitas, quam & origine contrahimus, & peccatis augemus. Ex hac denique harmonia partium animæ, quidam spiritalis splendor e-

Splendor animæ.

lucet, qualem armis obsepta splen-

denti-

dentibus emittit castrorum acies ordinata, & hic est internus color, quem sponsus auidè intuetur. Est autem animaduertendum, & proportionem, & colorem hunc, non animæ partibus ipsis sua hærere natura, sed esse cælitus elapsum infusis virtutibus ad internam sponsæ faciem honestandam. Hæc prima pulchritudo, & origo secundæ. Porrò qui primam illam & principem venustatem adepti sunt, cùm externas obeunt functiones, in exemplar sibi ostensum mentis aciem intendentes, motus sic moderantur vniuersos, vt in ipsis externis actionibus mira sit concinnitas, & harmonia; nihilque in eis perspici possit, quod non præferat honestatem. Tempus, modumque obseruant, nihilque aggrediuntur, nisi tempestiuè ac prudenter. Hæc ergo actionum concordia proportio est, ex qua etiamnùm splendor enitet spiritali solùm intuitu perceptus, quem colorem

meta-

metaphoricè nũcupamus. Videtur autem hic splendor ex sponsi aspectu, in quo spõsa consistit, acceptus, ac in spiritales intuentium oculos velut à terso quopiam corpore reflexus, Adhuc enim in externos actus se promit sponsi lux. Ab hac igitur dupliei pulchritudine sponsa meritò commendatur. Inquit sponsus: Ecce tu pulchra es amica mea, quasi planiùs dixisset, ideò tu pulchra, quia amica, pulchritudo enim hæc sponsi est amicitia, charitatis fœdere sociata. At quia longum esset spõsæ laudes, vel cursum percensere, ceteras formę partes omittens, in vnos oculos vim laudis effundit, aiens.

Oculi tui columbarum.

Habes simplicem intuitum nil mali cogitantem, sed in bonum finem cuncta dirigentem, vnde tota pulchra es.

VVLGATVM satis est, quam intentionem Philosophi vocant,

oculo-

oculorum scopum intuentium symbolo notari. Columbam etiam esse animal simplex, ac intentionis proinde synceritatem ac rectitudinem præ se ferre, nemo est quem prætereat. Felle caret, & quamuis pullis orbetur, ad eosdem dominos, easdemque reuertitur ædes; nihil enim mali suspicatur, aut refugit: quod synceritatem cordis sponsæ satis apte delineat. Habet etiam hoc, vt aucupem retia tendentem videre, aut vitare non magnopere curet, quemadmodum alia vafritie prædita animalia, quod ad simplicitatem astruendum plurimum conducit. Est præterea in columbarum oculis laude dignum, quòd toti quasi figuntur in re, quam aspiciunt, vt apertè pateat, quorsum aciem dirigant, non vt vafrorum animalculorum, vt vulpium oculi, qui simulati, ac duplices, dum huc videntur aspicere, illuc aciem dirigunt, captantes prædam,

Columba animal simplex.

vel su-

vel fugam, ex quo etiam oculi sponsæ satis commendari debent, qui toti sunt in sponso defixi, nec nutant, nec aliò se vertunt, cum ibi collocatum habeant omne bonum. Vnos igitur sponsus, quos efferret, elegit oculos colũbæ, quia per hos emphasi satis idonea, totius corporis, & sub typo corporis, animi totius pulchritudo notatur; Sicut scriptum est, Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Cernens nunc sponsa se à sponso laudari, non patitur cunctationem; ac propterea, ocyssimè accurrens, laudem non sibi, sed sponso iure suo deberi testatur; propalatque suę pulchritudinis, ac venustatis originem, aiens.

Emphasis.

Matth. 6.

SPONSA.

Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus.

Duplex mea pulchritudo à te duxit originem, qui bis pulcher, & effector pulchritudinis es.

QVOD ais, ô sponse, me bis pulchram, tibi acceptum refero, qui, quà Deus, es ipsamet pulchritudo, & quà homo, intus es pulcher, extraq; decorus. Cum autem sis ipsamet pulchritudo, me inter creaturas alias ipsius efficis participem. Non enim ego pulchra eram, vt te mea venustate ad amãdum permulcerem, sed ex amore antiquam meam delesti deformitatem, tuamque mihi similitudinem impressisti, vnde pulchra tuo munere euasi. Sanè tuus decreuit pater electos omnes conformes fieri imagini filij sui, quãobrem velut prototypum te constituit, nosque ad exemplaris formam expressit. Nunc postquam sponsa se vndecumq; similem sponso animaduertit, quoniam similes animi, sicut etiam corpora facillimè ac arctissimè conciliantur, ipsa id similitudine suo iure poscente; Sic eloquitur.

Sponsus Christus Deus & homo.

Lectulus noster floridus.

Voluntas velut lectus virtutibus, quasi odoratissimis floribus stratus, nos manet per omnia similes: cubemus ergo ibi, ac mutuis amplexibus fruamur.

SI ergo ita se res habet, vt coniux vterque sit insignis pulchritudine; cùm præter coniugij fœdus, ipsa per se similitudo sit efficacissima, ad similes inter se arctiùs sociandos, æquum omnino est, ô sponse diuine, spiritalis ac interni tori arcana petamus. Est nimirum torus floribus odoratissimis sparsus, qui sponsorum mos est ad voluptatem augendam. Profectò lectulus, aut torus, in quo sponsus libentissimè cubat, & cum sponsa mutuis amplexibus quàm castissimis fruitur, spiritale cor, seu voluntas est, in qua vis est amandi; in qua totius rei cardo vertitur, cuius affectum, ceu stratum lectum identidē

Lectulus. Cor seu voluntas.

spon-

ſponſus ab ſponſa repoſcit, crebro repetens illud, præbe mihi cor tuum. Hoc in lectulo, ex vniuerſorum Theologorum aſſertione virtutum principes tum theologicarum, tum moralium reponuntur. Ibi charitas cum comitatu affectuum, nomine quidem ſimilium ijs, qui in appetitu ſentiente excitantur, genere verò multò excellentiorum. Ibi iuſtitia virtutum ad mores ſpectantium princeps cum prole numeroſa, ſub qua religio, quæ cæterarum principatum obtinet, ac ſponſo cultum, cæremoniamque affert. Hi ſunt flores odorem diuinum latè fundentes, quem quidem odorem ex ipſius ſponſi commercio hauſerunt; Cum enim charitate, ac religione velut quibuſdam brachijs Sponſum amplectatur ſponſa, non poteſt odorem Chriſti ſuauiſſimum non contrahere, ac ſemel contractũ, quia hæret arctiſſime, diu conſeruare. Cupit ſponſa

non perfunctoriè sponso conciliari, ac hærere, quemadmodum solent ij, qui inter se non syncerè amant, sed arrepta opportunitate cum alienis coniugibus in conductis lectis obscœnè cubant, sed in æde ad hoc extructa vitam cum sponso degere, definitis diuino consilio temporibus iure matrimonij totum petitura. Quod proxima verba declarant.

Tigna domorum nostrarum cedrina; laquearia cypressina.

Ingrediamur domum tignis & laquearibus affabrè constructam. Tigna, quibus anima mea, quæ domus est nostra, multis potentiarum discreta cellis, fulcitur, virtutes sunt cedro in corruptione persimiles. Laquearia verò vna efficit charitas toti contignationi ac domui decorem veræ virtutis impertiens, quæ cypressi & firmitate, & fœcunditate notatur.

DOMOS plures figuratè vocat vnius domus plures receſſus, vel cubicula. In hunc ergo modum ſponſum affatur; tutò poſſumus; (ò ſponſe) cubare, ſimulque quieſcere. Habemus enim domum benè conſtructam, ſartam & tectam, &, quod ad voluptatem facit, etiam ornatam. Tigna, quæ ſtructuram fulciunt, & ſuſtinent, firmiſſima ſunt, corruptelæ minimè obnoxia, qualem eſſe conſtat cedri materiam. Laquearia, quæ tectum tignis cedri ſubnixum exornant, è cupreſſo arbore odorata, & fœcunda fabrefacta ſunt, vt ob cedrum tuti, & ob cypreſſum odore recreati, ac prolis ſpe non ſimus deſtituti. Porrò ſi tignorum ſpectemus obſequium, liquido perſpiciemus, ijs ſaltem adumbrari virtutes potentijs (vt philoſophi aiunt) hærentes, earumque vim fulcientes. Collaberetur enim domus hæc animæ ruinam vitiatæ naturæ minantis, niſi ſapiens

architectus ſponſus hæc tigna ſuppoſuiſſet, potentiasque ijs fultas ſua ope firmaſſet. Vt verò hæc firmitas luculenter exprimeretur, nihil aptius, quam cedrinę materiæ incorruptio, potuit excogitari. At ſi laquearia perpendamus, quæ tecti ſunt ornamenta, domumque totam honeſtant, & materiam cupreſſi contemplemur, veram quandam charitatis comperiemus effigiem, ad domum ſponſæ perficiendam opportuniſſimam, & velut è tecti faſtigio toti ſtructuræ præſidentem. Conſtat proculdubio, ſi de ſpiritali generatione ſermo fiat, miram vim generandi ineſſe in ipſamet charitate, cuius vi à viris perfectis proles quotidiè creſcit numeroſa, quam amore primum Deo concipiunt, deinde alunt, & ad incrementa perducunt. Quam ſanè charitatis excellentiam, & ſi ſponſa non ſit hactenus aſſecuta, ex incredibili tamen ſponſi humani-

tate,

tate, qua se demulceri conspicit, non temerè præsagit ex se sponsum prolem susscipere parare; cuius certè præsagij non est exiguus fomes, iam lectum apparatum esse; in quo sit cum sponso cubitura, & amplexu castissimo fruitura. Hoc ergo ex præsagio introducit Spiritus sãctus sponsam de lacunari cupressi sponsum monentẽ, quo notatur charitatis ingeniũ. Est quippe in hac arbore sexus duplex, cupressus nẽpe mas & in latum ramos spargens: & fœmina, cuius meta in fastigiũ cõuoluitur. Non nisi in locis calidis sponte prouenit. Est præterea arbor hęc trifera, ter scilicet fructum quotannis ferens, eiusq; baccæ Ianuario, Maio, Septembriq; colligũtur. Cariem deniq; non sentit. Omnia nimirum hæc castum sponsi vtriusq; congressum, media charitate factũ satis aptè commonstrant. Sponsum ac Sponsam vna charitas, sicut vna huius arboris natura sexum

Cupressi natura.

amplectitur vtrumque. Quòd locis tantùm calidis sponte nascatur, nota est incendij, quod charitas in mutuò amantibus optat. Quòd ter fructum edat, symbolum charitatis fœcundissimæ sub ternarij numeri perfectione existit. Quòd verò cariem non admittat, numquam excidentem charitatem ostendit. Cum ergò cupressi arbor ex tot capitibus charitatis exprimat naturam, quid sibi vult hæc ingeniosa laquearium ex cupresso structura, quæ tigna ipsa, totamque domum velut emblemate quodam exornat, nisi apertè notare, cæteris omnibus virtutibus per tigna significatis, ex vna charitate ornatum ac decorem verum emanare? Enimverò, quantamcumque vim arcana virtutum tigna potentijs, in quibus reponuntur impertiant, decorem tamen verum impertire nequeunt, cum & ipsæ illo careant, nisi ex charitatis imperio ac motu ad eas ille deriuetur. Non

enim

enim modò moralēs, verùm & theologicę virtutes reliquæ, si charitatis lacunar abſit, tametſi potentias vtcumque ſuffulciunt, veræ virtutis pulchritudine (vt eſt apud Theologos vulgatum) proculdubiò carent. Compendio igitur agentes ſponſam audiamus aientem: Tigna domus noſtræ cedrina, laquearia cypreſſina, hoc eſt cubitum eamus (ô ſponſe) domuſque noſtræ ſtructura gaudeamns, quæ tignis virtutum incorruptione præditarum, & laqueari charitatis conſtat elegantiſſimo. Iuxta textum Hebraicum, pro verbis modò explanatis, aliqui ſic vertunt (Tigna domorum noſtrarum larices, laquearia noſtra abietes) laricis autem, & abietis ſenſus arcanus idem eſt cum ſenſu cedri & cupreſſi. Larix enim, quia vim habet incorruptam, igni non cedentem, ponduſque valide ſuſtinentem, optimè conuenit virtutibus, quæ tignorum inſtar animę

Laricis natura.

Abietis natura.

ædificium sustinent, iuxta sensum cedro accommodatum. Abies autem, quæ (aiente Plinio) ad tectum firmissima est, aptè congruit laquearibus, quæ pro tota concamerationę, seu contignatione elaborata ponuntur. Arcanè verò abies, & quia procerissima est, & non in latera pronos, sed in altum tendentes ramos habet, quorum si cacumina decidantur, emoritur, non verò si toti rami truncentur, diuinam prodit charitatem inter virtutes altissimam, non pronam, vel languidam, sed in altum semper elatam, cui si caput, hoc est, Christus, cui hæret, præcidatur, emoritur, non verò si aliàs tota lanietur, hoc est, torqueatur. Hæc toti præsidet structuræ, totamque domum sponsæ honestat, vt meritò ad illam sponsus inuitari possit. Nunc verò ad sermonis concinnitatem expendendum est, sponsum, non ad quemuis domus sponsæ recessum,

sed ad

sed ad intimum potissimum, vbi lectulus floribus sparsus apparatus est, inuitari, ac proinde secundo capite sic sponsus eloquitur.

CAPVT SECVNDVM.

SPONSVS.

Ego flos campi, & lilium conuallium.

Aequum est torum floridum adeamus: nam Ego (sponsa mea) flos sum ex Iesse radice in anima, quæ curarum sæcularium vomere non finditur, campo significata prouenies. Et tamquam lilium, quod intra florem candidum, luteum habet flosculum, ego intra candidissimam humanam naturam, auream continens diuinitatem, tanquam hoc (inquam) lilium conualles humilium amo.

MINIME mirum est, si torum floribus sponsa dicat sparsum, cùm in eo ille conquiescat, qui iuxta priscum vaticinium, de radice Iesse flos est, & qui modo inquit, Ego flos campi. Arcanum autem quiddam indicat adiunctum campi nomen. Sponsus quippe non

Isa. 11.

est flos

est flos agri, in quo quid scinditur aratui vel ruris, quod vomerem, sarculumque perpetitur; sed campi prorsus intacti, cœli vero solius clementis fœcundi, floribusque vernantis. Animæ videlicet, quæ sæculi curas vomeris instar terram cordis proscindentes ad scelerum sementem excipiendam minime patiuntur, vel admittunt, quibus intacti campi propriè quadrat appellatio, florem hunc planè diuinum gremio, in quo tanquam in solo pingui ocyssimè coaleiscit, excipiunt. Editio nostra florem sine discrimine sponsum appellauit. Ex Hæbræo tamen aliqui pro flore campi, Rosam Saron transtulerunt. Saron regio est inter Tabirinum montem, & lacum Tyberiadis, & à Cæsarea vsque Ioppen protensa, pinguis ac fertilis. Huius ergò regionis, quæ ob fertilitatem significat animam iustam, se sponsus rosam nuncupauit: Talem nimirum in hac nostra

Saron regionis nomen.

regio-

regione, quam ipse coluit, ac fertilem reddidit, se exhibuit, qualem se rosa germinans exhibere solet. Germinat enim illa granoso inclusa cortice, quo mox aperto, rosa rubens se prodit, & suam pulchritudinem ostendit, ac fundit odorem. Sic quippe sponsus cortice corporis inclusus, ibi germinauit, dum in corpore actus meriti, ac satisfactionis exercuit. Latuit tamen tunc. Postea vero cortice rupto se prodidit diuinitas, vimque suam tum in orbe nostro, tum in infero propalauit, odoremque suum mundo toto profudit. Hæc tamen arcana rosa non cuiusuis est loci, sed Saron, quod interpretatur, planities, quia videlicet, non confert suam pulchritudinem, ac odorem animabus elatis, sed planis, hoc est, humilibus, quæ conuallium etiam nomine notantur. Hæ quippe animæ sunt conualles illæ, quæ mundi ambitu fastùue non elatæ, in humillima imbecilli-

tatis

tatis propriæ cognitione subsidunt, ac cælestium donorum imbres hinc inde, velut è montium verticibus ad conuallem excurrentes loco in humiliore concipiunt. Cum enim animi montium instar elati, delapsum diuinæ largitatis rorem sua conuexitate sinus experte repellunt, ordine prouidentiæ mirando, ad humilium conuallem decurrit, & sic non habenti in semetipso, quod in diuina largitate habebat, aufertur, ac datur habenti. His igitur in vallibus sponsus lilij significatus imagine, suaui quadam enascitur cultura, quæ nec vomerem experta est, nec ligonem. Expendenda verò est lilij ad sponsum perpulchra translatio. Sanè præterquam quòd lilium inter flores est maximè excelsum, quo sponsi notat celsitudinem, ipse lilij candor in floreſtriato, primum commisso, mox aperto atque repando, purissimam, & candidissimam indicat sponsi humani-

Lilii qualitas.

manitatem, nulla culpa vel vmbra obtenebratam, ita vt quod de ipso, qua Deus est, spiritus Sanctus effatur aiens, Candor est lucis æternæ, seruata mensura, ac proportione, de ipso, quà est homo, possit sapienter enunciari. Iam autem luteus & aureus ille flosculus intùs enascens in lilio, Diuinitatis, quam humana celat natura, symbolum præfert. Apertissimum est quippe auro regiâ significari maiestatem, sub qua antonomasticè sponsi diuina maiestas iure suo debet intelligi. Hæc sponsi est laus, qua semetipsum commendauit, quasi viam sternens ad sponsam ex eodem capite commendandam. Nullo enim pacto eam veriùs valebat extollere, quàm seipsum prius efferens, suamque imaginem sponsam esse declarans, ac propterea cum se lilium asseruerit, sponsam etiam lilium esse testatur, aiens.

Antonomasia.

Sicut

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Tu etiam, sponsa mea, ceu lilium candens me intus vt aurum continens splendentem, vt in medio tui cordis satum florem luteum, qui ex medio albo lilii flore consurgit. Et tua magis splendet pulchritudo, quòd inter horrentes saeculi filias spinus similes creueris, nec ab eis vllo modo laesa fueris.

APtè ratiocinans mea intulerat sponsa, nos cubitum simul ire debere, mutua pulchritudine fruituros, quos similis venustas conciliabat. Porrò sicut ergo sum lilium, ita & ipsa lilium est. Candida quippe est ipsa, ceu lilij flos latior, è cuius ego medio vt aureus flosculus exsurgo; ipsa puritate albet; ego maiestate regia, decore aureo splendeo. Creuit valde sponsa inter filias seculi, ex quarum ipsa numero fuerat eodem genere sanguineque concreta. Nunc autem, mu-

tata forma, mira eius elucet pulchritudo inter spinarum horrorem, quò enim hic incultior, illa comptior apparet. Et quod admirationem auget, ipsius est inter tot hostes immunitas, inter spineta quippe nõ læditur, sed crescit, clypeo virtutis obsepta. Profectò filiæ hoc in loco, sæculi huius, non sponsi sunt intelligendæ, vt spinarum illis congruat similitudo. Animæ nimirum, quæ satæ sunt in arente mundi terra, quæ spinas tantum ac tribulos proferre nouit, aculeis horrentes enascuntur; quas si vel leuissimè attrectaueris, à punctura non eris immunis, eò præsertim quòd ipsæ malignitatis natiuæ aculeos, tanquam infestas hastas, in iustorum synceritatem, & candorem intendunt. Inter has autem spinas versari, ac more lilij caput erigere, punctu ris non modò non interire, sed ne lædi quidem, & languere, eximia sponsæ laus censeri debet, ac multò sanè maior,

quàm

quàm si inter flores alios, in viridario consita, & sponsi cultura compta feliciùs creuisset. Candor videlicet animi, inter homines sceleſtos non obnubilatus, virtutis solidæ, ac constantis argumentum est, quale in viro illo inuictissimo Iob inter ethnicos agente perspici potest. Mutuis laudibus certatur; nunc ordine obseruato sponsa in scenam ingreditur, aiens.

Candor animi virtutis argumentum

SPONSA.

Sicut Malus inter ligna syluarum, sic Dilectus meus inter filios.

Sicut Malus colore, odore, sapore, feras arbores superat, sic iponsus filios sæculi, qui syluestres mores didicerunt, inter quos satius est ille, vt hi in ipsum inserantur, & fructum queant legis afferre.

PORRO Malum arborum esse principem, agrestibusq; seu feris

Malus arborum princeps.

arboribus longè antecellere, planè simum est. Filij verò (quemadmodũ de filiabus proximè asseruimus) huius sæculi veniunt intelligendi, vt syluarum inculta, & austeros partus promentia ligna eis comparata docent. Inter hos ergo filios alienos fata est hæc sponsi arbor nobilissima, cuius pomum, fructus est vitæ, quo alimur, & fulcimur. Pomi certè gratia tribus sensibus idoneè distribuitur. Specie quippe aspectabili, ruboreque pallori admisto delectat oculos. Bono odore olfactum recreat. Sapore optimo gustum afficit. Quæ sanè tria sponso graphicè quadrant. Oculos nimirum aureo diuinæ Maiestatis colore seu pallore, concretæque sanguine carnis rubore mirificè oblectat, dum fidei visu perspicacissimo percipitur Deus & homo. Olfactum suauissimo solatur odore, cum propinquiùs sponsa illum sentit, in charitatis progressu. Gustum denique sapore

Pomi gratia tribus sensibus distribuitur.

afficit

afficit dulciſſimo, cum in contemplationis arcano ſponſam dulcore permulcet, quo nihil in hac vita ſuauiùs excogitari poteſt. Notatione autem hic opus eſt. Viſu ſcilicet percipiuntur, quæ longiſſimè diſtant, odoratu quæ propinquiora ſunt, guſtu quæ coniuncta, ac eadem proportione, fide ſponſum eminus exploramus, charitate propinquiùs ſentimus, vel olfacimus, contemplatione, in qua charitatis eſt perfectio, illum experimur, atq; guſtamus. Myſterio autem non vacat, Malum arborem mitem, in ſylua inter feras arbores Deum poſuiſſe, ac conſeuiſſe. Omne quippè genus hominum, ferarum & incultarum arborum ſylua quædam eſt, & inter has ſponſus diuini ſpiritus arte ſatus eſt, vt feræ arbores miteſcant, & exploſis fructibus auſteris, nouos fructus edant, & eos quàm dulciſſimos. Quod quia ſine inſitione fieri nequit, Pater æternus

huius arboris cultor, fauciauit illam iustitiæ falce, vt in illius vulnera præcisi ferarum arborum surculi inserantur, & hac arte mira Mali fauciatæ vim hauriant, & supra naturam in mitem arborem inserti fructum possint legis afferre. Arboris certè huius sponsa vim nouit, ac sub eius vmbra recreatur, eiusque fructu planè diuino alitur, quod modo fatetur inquiens.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.

Sub vmbra protectionis sponsi, quæ est saluberrima, consedi, non pertransiu cito, sed quieui, vt optâram; ac proinde ab æstu vitæ huius grassante recreata sum, & in spem nouam erecta.

VETVS Hispanorum parœmia est, (Quien a buen arbol se arrima, buena sombra le cobija) quæ sanè cum alibi, tum maximè hoc

in

in loco veriſſima eſt. Profecto veteres obſeruauêre vmbrarum diſcrimina. Quaſdam vmbras dixêre vtiles vt alni platani, & aliarum arborum quaſdam noxias, vt iuglandium, pinorum, picearum abietis, &, quibuſque ſatis (aiente Plinio) vmbra aut nutrix, aut nouerca eſt; quamobrem ait non faſtidiendam, nec in vltimis ponendam hanc ſcientiam vmbrarum. Ex quo patet ſponſam prudenter egiſſe, cum arboris huius myſticæ vmbram obſeruauit, qua frueretur. Deſiderauit in ea ſedere, quia nouit inde ſe poſſe haurire ſalutem, & ſic deſideranti ea ſeſſio diuinitus conceſſa eſt. Quod Septuaginta Interpretum verſio videtur innuere, ſic aiens. In vmbra eius deſideraui, & ſedi. Hæc eſt vmbra ſatorum nutrix. Cuius profectò vmbræ ſaluberrimæ non debebat vllo pacto mentio præteriri, ad quam, quicumque ſe recipit ſcelerum æſtu fatiga-

tus, diuino munere recreatur, & ad spem patriæ cœlestis erigitur. Et quidem, si priscorum Ecclesiæ primitiuæ hominum cordibus de Petri virtute opinio insedit adeò magna, vt eo transeunte ægros exponerent, vt saltem illius vmbra obumbraret quemquam illorum, & liberarẽtur ab infirmitatibus; quantò est æquiùs hoc de arboris huius vmbra cogitare? Hoc ergo postquã sibi sponsa persuasit, non quæsiuit vmbram perfunctoriè, velut alia cogitans, & ad maiora festinans, sed sub arbore consedit, quasi diu cunctatura, & vmbræ salute fruitura, sic enim fieri oportebat, ad sedandum, quo diu flagrârat, desiderium. Ideò quippe significanter ait, se sub vmbra, non cuiusuis obuiæ arboris, verùm eius, quam desiderauerat sedisse. Homines verò, quia nõ sedẽt, sed ocyssimè transiliũt, etsi tantillũ recreãtur ab vmbra; mox tñ ad æstũ festinantes noxio calore torrentur.

Est

Est autem mos sponsi regis munificentissimi, quos ad se confugere perspicit, regio excipere conuiuio, quod satis expressit in deserto, ac propterea cum sponsam velut ceruam canibus infestatam, ad ipsum cerneret accurrisse, symbolicæ arboris fructum carpi ab ea permisit, quod ipsa notat, cùm ait.

Fructus eius dulcis gutturi meo.

Arbor scientiæ in paradiso sata sponsus est, cuius proinde fructus est sapientia, quem ego gutturi voluntatis meæ dulcissimum experta sum.

MALI huius proceræ, ramorumque ambitu per quàm latè patentis vmbra fessa de via recreata sum, & fiducia erecta pomum carpo cælesti rore conspersum, ac melle imbutum. Sponsus scilicet est arbor scientiæ, sub qua sponsæ animus à peccatorum æstu refocillatus, illuc

Arbor scientiæ fuit malus.

se conspicit admitti, vnde primus generis humani parens est factus extorris. Et profectò arborem scientiæ fuisse Malum, & non arborem aliam, satis conuincunt sacri textus verba, pomum à pulchritudine aspectabili, & suauitate gustus laudantia, quæ non adeò propriè alijs fructibus videntur congruere. Huius ergo arboris fructus, sponsi præ se typum ferebat, qui proculdubiò ipsum gustantes veræ sapientiæ compotes efficit. Sapientiam igitur vnum ex Spiritus sancti donis quæ simul intellectum illustrat, & inflammat affectum (quę à quibusdam mystica Theologia nuncupatur) verum ac genuinum arboris huius fructum, par est intelligere. Qui quàm sit ad vescendum suauis, non orthodoxi tantùm, verùm & ethnici nosse videntur, qui in sapientiæ actu felicitatem collocarunt, cui senserunt summam inesse dulcedinem à puriſſima veritatis noti-

In sapientiæ actu consistit felicitas

tia,

tia, tanquam à parente prognatam. Verum isti hallucinantes de sua sapientia verba fecerunt, nos vero liquidò rem perspicimus, qui nouimus in actu sapientiæ nostram fore beatitudinem, cuius quoddam specimen à veris sponsi contemplatoribus, adhuc in hoc exilio prælibatur. Siue igitur de Philosophorum sapientia, siue de nostra sermo fiat, compertum est, ab ea in affectam eximium permanere dulcorem, qui & sopire sensus, & super se hominem efferre valeat. Et quidem sapientia ipsa in intellectu, velut in propria sede reponitur, at organum, quo ab illa fluens percipitur suauitas, voluntas ipsa est, quæ arcanè guttur hoc in loco nuncupatur. Benè ergò inquit sponsa, sub arbore scientiæ (quæ cum sit notitia rerum per altissimam causam sapientia est) consedi. Scientiam hanc summam comparaui, quæ est arboris fructus gutturi, hoc est, voluntati

meæ

meæ notus exprimento quàm ſuauiſſimo. Suauiſſimum ſe guſtaſſe fructum Sapientiæ, quæ more generoſi vini inflammat voluntatem per ſubiecta verba ſponſa patefacit.

Introduxit me Rex in cellam vinariam.

Vt fructu veſcerer, potumque arcanum ſapientiæ ipſius hauirem, in contemplationis cellam, quæ ab effectu vinaria nuncupatur, me ſponſus introduxit.

CVM efferueſcentem vitæ huius noxio calore percoctæ fugiebã æſtum, ſicut Ceruus deſiderans vmbram, ſub vmbram ſponſi procurri, diù ibi morari decernens. Vbi me conſpiciens vrbanus & comis ſponſus, non eſcam tantùm mihi porrexit, verum & potum, quem ipſe fœliciùs bibit in regno patris ſui. Hæc eſt vna ſapientia, quæ vna cùm ſit, potus & eſca, quia inebriat, & alit ſeu paſcit, nominatur. Quam vt to-

Sapientia potus & eſca.

to pe-

to pectore haurirem, in altam me introduxit contemplationem, ol inflammationis effectum, cellam vinariam eleganter appellatam. Est autem auidè audiendum, quod intrà cellam sibi euenisse sponsa commemorat.

Ordinauit in me charitatem.

Amorem in centrum, ordinemq; redegit, vt qui antè intensiùs voluptatem spiritalem, quàm Deum amabat, etsi Deum pluris æstimaret; nunc non solum Deum pluris faciat, verum & intensiùs amet. Amorem præterea affectuum omnium principem in ordinem reduxit, ex quo mira enascitur cæterorum affectuum in pace consensio.

CHARITAS siue amor in ordinem digestus multiplicem parit cogitandi ansam. Ordinare profectò, nihil est aliud, quàm in ordinem redigere, quod extra ordinem, vel chorum aberrabat. Quamobrem si

Quid sit ordinare.

ſponſæ amor ordinatus eſt, extrà ordinem ante vagatus fuerit, omninò conſequitur. Quod fiet ſatis planum, ſi quæ ſuperiore capite expoſuimus, mente repetamus. Meminiſſe igitur oportet; ſponſam voluptate captam, & dulcore ad ſponſum allectam præſertim fuiſſe; nam Oſculum, vnguenta, oleum, & id genus reliqua, quibus Deus illam deliniebat, ſuauitate madebant omnia, & infantilem ætatem referebant. Quæ propterea omnia procul arcenda ſunt, amore forti, ac ſyncero regnante, qui nec indiget voluptate, nec labori ſuccumbit. Præpoſterus erat ordo charitatis teneræ, nec adhuc neruos adeptæ, ad ſponſum pro voluptate hiare; licèt enim prauus non eſſet affectus, non erat tamen ordinatus. Deus nimirùm à charitate forti tàm quæritur ardenter cùm cædit, & punit, quàm cùm lenit, ac blanditur. Introduxit igitur ſponſam in cellam,

vt affe-

vt affectum ingenuum veri amoris, Deum primùm propter ipsum, voluptatem mox ob eundem inquirentis, præponeret alteri voluptatis affectui; vt posthac non æstimatione tantùm (hoc enim habet etiam amoris infantia) verùm & intensione maiore sponsum, quàm internam inuestiget suauitatem. Non ergo absque emphasi, sed significanter admodùm sponsa eloquitur, inquiens, Ordinauit in me charitatem. Innuit præterea sub hac periodo, sponsum induxisse quandam affectuum omnium seriem, & consensionem ordine ipso mirãdam, quam in vtriusq; appetitus affectibus cernere licebit. Porrò in appetitu sentiente, amor, qui primus ac princeps vniuersorum est affectuum, si reducatur in ordinem, ne quid turpe prosequatur, ne à quopiam abhorreat bono, ac verè pulchro, motus omnes alij rectà gradientur, & amore ordinem deserente, belluarum

rum more, motus cæteri ferociunt ac in turpe feruntur. Sic etiam voluntatis actus sentientis appetitus actibus persimiles, etsi passiones nō appellentur, sed actus simplices, ab vno gubernantur auriga, qui est amor. Hic enim mox, vt ordinem à mente præscriprum ex bono & honesto, præceps violarit, actuum voluntatis vniuersorum perit harmonia. Si autem in officio perstiterit, mira est motuum consensio, & pacatissimus ordo. Quamobrem, sapienter dici solet, Ama, & fac quod libuerit, si enim ductor nauis clauū rectè torqueat, nauis tota fœliciter nauigabit. Ait itaque sponsa, Ordinauit in me chariratem, vel amorē, quasi dicat, affectum vtriusque appetitus potissimùm sponsus in ordinem redegit, vnde motuum partis vtriusque enata est concordia, cuius ergò in suauissimæ harmoniæ pacisque bono conquiesco. Ex Hæbraico textu vbi sic habetur. (Introduxit

me ad

me ad domum vini; & vexillum eius super me amor) eruitur altera satis arcana interpretatio. Porrò contemplatio domus vini est, vbi vinum generòsum, quo voluntas inebriatur, hauritur. Ibi enim efferuescit amor. In hanc ergo domum sponsus sponsam introduxit. Quod verò ait, & vexillum eius super me amor, alluſio est ad cellaria, vbi vinum venire solet, præ quorum foribus, hedera vel aliud signum appenditur. In hunc enim morem, pro foribus cõtemplationis amorem præfigit Deus, vt hoc insigni introducantur in cellarium contemplationis, qui amore ducuntur. Hoc vero insigne ingredientes eam domum afficit, propterea super illos poni dicitur. Qua ex re patet, quàm rectè sponsa sic enunciet. Et vexillum eius super me amor. Quod & ex re etiam militari, vbi, vrbe capta, erigitur in mœnibus vexillum ad victoriam significandam, exponi potest, ac si sponsa

Domus vini est contemplatio.

dicat, Mecum pugnauit sponsus vt me amore superaret, quando verò me vicit, & bello fausto cœpit amorem super me, vt victoriæ vexillum erexit, quod præstitit in cella vinaria contemplationis, in qua licet ego amem, plus tamen ille me, & sic vexillum eius super me est amor. Expendendum est sponsam, ea, quæ sibi cum sponso accidere, referentem, recordatione sauciatam, excitato repentè absentis sponsi desiderio, precari obnixè audientes, vt si qua ratione valeant, illum sibi animo cadenti concilient. Quo in voto miri, vt mox aperietur, amoris retegunturr effectus, quos omninò conuenit explorare, Dicit ergò.

Fulcite me floribus, stipate me malis.

Sponso meo, qui est flos campi, & Malus inter ligna syluarum, sustinete me, deliquium animæ, obi psum patientem.

CON-

CONCINNE quidem orationem contexit. Cum sponsi recordor pulchritudinem & humanitatem, affectus vehemens, sponsa inquit, incessit, & intercepit me. Ferte igitur opem, si qua est herba, si quod pharmacum opportunum, & præsens. Ægrotis florum fasces & poma odoratissima offerri solent, ad sensus recreandos, & ægritudinem eleuandam. Flores ego, & mala posco, nec enim aliter fulciri possum, Meminisse opus est, sponsum in superioribus, florem campi, & inter ligna syluarum Malum fuisse nuncupatum. Ex hoc igitur flore, ac Malo pharmacum parari optat. Languentem videlicet præ amoris vehementia & magnitudine animam, solus ipse sponsus valet miris, & arcanis modis consolari. Minimè cupit flammam extingui, conceptumue amoris remitti calorem, vnde omnis vitæ conseruandæ ratio proficiscitur.

Quinimmo diſertè, ac notanter non fulciri tantùm, ſed etiam ſtipari, circumdariue ſponſo, velut igneo quodam vallo poſcit, vt circumpoſitæ flammæ incendio ſenſim aduratur, donec tanquàm Phœnicem ſe morti deuouentem, totam illam ignis expetitus abſumat. Malorum nomine cùm arborem, tùm pomum eius fructum aptè poſſumus interpretari. Videtur ſponſa Phœnicem æmulari, cuius, cum moritura eſt, hoc eſt ingenium, vt legat arborum aromaticarum ſurculos, & florum cacumina, vt nidum conſtruat, in quo iacens excitato amburitur igne. Carpit ſurculos cinnami, amomi, thuris, & arbuſcularũ ſimilium, nardi ariſtas & flores aſſimiles. Sic ſpõſa ex arbore Mali, & floribus campi iuxtà ſenſum expoſitum, cõcinnari ſibi nidum poſcit, in quo iacens mortem præſtoletur per ignem ſponſi tranſitura, moritura ſibi, ac in ſponſi vitam transferenda.

Combuſtio phœnicis.

Nec

Nec obstat, plurali numero, floribus, ac Malis vsam fuisse sponsam, hoc enim ad emphasim pertinet, vt sponsi vis, qua sui similes plures & flores, & arbores generat, innuatur, præterquàm quod familiare est scripturæ plurale pro singulari figuratè reponere. Vt Exod. 32. Hi sunt Dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti, & tamen vnum dumtaxat erat idolum, quod conflauerant, & adorabant. Vt patet ex vltimis verbis capitis, vbi dicitur, Percussit ergo Dominus populum, pro reatu, vituli, quem fecerat Aaron. Denique (quod ad rem magis conducit) cum qua mulier nupsit viro, cui campus, vel simile aliud nomen est, dum vir abest, alludens ad viri optati nomen, dictitare solet, se camporum amore teneri: campos sibi tantùm placere: vel certè de absentia coniugis sui conquerens dicere consueuit. Ducite me ad campos, quia lan-

gueo. Ex quo liquet, quam vim habeant illa verba, quæ ad sponsi nomina floris & mali alludens, sponsa enunciat aiens. Fulcite me floribus. Stipate me malis. Non est autem silendum, his verbis explanatis quendam amoris effectum exprimi, qui liquefactio à Philosophis appellatur. Est autem liquefactio amoris effectus, quo anima ipsa mulcetur, ac emolitur, vt res, quam ardentissimé cupit, sibi per amplexum, & penetrationem quandam imprimatur. Quod vt fiat, tota dehiscit, & patet illa, vt quasi poris apertis non hauriat rem amatam, tanquam recens panis aquam haurire solet. Hanc autem liquefactionem, qua in sponsum hiat anima, consequitur effectus amoris alter molestissimus sanè, qui languor appellatur, quem disertè notat illa dicens.

Quia amore langueo.

Obsponsi absentiam animo cado, præ amoris magnitudine.

LANGVOR quidem accidit, cum res abest, quam quis cupit ardenter. Absentia quippe illa interarescit animus & emoritur, multoque mœrore tabescit, cui certè morbo res sola dilecta præsens mederi potest. Propterea sic audientes obtestatur sponsa, Ego mœrore conficior, ac velut terra rore destituta dehisco. Quia ergo amore langueo, atque marescо, afferte mihi sponsum, fulcite ac sustinete me illo, qui florum, ac Malorum est facilè princeps, qui solus morbo lēto valet opitulari. Reddit ergò rationem à languore petitam, ob quam flores, Malaq; poscebat. Et præsentiam sponsi brachia porrigere festinantis, more alterius Assueri de solio exilientis, & vlnis

Languor vnde accidat.

suis Esther reginam sustentantis, donec ad se rediret, sentiens, hæc verba contexit.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Cadentem me conspicatus accurrit, & vtroque brachio in signum perfecti amoris me ille complexus est, circulo peracto læua etiam humanæ naturæ assumptæ me erexit, diuinitatis dextera postmodum coronabit.

FACILE quis ad id prece flectitur, quod cubit impēdio. Quamobrem cum sponsus rex immortalis me præ amoris sui magnitudine languentem, velut è solio conspicatus esset, diù abesse non patiens, sua primum propensione, bonorum mox precibus accurrit, vt me fulciret præsens, atque stiparet. Stipat autem & sustinet me, ambitu brachiorum circulum peragens, quo ego velut arce tutissim.

cir

circumdor. Non enim vulgaris custodia hoc brachiorum vallo, sed exacta, & vndecumq; perfecta notatur; vt ex circuli inter figuras mathematicas perfectione perspicitur. At non debet profecto fileri, quid sibi velit illa brachiorum manuumue in complexu distinctio; quid inquam læua, quid dextera innuat. Sanè dextera vulgatissimum est apud sacros, profanosque authores fortitudinis symbolum. Sinistra verò imbecillitatis est nota, vix enim sinistra ad aliquam functionem difficilem obeundam vti possumus, nisi leue aliquod adminiculum optemus. Porrò sponsus antequam naturæ nostræ assumpsisset imbecillitatem, totus erat fortis, totus dextera. Postquam verò carne obtectus est, nostræ factus imbecillitatis consors, cœpit habere sinistram. Hanc verò capiti nostro, hoc est Adæ suppositi, cum ille vitali spiritu priuatus elanguit, & cecidit, etsi collisus

Dextera fortitudinis symbolum.

Sinistra imbecillitatis.

non est, quia sponsus manum lęuam suppoſuit, & humanitatis assumptæ merito, ac satisfactione, velut è solio accurrens, naturam lapsam in spem salutis erexit. Et hoc ipsum, quod capiti nostro Adæ, læua suppoſita, præstitit, toti æquè posteritati contulit, vt meritò quisque Adæ filius dicere queat, læua sponsi sub capite meo, ac perinde sub me, quemadmodum de se nunc sponsa fatetur. Quos autem sponsus manu læua suffulcit, ac sui meriti efficit consortes, dextera demum confecto' cursu complectitur, hoc est, coronat; complexus quippè perfecti, ac coronæ figura est eadem, in se recurrens ac sphærica. Dextera verò sola complectitur, sicut enucleatè textus ait; quia videlicet sola diuinitas, cuius est dextera symbolum, est qua constat ille perfectus amplexus, ac præmium, quod in scholis essentiale nuncupatur, quod respondet iustorum vitæ, ex suppo-

sita

sita sponsi læua contractæ. Sapienter igitur sponsa effatur in hunc modum, cum elangui ego, siue ante inſtitiam, ob ſcelera, ſiue poſtquam reuixi è culpa, ob imbecillitatem naturæ, læua ſponſi me ſuſtinuit, dextera poſtmodum coronabit. Eſt præterea arcanum quiddam, quod aliam ſuggerit interpretationem, in eadem læuæ, ac dexteræ diſtinctione ſubnixam. Enimuerò caput mulieris vir eſt, ſic ſponſæ caput ſponſus vtraque manu præditus. Contingit autem non rarò poſt ſpiritale coniugium, ſponſam tepeſcere, degeneremque ſe exhibere, quaſi nequeat capitis pondus, viri ſcilicet ac ſponſi ſui præcepta, & amoris legem ſuſtinere. Sponſus vero tunc (qnæ ſua eſt in vxorem indulgentia) pondus legis, ſeque ipſum, quem velut caput humeris ſponſæ impoſuerat, quaſi læua ſuppoſita fulcit, cum illam vi ſua, diuina fortitudine conſtabilit, vt in

Vir caput mulieris.

ſancto

ſancto connubij fœdere valeat permanere. Sic in ſpõſa ſe fulcit ipſum, ac peruigili cuſtodia ſeruat, cum illius opera ipſe læua ſubiecta promouet ac verè operatur, vt viuere, ac mereri dicatur in ipſa. Sponſam demum emeritam, agone confecto, diuinitatis dextera complectitur, & corona donat æuo ſempiterno. Ex quo mira elucet diuinæ ſapientiæ ac bonitatis ratio, vt læua ſponſi ſupponatur ad meritum, dextera complectatur ad coronam. Hic iam nequit vltrà ſponſa vocem edere, ſomno quodam abſorpta. Concipiendam enim eſt, ſponſum ſponſæ voces exaudiſſe, ac vix expleto ſermone, ad illius arctiſſimum accuriſſe complexum, ex quo ecſtaſis ſponſæ contigit, ad præſentis Dei illapſũ excipiendum euectæ, ac pelago voluptatis abſorptæ. A qua ne à quopiam temerè excitetur, interdicit ſponſus in hunc modum.

Ecſtaſis ſponſæ.

SPONSVS.

Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad usq; ipse velit.

Obtestor vos Ecclesiæ filiæ per memetipsum, qui caprearum, ac ceruorum similis sum, ne animam, quam ego ecstasi vel vitali quouis somno ad me rapio, excitare audeatis ad aliorum salutem curandam, quoadusque iubente me ipsa velit.

OBTESTOR vos, ô animæ, quæ sponsam studetis æmulari, Ecclesiæ filiæ, ne præmaturè illam mecum in ecstasi quiescentem, mihique soli vacantem interpelletis. Nè præcipiti consilio illam à somno soluere festinetis, sub quouis virtutis obtentu, donec ipsa me velit annuente. Priùs armanda ipsa est, vt sibi fortis, alios queat erigere, & ad

palæstram erudire. Carpit hoc in loco Sponsus temerarios eorum insultus, qui ab vberibus ipsius sponsas non satis enutritas reuellere conantur, & in curas extraneas enituntur effundere; cum prius ex ordine diuinæ prouidentiæ, ab ipso sponso debeat anima spiritum diuinum haurire (quod absq; frequenti cum ipso commercio obtineri nequit) quàm in externa prodire, & proximorum audeat curare salutem. Propterea inquit, Ne suscitetis dilectã. Pro Dilecta Septuaginta Interpretes Dilectionem verterunt, quæ vox energia pollet. Vocat enim sponsus sponsam dilectionem, sicut vulgo quis eum, quem amat, suum amorẽ dictitare solet. Inest autem in ipsa dilectionis significatione arcanum quiddam. Cum enim iubet sponsus ne filiæ Hierusalem suscitent dilectionem à quiete, apertè significat, dilectionis naturam in ipso, ad quem fertur tantum conquiescere,

& ex

& ex dilectionis vi sponsam ad diuina, in quibus solum quieſcit, efferri. A diuinis autem quempiam temerè auocari, nefas est, ac proinde ausum interpellandi sponsus damnat. Quod quam sit neceſſarium, ex verborum emphasi venandum est. Non enim monet tantum, sed adiurat. Adiuratio, quæ nihil est aliud, quàm per sacram obteſtationem, vel obsecrationem ad quippiam agendum inductio, si ab eo, qui ius habet imperandi fiat, obligationem inducit. Perspicuum autem est spōsum imperandi ius habere, ac proinde arctè obstringere ad contemplationis arcanum auguſtiſſimum non intercidendum. Cunctandum est igitur, & sanctorum quieti cedendum, eos enim postquam sponsus suo in gymnasio inſtruxerit, ac educarit, quasi è portu ad nauigationem noſtræ salutis promouendæ soluit. Maxima igitur vis in adiuratione ineſt, si diuinam

A diuinis cōtemplationibus nemo temerè auocandus.

Adiuratio quid.

ob-

obtestantis personam expendamus; at quia, vt præmissum est, adiuratio est obtestatio per sacra, operæpretium erit, quænam sint ea sacra, per quæ sponsus adiurat, explorare. Per capreas inquit, ceruosque camporum. Porrò si verborum vim trutinemus, liquidò perspicietur, adiurationem hanc, non minus à sacris, per quæ fit, quàm ab adiurante vim obligandi contrahere. Sacra ergo hæc, capreæ ac cerui sunt. Quæ quidem animalia munda sponsum significare, non extraneo, sed intrinsecus nato conuincimus argumento. Paucis quippe interiectis, sponsa inter cæteras sponsi laudes mox recensebit hanc, sponsum videlicet similem esse capreæ ac ceruorum hinnulo. Est enim planè verum, animalcula hęc symbolicè & sponsum, & eius in nostra salute curanda comites eleganter exprimere. Nimirum caprea felle caret, cerui verò halitus serpentes vrit, quem-

Capreæ natura.

admo-

admodum, qui eorum animalium naturam scrutati sunt, tradidere; ac ita sponsus, eiusque comites amarulento peccati felle prorsus immunes, & aliorum salutis cupidissimi, serpentes, qui in latibulis sceleſtorum hominum delitescunt, halitu Spiritus sancti immisso, prorsus amburunt. Discrimen autem non exiguum est, quia sponsus natura, comites verò munere id habent, vt felle careant, & aura spiritus serpentes adurant. Princeps ergo significatio capreæ, ac cerui in sponsum tendit, qua proinde ille vsus est, ad confirmandam adiurationem. Quia enim nullum habuit maiorem, per quem adiuraret; adiurauit per semetipsum arcanè significatum. Ex hoc patet, quid sibi velit patrum Græcorum versio, quæ sic ait, Adiuraui vos filiæ Hierusalem per potentias, & fortitudines agri. Enimuero in agro huius mundi, totum id, quod præter sponsum, eiusq;

Cerui halitus. serpentes vrit.

comites reperitur, est imbecille, ac proinde apud sponsum tantum, eiusque sectatores potentia viget & fortitudo, vnde cum Septuaginta Interpretes, quos ij patres secuti sũt, verterunt potentias & fortitudines ex Hebræo, sensum potiùs, quam verba expendisse videntur. Fuit autem satis mystica versio. Cum enim is, per quem quis adiurat, potentia & fortitudine pollere debeat, vt queat adiuratum coercere, consultò ad id innuendum, pro sponso, eiusque comitibus, potentiæ ac fortitudines positæ sunt, per quas adiurantur filiæ Hierusalem, ne sponsam contemplantem interpellare, ac excitare audeant. Cum ergò ab hominibus rerum diuinarum ignaris, cum sponsa Deo auidissimè vacat, excitanda non sit sub obtestatione diuina; conficitur planè, vnius sponsi munus esse, illam excitare, elata voce somnum intercidente, quod sponsa nunc innuit, subdens.

Spon-

SPONSA.

Vox Dilecti mei.

Vox Dilecti mei, quæ vna id poterat, vi sua diuina sonuit, & expergefecit me.

ACsi planiùs loqueretur. Sonuit vox Domini in virtute, quæ sola arctissimum somnum, qui me totam permeârat, soluere valebat, & cuius erat ad sensuum functiones me reuocare. Cum oportuit, consopiuit, cum fuit opus, expergefecit me. Cedamus ergo illi fidissimo educatori. Animaduertendum est vnicuique sicut lineamenta distincta, ita esse vocem à quauis alia discretam, qua internosci queat ab alijs. Quæ tametsi pleriſque soleat esse nota, est tamen amantibus notissima; quàm vt primùm sentiunt, lætitia perfunduntur. Id autem, quo sponsi vox à cæteris vocibus secernitur, vis quædam est diuina,

qua intercidit flammam ignis, concutit desertum, & cętera patrat prodigia, quæ Vates regius fusè prosecutus est. Inter quæ reponi iure debet hæc proprietas ecstasi absorptos excitandi. At priusquam, quid ipsius hac voce eloquatur, exponat, aduentus quem obseruat modum, delineare curat, qui ad augendum amorem ipsum opportunissimus est. Depingit ergo illum (cum animam humanè viuere, & affari dignatur, vt proximè fecit erga sponsam ipsam) festiuum, celerem, ac meritorum mensuram metientem, Propterea inquit.

Psal. 28.

Ecce iste venit saliens in montibus; transiliens colles.

In montibus versatur ab hoc in illum, velut saltu se librans, colleſque præterit, cum grandiores charitate visitans, non ita sublimes, simili non afficit voluptate.

Ex-

EXPENDITE modum, quem sponsus obseruat, cum ad Sponsæ accurrit amplexus. Per excelsa loca erectus graditur, pedesque in montibus reponit; colles verò, qui montes altitudine non exæquant, transilit. Non erat vllo pacto supprimendum montium, colliumque discrimen. Sanè colles, minores appellantur montes, sponsus autem, montes perambulare dicitur, colles vero transilire. Cum autem inter arduos ipsos montes, & colles intermicent à vallibus se surrigentes, montium tamen altitudinem non æquantes, necesse fit, vt sponsum concipiamus à monte in montem, quasi saltu se librantem. Hæc autem est perpulchra translatio, qua sponsi arcana via, quum animas solaturus visitat, aperitur. Profectò, cum animas grandiores, charitatis proiectas celsitudine visitat, ex hac in illam commeans, montes peragrare, ac in montibus salire aptè dici-

Arcana via quam spõsus animas solaturus ingreditur.

tur, alios verò amore diuino non ita prouectos & excelsos, priorum merita non exæquantes, qui trasla-tè colles appellantur, quos simili non afficit, ac visitat voluptate, trā-silire dicitur, aut præterire. Delecta-tur impensè locis arduis sponsus, & gratior est illi saltus, quàm incessus, quod ex subiecta patet similitu-dine.

Similis est Dilectus meus ca-preæ, hinnuloque cer-uorum.

Sponsus meus dorcades visu perspica-cissimas, hinnulos cursu pernicissimos imi-tatur: visu eminus conspicit laborem, cur-su festinat ad opem.

PORRO præter illa quæ de caprea, ceruoque superius aperuimus in expositione adiurationis, ad enu-cleandam capreæ, ceruique simi-litudinem, animaduertendum est, capream dorcademue visu acutissi-

mo

mo pollere ceruis autem hoc esse ingenium, vt suos hinnulos salire doceant, quod qui eorum naturam & mores explorarunt, tradidêre. Quę profectò omnia huic loco sunt satis idonea; nam cum paulo ante sponsa languisset, & ipsius sponsi aduentum auidissimè flagitasset, ille quasi è longinquo, more dorcadis, visu perspicacissimo anxietatem sponsæ conspicatus, quasi moræ impatiens, saltu quodam, nedum celerrimo cursu ad illam properauit. Et hic sponsi mos natiuus, vt è cœli fastigio iustorum anxietatem vt caprea prospiciat, & ad eam eleuandam, velut hinnulus cursum saltumque doctus accurrat, quod etsi pluribus confirmari posset, vna tamen sequenti periodo satis euincitur. Ait enim.

Caprea visu acutissimo pollet. Cerui hinnulos suos salire docent.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Vt tempus opitulandi ceptet, stat, postquam cœlos petiit, post huius vitæ parietem obseruans. Haberque in aula sua fenestras non patentes, sed cancellis prætextas, vt nos inde inspectet, nec mutuo cernatur, nisi parcè, & ab acutissimo contemplatore aliquo. Cancelli temperant sponsi lumen, vt ad nos moderè feratur, ne noster perstringatur intuitus.

Exilium huius vitæ delineatio.

EXILIVM vitæ huius, quo arcemur à sponsi conspectu, qui nostra erit fœlicitas, nihil videtur esse aliud, quàm interiectus paries, qui omnino diruendus sit, priusquam ingrediamur in Sancta. At vero interea, dum illius nobis conspectus interdicitur, vnum, quod erat in hac orbitate solatium, nos quasi ex insidijs spectandi, qui mos amantium est, noluit amouere. Vnde sponsa venustè ipsum velut admoto pennicillo depingit post parietem quidē stantem, at fenestras, & cancellos, per quos nos intueatur habentem.

Arca-

Arcanum verò quiddam in fenestrarum structura pensari debet. Fenestræ quippe non pinguntur patentes, & peruiæ, sed insertos cancellos, hoc est ligna cancellatim transuersa habentes, Hispanè gelosias, quæ videntur eò constructæ, vt ij, qui domi delitescunt, & à quopiam cerni nolunt, prætereuntes inspectare, nec ab ipsis mutuò perspici possint. Sic nimirum sponsus, postquàm cœlos petijt reuehens triumphum, cancellos habet, seu fenestram cancellatim constructam, fenestram verò patentem ac peruiam consultò habere noluit, ne ipsius intuitu exilium in patriam verteretur. Cancellorum nempe constructio dum sponsi lumen obumbrat, prodest, ne ille nimio splendore nostros perstringat oculos, & vt nos attemperato lumine illustret, nec sinit nos illum è fenestra prospicientem agnoscere, nisi quis forte contemplator Dei gratia visum nactus fue-

rit acutissimum, non quo Diuinitatem intueatur ipsam, sed quo ad purissimam quandam Dei cognitionem assurgat. At sanè ipsi, qui arcanè caprea, dorcasùe ob visus perspicacitatem appellatur, cancelli nihil obsunt, verùm ex illis conspicatur nos humi repentes, sicut olim, quando ducebat populum suum per desertum, cum esset densa nubes inter ipsum, ac populum, frequenti coruscatione, è nube erumpente, nubes ipsa videbatur aperiri, & per scissuras nubis videbatur ipse prospicere. Et cum periculum impenderet, laturus opem, vt ceruus accurrebat, quod & nunc cumulatissimè præstat. Hæc prima loci interpretatio fenestram cãcellatim prætextam in sponsi aula constituit.

Secũda interpretatio.

Existit verò secunda non parum idonea expositio, si eam fenestram, non in sponsi, sed in sponsæ aula cõtemplemur. Sanè mos amantium est condicto tempore puellarum a-

dire

dire domos, & per clathros, cancelloſue ſolo propinquiores obſeruare, ſi qua intermicet earum, quibus placere ſtudent, imago; ac per tranſennam ſaltem in amatæ pulchritudinis ſcopum collimant. Hęc autem obſeruatio, ſpiritalis anatomiæ peritia quædam eſt, qua mentis aperitur natiua conſtitutio. Porrò, etſi ob carnis, cui animus nimiùm hæſit, concretionem, inter mentem noſtram, ac ſponſum paries interſtructus quidam ſit, quo is à ſponſi arcetur, & obcæcatur aſpectu; non tamen vſq; eò mentis oculi ſunt obſtructi, vt quaſi per cancellos ſaltem, etſi non per patentem feneſtram, ſponſi diuini ſolis lux in animam penetrare nequeat. Per has verò quaſi rimas, & cancellorum interualla θεοφανείας, ſeu diuinos radios ſponſus immittit, quibus tota domus ſponſę in exilio lugentis illuſtratur. Iuxta hunc igitur ſenſum ſponſa ſic loqui putāda eſt. Quāuis pariete mortali-

tatis,

tatis, ac humanæ concretionis ſeparemur ab ſponſo, at feneſtram habemus cancellatim conſtructam, cuius foraminibus ſponſi poſt parietem agentis oculi me interdum intuentur. Hi verò cãcelli ſecretiores ſunt, ſponſoque ſoli ad arcana colloquia explorati, qui perquàm ſedulò excolendi, ac repurgandi ſunt, ne aranearum telis puluere conſperſis prętexantur, ac luci liber non ſinatur illapſus. Caueri præterea debet, ne Satan hos norit cancellos, & lucis angelum ementiens, ſponſam ſeducãt ignaram; nouit enim fucatæ lucis imagine ſponſi honorem ſuffurari. Iam autem, poſtquam viſitationis modum graphicè ſponſa depinxit, exponere pergit, quid ſponſus ea voce, qua illa excitata eſt, monere velit. Quamobrem ab eo loco, vbi ait: Vox dilecti mei, vſque ad ſequentem periodon, parẽtheſis quædam protenditur. Sic ergo textus verborum conſuendus eſt. Vox di-

lecti

lecti mei (totaque parentheſi prætermiſſa) En dilectus meus loquitur mihi, ac ſi planiùs diceret. Dixi, Vox dilecti mei, altera idem phraſi enuncio, aiens, En dilectus meus loquitur mihi, ne intertexta verba longè à meo ſenſu lectorem abſterreant. Ait igitur:

En dilectus meus loquitur mihi.

SPONSVS.

Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.

Surge, hoc eſt, attollere, more ſurgentis in altiora contende, currens propera, & vt columba in nidum conuola per charitatis incrementa. O ſponſa verè formoſa, cui & virtutum decor, & actuum expeditio venuſtatem conciliant. Gradere, & ad me veni, hoc eſt, ſpecie tua, & pulchritudine tua proſperè procede.

MONET ſponſus, vt in altiora feſtinet, aiens, Surge. Non ſanè

quòd

quod hucusq; sponsa iacuerit. Semper enim attollebatur, & vt superiùs patuit, ardua petebat. Sed surgere dicitur eleganter, cùm in altiora cõscendit, quemadmodum Solem surgere vulgò dicunt, cùm in altiora procedit, esto numquam iacuerit, vel à motu interquieuerit. Citatiorem ergo motum, ac in charitate progressum poscit sponsus, quod subiuncto verbo declarat, inquiens, propera. Tanquam luculentiùs diceret, Surge, hoc est, propera, celeriùs curre. Vt verò efficacior sit adhortatio, interserit amicitiæ recordationem, ac legem, dum ait, Amica mea. Amicorum quippe res, & mores fiunt necessitudine communes. Mos autem sponsi est ocyssimè currere, quod ex hinnuli, capreæque patuit similitudine. Dum ergo ait, Amica mea, tantundem profectò agit, ac si apertè diceret. Vt surgas, & properes, & cursum potius, quàm incessum ames, mea reposcit amici-

tia, quæ te mihi exactè similem præstare contendit, vt in charitatis progressione capreas, ceruosq; perniciſſimos æmuleris, quibus ego arcanè significor. Hanc autem exhortationem mirificè auget subiecta mentio columbæ, quæ magis huc ad volatum commendandum, quàm ad synceritatem prodendam videtur accita. Porrò columbæ volatus & ocyſſimus, & constantiſſimus est, & ob id Noe illam ex arca videtur emisisse, vt si non tam citò locum quietis offenderet, longiùs posset conuolare, nec fessa mergeretur. In hunc ergo modum sponsus sponsam hortatur, surgere moneo, ac properare; at non cōfestim amori satisfactum est, qui non ab re alatus effingitur. Adeò quippe festinandum est charitatis augmentis, vt ex cursu ad volatum transeatur, & velut terrestri animantis natura, volucris ingenio permutetur. Volatum igitur arripe columba mea, cui

ego

ego pennas addidi, vt à terræ humilitate ſublata, in me, velut in nidum conuolares. Quod verò ſubdit, aiens, Formoſa mea, arcana ſignificatione non vacat. Porrò pulchritudinis laus in ſponſa, ex ſponſi exiſtit ſimilitudine, cuius binæ ſunt partes. Pars videlicet vna ex interna, animoque hęrente virtutum concinnitate conſtat. Pars altera in actione conſiſtit. quam ſponſa germanè ſatis exprimit, dum ſurgit, properat, & vt columba volat, quæ functionum expeditionum vniuerſa notant. Cõcinnè igitur formoſam appellat ſponſus eam, cui & virtutum, & actuum abſolutio exactam conciliat venuſtatem. Quod verò ſubdit, & veni, tantundem eſt, ac ſi hoc modo exhortaretur; gradere; ſpecie, ac pulchritudine creſcẽs, proſperè procede. Nõ enim, vt è corpore migret, ſed vt fœliciùs progrediatur monet; ad quam profectò adhortationem ſubtexta verba mirificè conducunt.

Iam

Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit.

Gradere velox, quia frigus culpæ, quæ hyems est, qua pedes congelarant, nec aditer expediri poterant, cessauit, flante Spiritus austro, qui calorem vitalem aduexit. Cessauit & imber præceps diabolicæ incursionis, agri fœcunditatem deuastantis.

FRIGORE grassante, membra quasi glaciata loco vix mouere possumus. Et quidem, si necessitas vrget, ægrè incipimus, donec sensim calore motu concepto, pedes ad iter expediuntur. Sicut autem calor diuini amoris, ita frigus culpæ symbolum est. Sublatum ergo sponsus monet impedimentum, pulsumq; culpæ frigus, quo sponsa olim congelarat, & apertè docet se inducto calore, porisque à contractione laxatis sponsæ, quasi ceruorum posuisse pedes. Enimuerò poros etiam suos in anima sponsus condidit, qui petita c

Sicut calor diuini amoris, ita frigus culpæ symbolum.

corpore metaphora, culpæ gelu constipantur, atque premuntur, calore verò diuino soluuntur, & patet. Premuntur sanè, cùm frigus cogit artus, cùm obrigescit mens spiritus diuini calore destituta, & peccati glacie concreta: soluuntur autem, cùm flat genialis auster, hoc est, cùm spiritus ardor sponsam permeat, arcanis tanquam poris exceptus, & attractus. Cuius profectò mysterij natura symbolum adumbrauit in accipitre, qui flante austro se attollit in aërem, ac vento illi calido, & salubri expansis se alis opponit, & dum perflatur, totum rarescit corpus, poriq́ue patefiunt. mox vetustæ pennæ loco excidunt, nouæque succrescunt. Quæ quidem omnia in sponsam harmonicè conueniunt, quæ cum olim frigore congelasset, nec gradi, nec ad volatum nouas virtutum, quibus ferretur, pennas promere valebat; sed postquam meridionali aura perflata est, promit nouas ad

Accipitris natura.

uà ad celerem progressum munimẽta, vt ritè in eam quadret illud effatum. Et placebit sponso super vitulam nouellam, cornua producentẽ, & vngulas. Cornua quippe ac vngulæ, hoc est, ad pugnam, & gressum instrumenta quædam sunt, ea, quæ mox apparuisse dicemus. Consultissimè autem sponsus, ante quàm sponsæ, qui apparuêre, fructus recenseat, vt lætior fiat commemoratio, ait, imbrem, hoc est, præcipitem dæmonum incursionem, qua felix animæ vastatur ager, abijsse, ac ver redijsse tranquillum.

Flores apparuerunt in terra nostra.

Ex virtutum animo consitarum plantarijs, actus ceu flores odorati, & aspectu pulchri, in anima tua, quæ terra ferax nostra est, enati sunt, ò sponsa charissima.

VIRTVTVM habitus plantę sunt, in anima satę, ex quibus appare-

Veris temporis designatio.

re, hoc est, enasci actus tanquam flores asseruntur, quæ verni temporis significatio est. Etenim flos quasi latebat in caule, cum frigus grassabatur; apparet autem asperitate frigoris cedente, mitioreque tempore subintrante. Quod verò sponsus ait, in terra nostra, satis aperte notat, sibi cum sponsa terram esse communem, animam videlicet sponsæ ipsius ab vtroque coniuge curandam, & excolendam. Longè quippe seiuncta est terra hæc, ab ea, quam dedit filijs hominum. Flores ergo, inquit sponsus, apparuerunt in terra nostra quasi amoto symbolo planè dixisset, ex virtutibus in anima tua satis, ô sponsa, velut è plantis, actuum, & aspectu, & odore gratissimorum flores emersserunt, sed quæ sequuntur emphasim habent.

Tempus putationis aduenit.

Accessit tempus amputandi vetustos mores, falce virtutis succrescentis.

PRÆPOSTERVS videtur ordo, vt flores primùm apparuisse dicantur, deinde putationis tempus aduenisse. Priùs quippe, vt sub vno dũtaxat exemplo vniuersim de agricultura loquamur, è vite sarmentum amputatur, postmodum concrescit gemma, flores deinde vuarum erũpunt. At contra in agro vsu venit interno. Ipsarum nempe virtutum diuinitus infusarum flores primùm enascuntur, cùm suos promunt actus; exindeque vetustas amputatur; ita sanè, vt virtus ipsa succrescens, acumenque proferens, sit ea falx, qua vetustas est recidenda. Postquam enim vitia radices egerunt, si quis ad iustitiam extemplò euocetur, ex virtute recens infusa crebros debet actus multa nauitate progignere, per quos velut scalpro quodam, vitiorum callos exsecet. Hoc ergo mysterium latet in ordine arbores putandi, post florum exortum. At turturis vocem expendamus.

Agri interni actus.

Vox turturis audita est in terra nostra.

Vox turturis, quæ arcanè vox à casto tuo prompta corpore dicitur, in animæ terra feraci sonans ad me perlata est.

NOTISSIMVM est, turturem auem esse castissimam, secundæ veneris insciam. Notissimum est etiam, castitatem ad clariorem vocis sonum, & quendam tinnitum velut argenteum valde conducere. Qui enim Venerem adhuc experti non sunt, vocem edunt suauiorem multò & clariorem. Contra verò, qui vel primoribus labijs Venerem gustarunt, vocem quandam obtusam, & iniucundam reddunt. Turtur autem hoc loco sponsa symbolicè nuncupatur, cuius vocem clarè sonantem; verè argenteam, qua sponsum precabatur, auditam esse sponsus ipse testatur, in ea terræ sorte, quæ illi hęreditate obtigit, quę

Sponsa instar turturis.

profe-

profectò terra anima ipsa est, quam sponsus, ceu proprius hæres possedit. In hac terra feraciſſima castas exaudit voces, intus dumtaxat prolatas, quæ quantò puriores, & ab omni Venere remotiores sunt, tanto altiùs efferuntur, & in aurem diuinam extolluntur. Constat nempe (vt in translatione persistamus) à castis corporibus subtiliores edi voces, aërem faciliùs intersecantes, & longiùs, quàm obtusas, peruagantes. Potest præterea turturis nomine spiritus diuinus intelligi, sicut & sub columbæ symbolo nonnunquam solet, cuius vocem, internum sibilum, vel inspirationem, vel petitionem auditam sponsus ait. Vox autem turturis gemitus est, vt quidam dixit. Nec gemere aëria cessabit turtur ab vlmo; Spiritus autem pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus. Cùm ergo sponsa diuino Spiritu afflata frequẽs gemebat, & præsentis sponsi desiderio æ-

rio æstuabat, postulabat certè per illam Spiritus, gemitum pro cantu edens, turturis more. Quem porrò gemitum quia sponsus audiuit, & hyeme pulsa, ver adesse imperauit, vocem turturis auditam, rectè fatetur. Verùm, quæ sequuntur exploremus; pertinent enim ea ad absolutam quandam veris effigiem.

Ficus protulit grossos suos.

Sicut ficus grossis emissis fructum perfectiorem pollicetur: sic tu actibus, cum esses infans, rudibus, tanquam grossis quibusdam editis, dulciorem virtutis fructum, velut ficus melle imbutas, sperare feciſti.

Veris effigies.

FICVS, ob calorem, prædita est vi ad humorem terræ exsugendum & attrahendum insigni. Et quasi moræ impatiens, ante fructum dulcem ac perfectum, fructum quendam imperfectum, qui grossus appellatur, & interdum est esculentus,

emit-

emittit; qui præmonstrat fructum syncerum, ac mitem. Sponsa symbolicè ficus nuncupatur, quę in spõso sata, per recentem charitatem, vitalem terræ illius feraciſſimæ humanæ scilicet naturæ assumptæ, humorem toto pectore hauriebat, cũ in charitatis infantia, velut lac ab ea sugebat, vim meriti, & satisfactionis eliciens. At quia paruula erat, & sermonis iustitiæ expers, nequiuit euestigiò perfectum ferre fructum, qualem ficus melle imbuta notat; protulit tamen, velut more impatiens, grossos, actus videlicet insuaues, quales animus promit virtuti non assuetus; qui tamen spem fructus perfecti excitarunt, & animum, ne caderet, erexerunt. Animaduertendum fuerit non oscitanter, in hac tota veris descriptione, præteritis spõsum, vti vocibus; ait enim, flores apparuisse, vocem turturis auditam, ficum protulisse grossos, & similia, quia videlicet; hæc iam

Sponsa ficus nuncupatur.

inde ab exordio charitatis sponsæ contigerunt, ex quibus ad progressum sponsam exhortatur. Sed sponsum audiamus pergentem.

Vineæ florentes dederunt odorem suum.

Ego, qui vitis sum, è cuius propaginibus vineæ seruntur, florui, ac odorem fudi per te, ceu palmitem, ô sponsa mea.

EX sponsi ipsius accepimus oraculo, ipsum vitem esse, eos verò, qui arcana insitione ipsi hęrent, palmites dici. Constat autem experimento, vitem suam vim in palmitem corriuare, qui humorem vitis exsugens florem promit. Vnus itaque ac idem est vitis, ac palmitis flos. Vitis ergo sponsi, per insitum sibi, & ab ipso porrectum sponsæ palmitem floruit, & odorem cœlestem effudit. Quod autem vineas, & non vitem Salomon dixerit, metonymia est. Numerus verò

plu-

pluralis pro singulari figuratè reponitur. Post pauca enim in eandem sententiam singulari numero dicturus est. Nam vinea nostra floruit. Præterquam quod vinearum omnium, quotquot ab æterno Patre, tanquam agricola coluntur, series ab vna sponsi vite propagata est, quod innuitur, cum sponsus ipse plurium vinearum significatione notatur. Et quidem, quemadmodum per sponsam florere, sic ad fructum peruenire censendus est. In ijs enim, qui mira cultoris Patris sui sapientia inseruntur ipsi, vt palmites fiant, diuersè proficit sapientia, ætate, & gratia; & iuxta palmitum mensuram, aut infans incipiens, aut adolescens proficiens, aut vir perfectus apparet, quemadmodum & vitis fructus diuersa metamorphosi mutatus, florens, omphacium, maturaq; vua cõspicitur, quæ omnia sunt amoris quædã velut emblemata. Principio ergo sponsus

per

per sponsæ palmitem floruit, acodorem suauissimum exhalauit, quo velut apice veris descriptionem absoluit; & argumentum paræneticũ constituit, quasi in hunc modum efaretur. Spes magna tui profectus ab ipso charitatis primordio excitata fuit, ô sponsa; quam augebat veris modo descripti fœlicitas, quæ tunc oborta est; nunc igitur spei responsura neruos intende, ac ascensiones in tuo corde dispone. Propterea dicit.

Surge amica mea, speciosa mea & veni

Horum verborum interpretatio paulo ante à nobis adducta est, quâ enim hic speciosam, nuper formosam nuncupauit. Columbæ autem nomen, quod ibi sponsus intexuit, hic in proximam periodum transtulit, vt nouum mysterium propalaret.

Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.

Sponsa mea, vt columba vola ad me immortalem petræ soliditate signatum & requiesces in relictis vulnerum foraminibus, quæ vt nidum tibi comparauit amor. Conuola etiam in cauernam lateris mei vulnere lato patentis, vt ibi gemas, & cum quadam sympathia, mortis pro te perlatæ acerbitatem mediteris.

HORTATVR sponsam columbæ nomine ob coniugij fidem insignitam, vt tanquam celeri quodam volatu, in ipsum conuolet, in quo velut in nido molli cõquiescat. Amant columbæ petrarum receptacula cæsarum, parietum etiam, seu maceriarum cauitates, quibus receptæ, naturæ seruire queant. Vulgatum est autem, petra olim in deserto percussa, & aquam euergẽte sponsum fuisse notatum, sicut scriptum est, Petra autem erat Christus. Maceria etiam idoneè satis significatur ipse. At petram à maceria secernere, ad sponsi sensum con- Psalm. 77.

cipien-

Maceriæ descriptio.

cipiendum, oportebit, quemadmodum ex sanctorum obseruatione accepimus. Maceria quippe, quæ nihil est aliud, quam structura, & series lapidum calce carentium, quæ proinde facilè soluitur, ac diruitur, mortalem adhuc sponsum notat, tunc maximè, cum impendente morte, vitali humore destitutus, carneque verberibus absumpta, sola costarum crate, ossiumque serie videbatur exstructus. Petra verò, quæ suapte natura benè compacta, & solida est, difficileque teritur, præsertim si ea silex sit, qualem deserti fuisse petram, Christi præferentem typum, scriptura docet, immortalem significat sponsum, quod emphasim habet valde miram. Quod enim in eo, dum adhuc maceria esset morte diruenda, latè pateret lateris vulnus, ceu cauerna quædam in quam, velut in nidum sponsa conuolaret, repetito illic gemitu, columbæ more sponsi passionem

Petræ delineatio.

me-

meditatura, non adeò videtur mirum; hoc enim mortalis natura ferebat. Verum postquam resurgens ex mortuis, iam non moritur, cum mortis, passionisque vestigia delenda essent, vt mystica silex, immortalis appareret; præamoris magnitudine in immortali petra foramina reliquerit, in quibus per symphatiam quandam, sponsæ animus, ex morte ad immortalitatem libandam resurgens conquiesceret, impensè mirandum est. Monet igitur ille sponsam, vt ad ipsius imitationem assurgat, alternisque poculis doloris, & gaudij deinceps vtatur. Ac si luculentius diceret. Assurge, & aduola in nidum à me tibi comparatum, ô spōsa columbas æmulata. Aduola in vulnus lateris hiantis, & in corpore mortali maceria significato patentis. Hic, vt colūba, meditare mortis, & te latæ acerbitatē; geme; & è corde meo vim elice diuinam. Hic Rom. 6.

nidus

nidus esto, in quem ab accipitre infestata confugias. Sed caput interdum effer, & me solidam, morti non vltra obnoxiam petram contemplare, in quam & conuolabis, & in patentibus foraminibus quiescès, vt, immortalitate prælibata, fias in bello fortior, & constantior. Expedit autem, quod ad ordinem attinet, priùs adire foramina petræ, vt inde fias animosior, ad frequentandam cauernam maceriæ, quemadmodum & ego proposito gaudio sustinui crucem, confusione contempta. Ad hoc eximium opus assensum poscit sponsus in hæc verba.

Ostende mihi faciem tuam.

Faciem vtramque, internam scilicet, ac externam mihi ad ardua te excitanti ostende, hoc est, hilarem exhibe. Vt illam auertas, more illorum, qui deforme quippiam, vel sibi exosum visum execrantur.

CVM quippiam exosum, aut deforme conspicimus, faciem solemus auertere, ac ita eius contactum, commerciumue detrectare. Contrà verò, si quid gratum, vel ex se pulcrum occurrit, faciem illi solemus admouere, & attentius inspectare. Hoc ergo arcanè sponsus postulat, vt, cum ad maiorem profectum sponsa euocata sit, libens rē aggrediatur, nec difficultate deterrita, nec mœrore confecta, hilarem enim datorem diligit Deus. Ostende igitur mihi faciem tuam, inquit ille, faciem scilicet lætam, ablutam, oleoque lætitiæ delibutam, ne mœror, & pallor, qui olim hypocritis obiectus est, tibi possit exprobrari. Profectò, tametsi facies hæc ab spōso expetita, sit mens ipsa, internusque assensus expeditus ac hilaris; opportunè nihilominus intelligitur externa hæc & aspectabilis facies, quæ animi signa exteriùs exhibet. Ab hac enim, non aliter, quam

Ostendere faciem, est hilarem sese exhibere.

ab interna, mœstitia omnis arceri debet, quoties grauia nobis imponuntur onera, ex diuino imperio, ferenda. Quod autem hic de facie assertum est, idem prorsus de voce est accipiendum. Quamobrem subditur.

Sonet vox tua in auribus meis.

Interna, & externa assensum prodente voce mihi respondeo, & concine. Vtrag, enim humano more mihi agenti eximiè placet.

NON posco, vt alienis vtaris vocibus quantumuis suauibus, & ad modos musicos inflexis. Tuam cupio audire vocem, claram, argenteam, elatam, qua mihi vocanti respondeas, quam mente primum concipe, externè post enuncia. Duplici voce, interna scilicet, & externa, sibi ad altiora excitanti responderi sponsus optat; quam mentalem, & vocalem orationem appellamus, sibi eximiè placere, hoc

Vox interna & externa, est mentalis & vocalis oratio.

loquen-

loquendi modo humanis moribus attemperato saltem adumbrans. Enimuero, vocem eam, quæ profertur externè, nedum internè conceptam, sponsi auribus iucundè insonare, omnino verum est; etsi enim desiderium pauperum, & præparationem cordis, ante vocis externæ sonum sponsus percipiat; ne tamen externa verborum enunciatio, quæ vni homini inter animantes omnes, ad sua sensa promenda tributa est, sua potissima functione, quæ diuina laude constat, vllo pacto careret, diuinæ fuit sapientiæ, laudis externæ ius ab hominibus expetere. Quam sanè laudis rationem, in patria cœlesti, vbi tamen minus fore credi posset, censemus non defuturam. Rationem autem, ob quam, & faciem, & vocem expetat, palàm reddit, aiens.

Vox enim tua dulcis; & facies tua decora.

Vox assensum exprimens, quæ tua (non aliena, per vim, aut necessitatem extorta) est, harmoniam dulcissimam mihi excitat. Facies item ad obsequium læta, quæ tua, hoc est, non simulata, vel coacta, sed spontanea, & nativa est, mira me allicit pulchritudine.

AC si planiùs diceret, tuam opto audire vocem, faciem tuam spectare auidè conor. Sic enim vox tua est, hoc est, sponte abs te edita, non coacta, non extorta, non ex tristitia vel necessitate profecta, suauissimam efficit harmoniam, qua nihil à te mihi iucundius præstari potest. Si facies tua est, hoc est, spontanea, intus enata, non aliunde inducta (qualem deformes inducto fuco, ac cerussa fœminæ conquirunt) decore, ac venustate nitet incredibili, ita vt minimè mirandum accidat, si Rex speciem tuam concupiscat. Emphasis ergo inest in ijs verbis; Vox tua, facies tua; qua sponsus ob-

Vox tua & facies tua Emphasin habent.

tem-

temperantem animam, læto vultu, obuijs vlnis ipsi occurrentem valde commendat; magis enim operis modum, quam ipsum opus expendit. Hic existimandum est, sponsam læto ac expedito ad opus animo se immolasse totam; & sponsum modò fausta illi acclamare, ac de illius tuitione vigilantissimè cogitare. Quamobrem per apostrophen quandam, ad vinearum custodes conuersus, ab sponsa insidiosos hostium incursus procul arcere iubet.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.

Doctores ac Duces animarum, fraudulentos dæmones, qui vulpes imitantur paruulas, cum leues culpas astu miro animabus persuadent, & sic sensim vineas à me cultas deuastant, capite, hoc est, in astu suo deprehendite, ac procul arcete.

VVLPIVM symbolo notari dæmones prodidit diuinus Psaltes,

Per vulpes dæmones insinuantur.

cum hostes suos tradēdos in manus gladij, & partes, hoc est, sortē, vel prędam vulpium futuros cecinit. At humani generis hostis, vulpis nomenclaturam non est sortitus ex aperto marte, cum debacchatur in hominem, & tæterrima illi scelera palam persuadet, sed ex argutie, ac simulatione (quæ in vulpe notissima est) qua vtitur; cum per arduam virtutis viam fœliciter gradientes, obiecto virtutis, puta charitatis, aut prudentiæ colore, pertrahit in anfractus, & diuerticula. Hac enim calliditate, sperat ille, vineas animarum, ex sponsi vite propagatas à se vastandas, porrectosque inde virtutum palmites concerpendos. Si enim animis toto conatu ad Deum hiantibus turpia sine integumento persuadere tentaret, probè nouit sibi ostia oppilanda. Hæ sanè vulpes plus vafritie nocent, quam cum in piacula grauiora viros perfectos pręcipites agunt. In ijs quippe diu

morari animus horret, ac inde resilit quantocyùs; at leuiora non adeò formidat, sed callum in illis contrahit, semper ad peiora procliuis. Bene ergo sponsus ait has vulpeculas, non apros, aut alia efferata animantia, suas vineas demoliri. Propterea studet per suorum ministrorum vigilantiam, & sedulitatem, à sponsa sua hanc pestem auertere. Ait igitur, Doctores Ecclesiæ alloquens, Vos, quibus hostium technas, ac decipulas explorare commissum est, ne in eas, qui per charitatis iter gradiuntur incurrant, accuratius inspicite, ne vulpes paruulæ, hoc est, dæmones, paruulas, leuesque culpas persuadentes, se in vineas à me propagatas clam insinuent, illasque deuastent. Huius autem præcepta imponendi, vrgentem satis rationem procudit, aiens

Nam vinea nostra floruit.

Ipsa opportunitas monet, vt vulpeculas capiatis, quia sponsa, quæ à me & à vobis tanquam vinea communis excolitur, per me, qui ceu vitis in eius corde satus sum, floret. Animamq; ipsius vt palmitem mihi insitum longius porrigo. Ne igitur vulpes hanc vitem lacerent, eas procul pellite.

Plantarum nutritio.

SI naturam spectemus, plantæ à terra humorem hauriunt, quo aluntur, & crescunt. Si supra naturam caput efferamus, plantas in subacto, & diuinitus culto animæ solo defixas, non à solo vim altricem elicere, sed contra vim illi cernemus impertire. Et tametsi hoc verum experiamur in vniuerso virtutum genere, quibus natura nostra suffulcitur; multo tamen est verius, si virtutum authorem sponsum, in medio sponsæ corde consitum, & tanquam vitem virtutum flores,

per

per sponsæ animam tamquam palmitem promittentem contemplemur. Fit nimirum arte mira, vt idem sit flos vineæ, ac vitis, sponsæ, ac spõsi, ita tamen, vt vim sponsæ terra sugat à vite. Quia ergo vinea nostra, hoc est, quæ mihi & vobis (ò Doctores Ecclesiæ, ac animarum duces) colenda est, florem prompsit, modo (vt audistis) planè mirando, vulpeculas fraudulentas arcete. Nunc quia amoris ingenium semper fertur in orbem, quam curam ab sponso sibi cernit impendi, quasi circulum peragens, sponsa rependit.

SPONSA.

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Sponsus se totum mihi tradit, & ego illi auidè me tradam. Illi vni vacabo, soliquetpsi subseruiam, quemadmodum calicis capsula, soli seruit excipiendo calici, ad cuius figuram & mensuram efficta est.

ÆQVVM est omninò, si excelsa sponsi Maiestas tam sedulò spõ-

sæ curat incolumitatem, vt nihil aliud vel cogitare, vel optare videatur, cum tamen vniuersa ipse moderetur & compleat, vt sponsa humili loco nata se totam illi tradat, nihilque aliud interea moliatur, & se cæteris rebus vniuersis subtrahat, hanc vnam functionem obitura. Inest ergò in verbis energia, dum ait, Dilectus meus mihi, ex quo quasi subinfert, & ego illi; tamquàm si expressiùs diceret; & ego illi adeo addicta & medullitùs hærens futura sum, vt cætera omnia præter vnum illum mihi sordeant, & cordis cauitatem explere nequeãt. Quam quidem sponsæ sententiam, accita calicis, aut ensis similitudine possumus explanare. Sunt, & væneunt passim capsulæ quædam ad calices sacros condendos effictæ, calicibus ipsis & figura, & mensura omnino quadrantes, huic tantùm vsui destinatæ, quarum intercapedinem res aliæ explere nequeunt,

Simile.

calix

calix dum taxat ipse complet. Quod peræquè de vagina & ense asseri potest, Sponsus ipse calix est sacer (qui metonymicè dictus, quotidie hauritur in Ecclesia) capsula qua ille conditur, illi figura apprimè quadrans, sponsa est, cuius cauitatem incassum quis tentet explere, nisi sponsum condat in ipsa. Sicut enim ille sponsam ad suam effinxit imaginem, ita & solus ille valet eam explere. Cætera quidem omnia, quæcumq; cauitate hac includi possunt, partem quidem occupabunt, at omninò habilia esse nequibunt. Hoc ergò sensu verba illa interpretanda sunt, Et ego illi. Quibus profectò verbis coniunctio inhæsioque cum sponso arctissima notatur; qua ex inhæsione, arcanoue tactu mens defæcatissimam contrahit puritarem, qualem Agnes experiebatur, cum aiebat: Quem cum tetigero, munda sum. Hæc verò eximia puritas, & interna, nedũ externa castitas mirifi- S. Agnes.

cè de-

cè delectat & quasi alit sponsum, qui propterea canitur septus choreis virginum, inter quas versatur festiuus & hilaris, tamquàm agnus in pascuis vberrimis, quod subiecta verba demonstrant.

Qui pascitur inter lilia.

Qui voluptatem percipit, dum versatur inter animas ob castimoniam & puritatem liliis comparatas.

MIRVM est profectò, sponsum, qui pastorum est princeps & nomine & functione, non pascere, sed pasci inter lilia. Quamobrem meminisse oportebit, eundem non minùs agni, quàm pastoris symbolo significari. Introducit autem illum Spiritus sanctus in scenam, velut agnum candidissimum, in campo, pratòue lilijs referto agentem, ac pascentem, vt innuat, animas castimonia insignes, quæ symbolicè lilia nũcupantur, ea esse pascua, quæ ipse libentiùs frequentat, & colit, ex qui-

Animæ castæ lilia nũcupantur.

buſq; eximiam percipit voluptatem; hoc eſt enim paſci, quaſi planius dicas, guſtare. Quòd verò lilijs conſita dicantur ſponſi agni paſcua, non violis, cæteriſque id genus floribus, efficit exacta cum ipſo ſimilitudo, quæ non adeò in alijs virtutibus elucere videtur. Siue enim, quà homo eſt, illum contueamur, virgo ex virgine exortus eſt, matris illæſa, & obſignata puritate. Siue illum, qua Deus eſt, ſpeculemur, Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Iam verò, quia hoc liliorum pabulum dulciſſimum ſponſus expertus eſt, difficileque quis ab eo loco recedit, ex quo & requiem & voluptatē elicit, ſponſa rei non ignara prodit, ſponſum decreuiſſe, quamdiù immortalis iam ipſe cum hominibus agit mortalibus, in ijs liliorum paſcuis, velut in proprio ac natiuo ſolo ſe præſertim verſaturum, quouſq; immortalitas appareat. Videtur enim loton guſtaſſe. Propterea dicit.

Donec

Donec aſpiret dies, inclinentur vmbræ.

In ijs paſcuis liliorum agnus Dei candidiſſimus paſcitur: donec dies virtutis ſuæ (quæ gloriæ claritas eſt) iuſtis affulgeat: & peccatorum vmbræ, quæ mundum obtenebrant, in tartarum detrudantur.

QVASI expreſſiùs loqueretur. Donec dies ille virtutis ſuæ, quę illuſtriſſima eſt gloriæ claritas, aſpiret, hoc eſt, affulgeat; & vmbræ mortis peccati, ſub quibus mundus ſepultus iacet, inclinentur, hoc eſt, in tartarum delabantur; ibi enim vmbra mortis tota, ex eo die, concluſa, & horror ſempiternus habitabit. Pulchra certè ttanslatio à diei ortu, & vmbrarum delapſu petita. Exoriente quippè ſole, & ſummo mane montium vertices primùm illuſtrante, vmbræ inclinari, hoc eſt, à culminibus, ad imas valles delabi, & Solem ipſum quaſi fugere cernuntur. Sic cum in aduentu

Tartari deſcriptio.

Simile.

ſecun-

secundo sponsus, verus iustitiæ Sol, inclaruerit, omnis mundi caligo ipsum formidans in tartarum detrudetur, diesque lucebit æternus. Nunc verò expendenda est diuinæ prouidentiæ ratio, quæ verbis proximis aperitur.

Aduentus secundus sponsi.

Reuertere (similis esto, Dilecte mi, capreæ, hinnuloq; ceruorum) super montes Bether.

Dilecte mi, qui à lilijs recedere soles, ad desiderium augendum ne moreris absens, sed ocyßimè reuertere, ſuper animas montibus Bether, vbi te manifeſtaßti, notatas; quæ ſicut lilia dicuntur ob puritatem, ita montes Bether ob contemplationem, cui puritas reddit eas aptißimas. Reuerſionis autem modus hic eßto, precor, vt velut caprea, ſeu dorcas eminus acutißimè cernas hos montes arcanos; quibus, inter alias, ego notor, & cum opus fuerit, tanquam hinnulus, qui eßt ad curſum pernicißimus, ad nos reuertaris, vt ſis adiutor in opportunitatibus.

LIBENTER sanè inter mystica lilia sponsus versatur; & figuratè dicitur ab eis nunquàm recedere, quia crebriùs per familiare colloquium adest; quēadmodum à theatro nunquam eum abesse dicimus, qui frequentat illud. Et quidem, quoties sponsus lilia inuisit, sponte accedit. Pertinet autem ad diuinæ ordinem & harmoniam sapientiæ, vt quod ipse sponsus præstare decreuit, ab ipso nihilò segniùs petatur, quàm si parùm illē libēter annueret. Quantò enim acriùs vrgemus, tantò petitio ad impetrandum fit neruosior, & qui flagitat dignior. Propterea Salomon introducit sponsam anxiè postulantem, & sponsum quasi auersum, ad seipsam prece cōuertere, & exorare satagentem. Reuertere igitur (inquit illa) hoc est, Qui abire, & crebrò ad lilia redire soles, ne absentię tempus protrahas, sed ocyus reuertere. Noui te ad reditum promptissimum, sed orari vis, &

repe-

repetita prece pulsari; ob id precor te, sponse suauissime, ad lilia, inter quæ consita sum ego, reuertere. Opto ardentissimè, te, dum recedis, capreæ, dum reuerteris, ceruorum hinnulo persimilem esse; vt dum abes, capream, cuius est visus acutissimus, imiteris, eminùs me, anxietatemque meam explorans visu perspicacissimo; ceruum autem, qui est cursu pernicissimus, dum reuerteris, æmuleris, accurrens ocyssimè ad opem anxietati ferendam, & me voluptate perfundendam. Sic ergo textus hic interpretari debet, vt spõsus reuerti ponatur, ac proinde illum abire opus sit, vt hac vicissitudine, dum abest, augeat desiderium, dum reuertitur, cumulet voluptatẽ; dum longiùs recessisse putatur, vt caprea, visu sit præsens; dum redit, vt hinnulus exultãs, currat in amplexus. Cur autem reuerti super montes Bether dicatur, enucleandum est. Nonnullis placet Bether hic montem Sinai, Bether mons.

vbi cum Deo Moyſes agebat, ſignificare. Chaldæus autem paraphraſtes montem Moriah, vbi Abraham filium immolare parabat, intelexit. Siue autem Sina, ſiue Moriah intelligatur, ſatis ad rem ſponſa loquitur. Sponſus enim in vtroque monte, vt caprea ſuos dilectos reſpiciebat; vt hinnulus accurrebat ad opem. An non ad Moyſen ſæpe redibat in Sina, & populi bonis familiariſſimè proſpiciebat, ac ſi paterfamilias domus tantùm fuiſſet illius? An non in Moriah & ſe clariùs manifeſtauit, & hinnulo velocior accurrit, ad Abrahæ gladium retardandum? Benè quidem iſta congruunt, at arcanum quiddam ſuccurrit, quod ex vtriuſque montis in hiſtoria ſponſa traducatur. In vtroque quippè monte Moyſi, & Abrahæ Deus præſentiſſimus affuit, ſuæque cognitionis lumine (pro ænigmatis ſtatu) eximio illos cumulauit; ita quidem, vt duos eos montes ad diuinum

splendorem excipiendum, à cæteris consultò videatur secreuisse; vt meritò Bether, domus separationis interpretetur. His proinde montibus visioni destinatis, animæ translatè significantur, quæ ob castitatis candorem lilijs comparatæ sunt, & ob angelicam vitæ rationem, humana concretione ceu valle multò excelsiorem, quasi in montium vertices visioni opportunos se erexerunt. Constat enim animas puritate insignes lumini diuino concipiendo cæteris esse multò aptiores; sicut de Carpo, quem offendit in Creta, Dionysius Areopagita ad Demophilum Monachum scribit in hæc verba. Cùm aliquando in Cretam veniissem, me Carpus hospitio excepit, vir, si quis alius, propter magnam mentis puritatem ad cernendum Deum aptissimus. Quibus rectè perpensis efficitur, vt easdem animas, quas appellauit lilia, nunc sponsa montes Bether

Bether domus separationis interpretatur.

appellet, quasi disertiùs diceret, eas ob puritatem velut in altiorem naturam euectas, esse eos montes, in quibus luculentiùs se sponsus manifestat. Sic igitur interpretamur verba; vt sponsa precetur. Dilecte sponse, qui soles abire, identidemque animas puras Bether montibus notatas reuisere, reuertere quantocyùs super illas: In recessu autẽ, ac reditu similis esto capreę è longinquo prospiciens, ac erga illas vigilans; vbi vero eas vel ope, vel solatio egere conspexeris, hinnuli more, quàm celerrimè accurre. Verba sic contexenda sunt, Reuertere Dilecte mi super montes Bether, similis esto capreæ, hinnuloq; ceruorum.

CAPVT TERTIVM.

In lectulo meo, per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.

In requie, qua sponsus me teneram permulcebat, lectulo, ac noctis tempore notata, sponsum ipsum quæsiui; at non ibi cunctandum erat, & quia nimis ibi voluptati hærebam, illum non inueni.

POSTQVAM ea verba disertè prompsit sponsa, quibus eam sponsus in arcano alloquio adhortabatur, aiens: Surge, propera, & id genus cætera; vt hortationis causam, & opportunitatem aperiat, hæc verba producit; quorum sensum vt assequamur, animaduertendum est, sponsam non admodum proiectam depingi ante illam exhortationem; quippe, quæ tenerum, quàm fortem amorem magis expe-

riebatur. Quod vt nobis ediſſerat, accita lectuli translatione opportunè vtitur. Porrò neminem latet, lectos ad requiem comparari, noctiſque tempus humanis commercijs ineptum ad ſomnum homines pellicere; omniaque tum hominum ingenia quaſi ſepulta iacere. Symbolicè igitur lectus, & nox, non arduum quippiam, quod natura formidet; non virtutis experimentum; ſed eam requiem, quam partibus recenter ad iuſtitiam editis Deus immittit, cùm eos, & lacte voluptatis alit, & indulgentiſſimè ſolatur, apertè notant. Et quidem tametſi, dum eiuſmodi voluptatem ſponſus efficit, adſit ipſe; aſſeritur tamen non inueniri, cum non propter ſe, ſed propter voluptatem inquiritur. Eſt enim conſentaneum, inſtillatum ab ipſo dulcorem excipere; at non expedit in illo, ſed per illum ſponſum inueſtigare. Quamobrē, cum ſponſa in illo lectulo, & nocte arcana,

Lectus & nox requiē notant.

ſpon-

sponsum quæsiuissem, idoneè satis fatetur incassum se laborasse aiens: Quæsiui illum, & non inueni. Parcè igitur voluptate fruendum, & ad voluptatis effectorem ocyssimè properandum est: Propterea sic effatur.

Surgam, & circuibo ciuitatem.

Ad amoris examen, è lecto voluptatis surgam, & in laboribus, ac ærumnis Ecclesiæ vrbem perambulabo, sedulò me bonis operibus exercens. Sic enim voluptate non delinita, sed amore forti calamitates perferens, ad sponsum perueniam.

IACEBAM in molli voluptatis lecto. Petrum imitata, voluptatis auida, perfectæ charitatis immemor, aiebam: Bonum est nos hic esse. Matth. 17. At quia didici pueriles mores, ac delicias exuere, excutiam me ipsam, & lacte relicto, ad cibum solidiorem assurgam. Hæc enim ascensio amoris est, in valle constructa lachrymarum. Sic ergo sponsa effatur, & apertè docet; Surgere, nihil esse

aliud, quàm in perfectiorem charitatem ascendere. Hic verò ascensus, non voluptate, sed cordis pressura, & labore constat, quod Sanctorum res gestæ facilè declarant. Tunc enim illi fœliciùs creuerunt, cum à Deo velut repulsi, omni prorsus voluptate orbati, ærumnis conficiebantur, & cruciatibus, per quos sponsum sollicitiùs quàm antè quærebant. Hos inquit Paulus, circuisse in melotis, & pellibus caprinis egentes, angustiatos, afflictos. Eleganter autem circuitus nomine vsus est. Circuire quippe ibi, errare, vagari significat, vt notet animi anxietatem, qua cum quis premitur, velut inops consilij, facilè huc illucve impellitur, si vel exigua spes euadendi superfit; quemadmodum de Duce nostro Helia memoriæ proditum est. Sponsa igitur, cum deprehendisset, se Sanctorum circumeuntium debere vestigijs insistere, opportunè satis attexuit, & cir-

Hebr. 11.

Helias Carmelitarum dux.

cuibo

cuibo ciuitatem, non externè, more illorum, qui vrbem obsident, & eam circumeunt, sed intra ciuitatem sedulò excurram, hac & illac obambulabo. Certè hoc aptè Septuaginta notarunt; qui significantius verterunt, Circuibo in ciuitate, hoc est, intra Ecclesiæ fines omnes angulos circumiens sponsum perquiram, vt per hoc in hac sola ciuitate salus esse notetur. Porrò ciuitas hæc, est Hierusalem noua cælo delapsa, præsens inquam Ecclesia, quæ ad charitatis examen circumeunda est, donec sponsum perueſtigemus; sicut terrestrem Hierusalem trium dierum periodo Maria & Ioseph exerrantes perambularunt incredibili cordis anxietate, donec illum in templo repererũt. Sic igitur spõsa eloqui putanda est: Surgam è voluptate, & tanquam à sponso derelicta, laboribusque tradita, perambulabo Ecclesiam; si fortè hac mea sedulitate, dum thalami fidem ser-

Ciuitas est Ecclesia.

uo absens, nec circuitu fessa, nec anxietatè fracta, in amoris experimento crescam, & effecta grandior sponsum queam inuenire. Quod autem mox apposuit, ad eandem rem declarandam primum conducit. Ait enim.

Per vicos, & plateas quæram,
quem diligit anima
mea.

Homines arctam salutis viam ingressos vicis adumbratos, & eos, qui lata via gradiuntur, quos plateæ notant, adibo; & vtrosque penitus explorans, ac quidquid boni in eis elucet, excerpens, ad eum, quem diligit anima mea, contento itinere festinabo.

MVLTIPLICI periodo vrbem peruasura sponsa, vt sponsum in veræ charitatis examine queat demereri, periphrasi quadam, ad describendos in ciuitate circuitus satis idonea vtitur, cum nihil se prætermissuram in vrbe pollicetur, quod non obeat, atque percurrat.

Sanè

Sanè vrbem in duas partes, vicos scilicet, ac plateas aptè distribuit, quibus vrbis totius mensura cõstat. Vici sunt angustæ viæ ædificijs vtrimque septæ, plateæ verò, areæ sunt latiores ac planiores, in quas populus confluit à labore feriatus. His autem duabus partibus, duo Ecclesiæ status exprimuntur: vicis angustioribus ij adumbrantur, qui per arctam virtutis viam vtrinque legis structura sepți gradiuntur; plateis verò ij, quibus latum placet iter, cuius exitus est præceps. Circuire autem huiusmodi vicos ac plateas, arcanè nihil est aliud, quam vtrumque hominum genus ijs symbolis expressum explorare, crebroque mente adire, vt impressa illis sponsi vestigia sponsa dignoscat, auideque sequatur, donec longum iter emensa, post agonem valeat quem diligit inuenire. Verum mirabile videtur, sponsam frequentare plateas. Etsi enim bene habeat,

Vici & plateæ.

Duo Ecclesiæ status.

eam

eam viros arctam salutis viam carpentes, vicorum angustijs notatos, imitari, ac austerioris vitæ rationem inire, ad amoris experimentum, at certè non videtur vsquequaque consentaneum, hominum licenter agentiũ eam mores addiscere. Hæc vero admiratio procul arcebitur, si meminerimus (quod obseruatione deprehenditur) plerosque, non orthodoxos tantum, verum ethnicos etiam, tametsi lata via gradiantur, nonnihil præ se ferre, quod etiam studiosi debeant æmulari, non enim natura extincta, sed vitiata est, vnde vix inuenire queas hominem, in quo non boni quippiam eluceat. Sic homines Venere dementatos, valde ad commiserationem propẽsos; sic iracundiæ addictos, orationis frequentare gymnasia cernas. Est autem mos eorum, qui synceros habent oculos, turpes aliorum actus minimè internoscere, honestos vero quantumuis exiles attentiùs con-

tem-

templari, vnde cæteros omnes tanquam virtutis præceptores suspiciunt, ac æmulantur; cum id in eis tãtum aspiciant, quod æquum sit, & honestũ. Et hoc modo plateas perambulare, ad perfectionis augmentum mirificè conducit. Rectè igitur sponsa non vicos modo, sed & plateas peruadit, vt quidquid honesti in alijs conspicit, sedulo excerpat, acita bonis actibus effecta locupletior, in prouectiore statu sponsum perueſtiget. Verùm quod apponit audiamus.

Quæsiui illum, & non inueni.

Exercui me inquirens sponsum, per anxietates, ac labores; non tamen voluit apparere; sed spem, ad maiora charitatis incrementa prorogauit.

DIVINÆ prouidentiæ harmonia est, spem plerumque in vlteriora protelari, & ad fidem explorandam, & ad charitatem augendam. Euenire nimirum solet, animã spon-

so gra-

so gratissimam, dum illum quærit ardentius, non inuenire adeò confestim, quod ex Prophetarum oraculis passim fit exploratum. Est autem animaduersione dignissimum, eosdem, qui de sponsi conqueruntur absentia, dum sedato interquiescũt animo, apertè fateri, id sibi esse vtilissimum, & ad amorem Dei ob id acrius incendi. Sanè Regius vates amanter conquerebatur, aiens: Vsquequo Domine obliuiscēris me in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me, & alijs id genus querimonijs vtebatur. Idem autem repulsæ huius à diuino amore profectæ, ad vitæ correctionem vim expertus, aiebat: Deus meus clamabo per diem & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Ac si planiùs ita dixisset. Tametsi dies ac noctes precationi incumbam, & à te velut repulsus mœrore conficiar, non est labor inanis, non mihi insipientiæ vertendum est; eo enim ipso, quod

Psalm. 12.

Psalm. 21.

me

me quasi deseris, me fidei inconcussæ maiore laude cumulas. In hunc ergo sensum interpretari oportet, quod sponsa enunciat. Quæsiui illum, & non inueni. Ideo quippe nõ inuenit, quia vtilius erat spem prorogari, & firma in labore permansione, ad fœliciùs inueniendum per ardua procurrere. Est autem sponsi mos, cum quampiam cernit sponsam prosperè procedere, obuios illi nuncios, Ecclesiæ Doctores mittere, qui salutaribus monitis, & secretiore philosophia illamerudiant, & ad optata præsentioris Dei vota perducant, vt & propria nauitate, & Doctorum ope, velis (vt aiunt) & remis nauigare possit. Propterea subiungit.

Deus aliquando non exaudit, spem prorogans.

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.

Cernens autem sponsus meam in quærendo nauitatem, obuios misit Doctores, qui Ecclesiam custodiunt, qui conquisitam inuenerunt, ac illuminauerunt me.

Vigi-

Vigiles ciuitatis sunt præsides & Doctores Ecclesiæ.

VIGILES, qui custodiunt ciuitatem, ipsi sunt Ecclesiæ præsides, ac Doctores, qui ad tuendam gentem sibi creditam semper inuigilãt. Quia verò excelsior est ipsorum status, id præstant in spiritali militiâ singuli, quod in externo bello pluribus committi solet. Cum enim

similc.

vrbs aliqua obsidetur, quosdam cernimus è mœnibus, ac speculis hostium externos impetus explorantes, qui decreto ex loco sub capitis reatu non recedunt; quosdam vero intra vrbem agentes, vias singulas obeuntes, hominum animos acuentes, & si qua excitatur seditio, pacãtes, ne intestino vrbs exscindatur bello, dum cura in externos tota conuertitur. Hæc autem duo munia Doctoribus simul commissa sunt, vt & externos dęmonum, ac fidei hostium arceant incursus; & vrbis pacem, ac fœlicitatẽ intus alant. Quãobrem non vno in loco consistere sed orthodoxorum cœtus frequen-

ter in-

:er inuisere, segnes hortari, acres promouere, vniuersosque opportuna instruere debent armatura. Non domi pigritari, verum aliorum domos adire, & ad colendam pietatem acriter incitare, tametsi ex hoc animæ salutis auidæ, in exquirenda Doctorum vigilantia, nihilo segniores effici debeant. Rectè igitur sponsa, postquam festina surrexit, se dicit nauiter quæsiuisse, cui non temerè contigit ab excubitoribus inueniri. At illa tempus anteuertere curauit, & cum nosset Doctores, qui angelico ministerio mētes populi purgant, illuminant, & perficiunt, probè nosse viam, quà in sponsum illa gradi deberet, sic interrogat.

Num quem diligit anima mea vidistis?

Quos ego vbi conspexi, rogaui, an vidissent sponsum, & rectè consiederant, qui possem inuenire quem anima (non caro) diligit. Labores enim constans animus ex

charitate tolerat, sed sensus horret, ac expauescit.

NON dubitat, sed more vulgato rogat, an viderint spōsum, hoc est, an rectè animaduerterint, vbi sit inueniendus, ideo quippe vtitur eo verbo, vidistis, hoc est, exploraſtis, perspexistis eum, quem diligit anima mea. Porrò breuiùs dicere potuisset, Num quem diligo vidistis? at in modo loquendi mira proditur energia. Enimuerò anima, quæ pro principe ipsius parte hic vsurpatur sponsum diligit, cuius amore absentiam, ærumnas, ac repulsas perfert; at caro hæc odit omnia, languet, ac mœret cum ex imperio mentis ad laborem impellitur. Nec mirum accidere debet, sponsam voluptate nunc orbatam, & laboribus traditam in amoris examine; animam à carne secernere, quod & Paulus charitate prouectus de se ipso ingenuè fatebatur, aiens, se mente seruire legi Dei, carne autem legi pec-

Anima principalis hominis pars.

cati

cati. Sed nunc boni, ac fausti nuncij verba libremus.

Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.

Mox vt Doctorum iussis acceptis, ad opus ex obedientia commissum pertransij, breui ad sponsum perueni, vt optâram. Fœlictus cucurri, breui Doctorum educatione hausta, propter obedientiæ vim, quàm longo tot laborum excursu sponsum proprio Marte quærens cucurreram.

DIVINVM est oraculum, quotidiano experimento comprobatum, nullam esse viam rectiorem, planiorem, ac breuiorem, ad sponsum perueſtigandum, quàm Ducũ spiritalium, quibus ex diuino præcepto obtemperandum est, monitis parere. Hinc euenisse credimus, eos, qui obedientiam colunt, & eiusmodi Ducibus se tradunt educandos, fœlicius crescere, ac citiùs ad charitatis proceritatẽ peruenire,

Via breuis ad sponsum perueſtigandũ est monitis Doctorum spiritalium parere.

quam alios austeriorem vitam proprio arbitrio seligentes, ac se laboribus conficientes. Propterea sponsa, quæ nunc asseritur Duces hos eruditēda petijsse, cum ante per ambages ac circuitus, vicos, ac plateas peterrasset, laudabili quidem, at nō adeò perfecta vitæ norma, plus breui Doctorum eruditione, ac obedientia, quàm longo tot laborum excursu profecit. Quamobrem appositè satis, Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Quasi planius ita loqueretur. Sponsum proprio marte quæsieram, at parum profeci; ex quo autem scholam Doctorum, quibus obaudiui, salutaui, mirum dictu est, quam fœliciter creuerim; cum enim acceptis eorū præceptionibus pertransirem, hoc est, cœptum iter persequerer, paulo post sponsum inueni. Hoc mihi vis præstitit obedientiæ, ac patrum educatio. Nunc autem quam arctè sponsum com-

plexa

plexa fuerit, iucundissime refert.

Tenui eum.

Apprehendi illum inuentum, & velut cum eo luctatura, illum fortiter tenui, vt Iacob olim fecit. Ex quo forti complexu sensus emarcuit; vt solo iam spiritu nitar, & viuam. Genes. 32.

ADEO, inquit, ante illum apprehendi, ac si cum visceribus meis intimè essem insculptura. Certè, cum quis diu pulchrum quippiam concupiuit, ac spe protensa desiderium excreuit, incredibili quodam præsens bonum amplectitur affectu. Vt ergo verborum vim perspectam habeamus, in ea, quæ dicta sunt, oculos referre operæpretium est. Satis autem patere potest, sponsam diu caruisse sponsi affatu ac præsentia, & longum iter confecisse. Nunc vero ipsa loquendi forma notat, se, vbi primum sponsum conspexit, postquam Doctores paululum prætergessa est, in præsentem insiluisse, Simile.

Luctatorũ mos.

ac velut manibus tenuisse, qui est luctatorum mos, cum in palæstra versantur. Tenuit ergo illa sponsum, cum ipso animose luctatura, ac vt alter Iacob propè vadum Iaboch cœlestem benedictionem, pro lucta, relatura. Et quia nouit, quid sponsus cum Iacob egerit, cum tetigit neruum femoris, qui statim emarcuit, sperans sibi simile quippiam euenire posse, tenet eum. Porrò spõsus se teneri gaudet, ac vinci, hoc est, exorari. Ex quo fit, vt clementissimus Deus, verè philantropos, neruum femoris sponsæ tangat, qui extemplo marcescit, illaque claudicat altero pede. Vulgatissimum est, femore sensus notari, carnisque libidinem, quæ in ea corporis parte viget. Vnde & generandi vis ipsa libidini semper admista, crebrò femore innuitur, ex quo illa scripturæ phrasis emanauit, Hæ, vel illæ sunt animæ de femore huius, vel illius egressæ. Neruum ergo femoris cum

Gen. 32.

Femore sensus notatur carnis Libido.

ipso

ipso luctantis, ipsumque tenentis sponsæ sponsus tangit, ac emarcescere facit, cum illius carnem edomat, motusque effrænes sedat, & loco excedere iubet. Acita sponsa, quę ante geminis incedebat desiderijs, carnalia quidem sentiens, sed spiritalibus consentiens, nunc vno dumtaxat pede graditur, spiritalia complectens, altero carnis pede claudicare demum edocta. Iam verò vt perspicere possimus, quàm arctè sponsa sponsum tenuerit, Iacob ad vnguem æmulata, quæ sequuntur expendamus. Ait enim illa.

Nec dimittam.

Affectu ardentissimo sponsum amplexa, luctabor cum illo (vt Iacob olim fecit) nec dimittam illum, nisi me largo benedictionis imbre perfuderit, hoc est, charitate cumulauerit.

IN prætacta Iacob historia, scriptura tradit, virum quendam luctantem cum Iacob ipso, precatũ fuisse Genes. 32.

in hunc modum, Dimitte me, respondisse verò Iacob, nō dimittam te, nisi benedixeris mihi. Hoc ergo idem arcanè sponsa docet, sibi cum viro illo (qui proculdubio sponsus est) contigisse. Enimuero plerumq; accidit, animam diu à sponso repulsam, laboribusque ferendis traditam, velut è medio mari, fluctibus ad portum iactatam, ad optatissimū Deum auidissimè cōfugere, eumq; adeo fortiter apprehendere, vt nisi largo benedictionis imbre perfundatur, amorisque accessibus ditetur ab eo, non deferueat spiritus incendio. Sic igitur effari sponsa existimāda est. Diu sponsi carui commercio, hac & illac ipsum inuestigans: postquā verò à Doctorib. erudita illū cōperi, cum eo cœpi luctari, vnde sensus emarcuit. At non cōtinuo mihi satisfactū fuit. Non enim aliter, quā Iacob olim, post nerui etiā tactū, illū fortiter tenebo, nec dimittā, quoadvsq; optatā benedictionē impertiat.

Si

Si verò curiosiùs inquiramus; quousque sponsa decreuerit cum sponso pro benedictione luctari; Respondet.

Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Tenebo illum fortiter mihi adstrictum nec recedere sinam, quousque ego, quæ illius vehiculum effecta sum, è corpore migrans introducam eum in me manentem, in aulam supernæ Hierusalem, quæ est mater nostra, & in sedem mihi in patria decretam, quæ est symbolicum cubiculum, genitricis meæ prædictæ opera comparatum, vt ibi sponso fruar.

NON diuellar à sponso suauissimo, dum viuam. Sed illum artissimè mihi adstringam, donec peracto vitæ huius ęrumnosæ curriculo, vt ferculum quoddam veham illum, & introducam in aulam supernæ Hierusalem, quæ est mater nostra. Mater nostra est superna Hierusalem.

nostra. Profectò vt arcanè dicamus. Deus tunc ab anima concipitur, cum primum ea ad gratiam euocata, sponsum gremio voluntatis excipit. Crescit autem in anima sponsus per charitatis incrementa. Denique anima in cœlum sublata, cum ferculum Dei sit, inuehit illuc, ac introducit sponsum iam statura procerum. Quousque igitur è corporis liberata custodijs, migret in sanctam
Gal. 4. ciuitatem, quæ à Paulo dicta est mater nostra, se inquit arctissimè sponsum amplexaturam, vt sic plenissimam sortiatur benedictionem, qualis electis vniuersis, velut hæreditario iure obuentura est, cum ex ore sponsi, verba illa immensæ voluptatis plena excipient: Venite benedicti Patris mei. At quod adiungit sponsa, dum ait, Et in cubiculum genitricis meę, eundem habet sensum, paulò tamen distinctiorem. Notat enim, in ciuitate illa superna, qua Regis ac electorum aula est, esse di-

ſcreta cubicula, hoc eſt, ſedes beatorum diſcretas vnicuique aſſignatas. Et cum exanthlato agone anima repetit aulam cæleſtem, ſuum diſcretum eſt habitura cubiculum, quaſi à genitrice, ad nuptias cum ſponſo celebrandas, dedicatum. Profectò cum mater filiam nuptui tradit, cubiculum mirificè exornatum, vbi cum ſponſo iure fruatur coniugali, perquam ſedulò comparat. Quam ſanè curam matri illi ſupernæ erga filias, ad lætiſſimum epithalamium in patria canendum, minimè deeſſe, ſponſa innuit per ea verba; Et in cubiculum genitricis meæ, hoc eſt, quod genetricis meæ ſuperne prouidentia, mihi, ſponſo in mea ſede fruituræ, apparatum eſt. Sic ergo domus, & cubiculum arcanè accipi conſentaneum eſt.

Minimè autem ſileri debet energia, quæ ſe prodit in verbis modo explanatis, Tenui eum, nec dimittam, donec introducã, &c. Hoc ni-

mirum arctissimo, & constantissimo complexu, à sponsa se teneri vult humanissimus sponsus; vt per hoc pateat, nobis ita esse nitendum, ad ipsius benedictionem faustissimam impetrandam, ac si ab eo esset extorquenda, non vltrò impertienda. Quantò enim fortiùs enitimur, tantò erit largior benedictionis imber. Hic annotare oportet, ex hoc arctissimo sponsi complexu, in sponsæ animam incredibilē permanare voluptatem, quæ proinde illam ad se rapit, ac sensuum functione priuat. Quamobrem opportunè satis hic attexitur sponsi consueta adiuratio, qua prohiber, sponsam, vllo prætextu, à somno saluberrimo excitari.

SPONSVS.

Adiuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

VERBA hæc in secundo capite sunt explanata, quamobrem nō oportebit eorum repetere interpretationem. Prætereundum verò non videtur, hunc arcanum in ecstasi complexum tantò esse illo primo suauiorem, donisque cælestibus pleniorem, quantò post illam primam ecstasim sponsa fœliciùs creuit, ac strenuiùs laborauit. Nunc verò Doctorum, qui sponsam erudierant, ac viam, qua incederet, commonstrarant, chorum in scenam à Salomone introductum audiamus.

DOCTORES.

Quæ est ista, quæ ascendit.

Quænam est ista, quàm strenua, quàm fortis, quæ cum descendere deberet, eò quòd ex Adæ terra compacta est, originisque pondere per ima scelerum præcipitem se dedit, nunc vi noua planeque mira in virtutis ardua conscendit?

MVTVO se rogant ipsos Ecclesiæ Doctores, admiratione quadā

empha-

emphasis ac energiæ plena. Cum enim animarum educatores sponsam quampiam, depositā curarum fluxarum mole, imperio parentem, fœliciterque properantem conspiciunt, quam corporis concretio non prægrauat; cursumvè retardat, ab admiratione sibi nequeunt temperare. Cursus autem celeritatem ascensus verbo notarunt, est enim cursus, non per plana, sed per ardua, & rigentia saxa, quæ nisi ascensu nequeunt superari. Ideo ergo mirantur, quia sponsa, quæ carne compacta est suopte ingenio graui, per arduum virtutis iter festina conscendit, quemadmodum iure nos miraremur, si pręgrandem lapidem, non in ima ferri, sed in montium vertices noua vi moueri cerneremus. Sic igitur loqui Doctores putandi sunt. Quænam est ista, quæ ascendit? Nonne ex Adæ genere, quod carnis peccatique pondere in ima deprimitur, profecta est, ac pro-

Cursus non per plura, sed & ardua fit.

inde facere deberet, quomodo ergò surgit? quomodo ascendit? Mirum est planè, sponsam terrena stirpe prognatam ascendere. At si loca, per quæ ascendit, oculis percurramus iuxta arcanæ geographiæ præceptiones, augebitur admiratio. Aiunt enim illi.

Per desertum.

Vere mirandum accidit, eam natura ægram, non per plana incedere, sed quod longè difficilius est, per extuberantia loca, non aliorum hominum brachijs fultam: graditur enim per desertum mundi, in quo non est charitatis habitatio, vnde nemo illi manũ porrigit in hac solitudine, per quam perniciter graditur.

VIx homines ægri per plana queunt incedere sine aliorum adminiculo. Nam si locus extuberet, scalàue conscendenda sit, alienis proculdubio sunt manibus fulciendi. Hæc igitur noua est admirationis ratio, quàm penitissimè con

Deserti descriptio.

uenit explorare. Porrò desertum est locus hominum habitatione destitutus, tametsi plantæ, animantiaque frequentissima ibi sint, cum quibus homo societatem habere non valet ob naturæ inferioris humilitatem. Vnde quantumuis homo inter leones, elephãtosue cicures versaretur in regione quapiam, semper ageret in deserto, si mutuo aliorum hominum commercio, habitationeque careret. Sic Theologi aiunt, si personæ diuinæ plures non essent, Deum fore solum, vel solitarium, quasi dicas in deserto versantem, etiamsi Angeli, animæque beatæ, cum ipso vitam fœlicem ducerent æuo sempiterno. Non enim solitudo tollitur, per societatem extraneæ naturæ dignitate posterioris. Nunc ergo maximè expendendum est, animas ad diuinam quandam dignitatem per gratiam & charitatem euectas, diuinæ naturæ fieri consortes; quamobrem cæteris humano tantùm sensu

viuen-

viuentibus effectę longè excelsiores, tametsi inter peccatores hanc externam mortalem vitam agant, verè tamen, si nouam, eamq; diuinam vitam, qua donatę sunt, contemplemur, societate carent, cum rarissima sit, in hoc mundo charitatis societas & habitatio, quapropter eleganter sponsa dicitur, & in deserto agere, & cum ærumnas in eo perfert, illiusq; asperitate vtitur, ad charitatis incrementa, & cordis adscensiones graphicè asseritur per desertum ascendere. Poterunt sanè cæteri homines charitatis expertes leones, elephantiue nuncupari, in quibus agnoscitur exigua quædam humanæ excellentiæ, prudentiæque similitudo, si cum sponsa cõferantur; at cum non attingant naturæ diuinæ consortium, quo illa cumulata est, societatem, ac habitationem cum ea habere non valent, ac proinde solitudinem, seu desertum de medio tollere minimè possunt. Iam igitur viarum

aſperitas, & frequens montium, cliuorumque inęqualitas ſuperatu difficillima, ab ægra natura ex Adæ ſanguine propagata, non ſine admiratione tranſcenditur. Hunc itaque Doctores ſponſæ adſcenſum demirantur, ac ſi luculentiùs in hunc modum interrogarent. Quænam eſt iſta, quæ, cum ſit ex eodem efficta luto, quo tota poſteritas Adæ compacta eſt, tam inſigniter ſuper cæteros caput effert, & cum ſit ex origine ſua imbecillis, & ægra non per plana incedit, ſed per cliuoſa, & ſurrecta loca conſcendit, per deſertum, vbi non eſt, qui porrigat illi manum? Modum verò aſcenſus iſtius admirandi Doctores huic admirationi appingunt, quod ad rem totam illuſtrandam plurimum conducit.

Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.

Perſimilis effecta eſt ſponſa virgulæ fumi, ex myrrhæ, thuriſque aromate igne adu-

ſto,

iusto, exurgenti. Nam mortificationis amarulentæ myrrha, & orationis thus, traditum diuini amoris incendio, sursum fertur, & vt virga quædam directionis igneo charitatis motu in Deum intenditur.

TABVLA quædam spiritu diuino, velut sponsi digito eleganter picta, nobis proponitur, in quo modum, quo sponsa in hac valle deserta ascensiones in corde suo disposuit contueamur. In qua debemus mente concipere pastillum ex lachryma Myrrhæ, Thurisque confectum, in ignem iniectum, ac demum ignis vi resolutũ, ac sub fumi tenuis imagine, in altum elatum. Ex hac nimirum aspectabili rerum corporearum similitudine, arcanus ascensus est eruendus. Porrò vulgatissimũ est, myrrhæ amaritudinem, eam, quam sãcti patres dixêre mortificationem, thure verò, quo in sacrosancto sacrificiorum ritu vtriusque legis sacerdotes vsi sunt, mentis eleuationem,

Tabula digito sponsi picta.

Myrrha mortificationem designet.

Thus orationem notat.

quam patres orationem appellauere, notari. Planè verò perſpicimus, has duas egregias ſponſæ virtutes id præſtare, vt altera quaſi auferat natiuam grauitatem generis terreni; altera verò leuitatem ingerat, qua ſurſum anima vehatur. Enimuerò mortificatio ſenſuum, qui mentem prægrauat, edomat, carniſque pondus procul arcet; Oratio verò, cuius ingenium eſt ferri ſurſum, addit quam Philoſophi appellãt leuitatem, qua mens hiat in ſuperna. Cernimus igitur, quàm appoſitè ambo hæc aromata Doctores commemorarint, cum de aſcenſu ſponſæ in admirationem rapiuntur. At profectò magis arcanum eſt, quod aiunt, ex vtroque aromate exilem fumum virgæ figuram referentem excitari debere, vt omninò conſtet pulchra hæc ſimilitudo. Niſi autem aroma injiciatur in ignem, ſuſcitari fumus nequit. Ignis verò diuinæ charitatis, ſuapte natura flagrantis, apertiſſi-

Simile.

mum

mum symbolum exiſtit. Innuunt ergo Doctores, vtramque illam ſponſæ virtutem, aromatibus illis adumbratam, etſi ad aſcenſum mentis opportunam, non tamen ea vi præditam eſſe, vt tam fœlix hic ſponſæ aſcenſus ei tribui deberet, niſi in charitatis ignem inijceretur. Ex hoc enim planè fit, vt cæteræ virtutes, quæ in excelſum charitatis finem ex ſola ſua nobilitate non poſſunt efferri, ſi illi permiſceantur, & ab ea in ſuum finem dirigantur, quandam quaſi leuitatem contrahant, qua valeant charitatis motu cieri, igneamque naturam imitari. Sic igitur, cum mortificationis, orationis virtus, ſeu quæcumque alia à charitate in ſuum finem dirigitur, virgula quædam directionis ſurſum intenditur, quæ arcani ſacrificij fumus eſt odoratiſſimus. Vbi apprimè animaduertendum eſt, aromata illa colliquefieri, ac reſolui, & in tenuiorem fumi euaporationem ab igne

conuerti. Quia videlicet, ipsa mortificatio, ac oratio, si ex mortali tantùm honestate perpendatur, crassum quiddam est, nec in cœlos intimos penetrare valet, nisi charitatis igne liquefiat, & extenuetur, & quandam velut subtilitatis dotem adipiscatur, qua se in Dei pectus insinuet. Verùm mysterio minimè vacat, quod de pulueribus pigmentarij subdit, sub symbolo pulueris vniuersi virtutes vniuersas eleganter innuens. Quòd enim aromatibus, quæ conficit pigmentarius virtutes exprimantur, ex aromatum odore, ac pretio patere potest; at quid sibi vult aromatibus in pulueremtritis comparari virtutes? Profectò plurima in verbis inest energia, cum ait.

Et vniuersi pulueris pigmentarij.

Non est sponsa similis virgæ ex aromatibus integris, sed ex contritis, ac in pulueremredactis excitatæ. Deus enim peritis-

simus

simus pigmentarius, eam ad experimentum amoris cædit, & virtutes examinis malleo conterit, quæ dum attritæ ab igne charitatis corripiuntur, & suauiùs olent, & rectiùs in Deum instar virgæ fumi feruntur; penetrat enim eas tritas ignis faciliùs, ac in subtiliorem quandam naturam conuertit.

SANE odorati pastilli priusquam acerris, seu thuribulis injiciantur, solent conteri, ac ita in puluerem redacti prunis insperguntur, vnde citiùs excitatur fumus, ocyusque percipitur suauis ille odor, qui non tam facilè ex pastillo integro suscitaretur, ob moram, quam ignis traheret in eo absumendo. Hoc igitur modo Deus sapientissimus, tanquam peritissimus pigmentarius, sponsam cædit, ærumnisque quodammodo conterit, vt ità virtutes illius examinatæ, & velut in puluerem redactæ, amoris prunis adsperſæ, in cordis ara fument, ac recto illo amoris adscensu raptæ (quæ

arcana fumi virga est) in puriorem, cœloque similiorem naturam conuersæ, ad Dei olfactum perferantur. Pluribus ex capitibus sponsam commendauit Doctorum chorus, allatis myrrhæ, thurisque metaphoris; at hoc pulueris hieroglyphicum, omnium laus potissima est; qua perspicuè declaratur, nec virtutes quidem ipsas Deo immolari posse perfecto illo sacrificij ritu, quod holocaustum appellamus, nisi examine conterantur, ac ità demùm igni amoris absumendæ tradantur. Porrò cum vitulus, seu quoduis aliud animal sacrificabatur olim, cædebatur primùm, mox verò cæsa animalis frusta igni tradebantur amburenda; sic virtutes interno sacrificio immolandæ, exterendæ, ac velut in frusta cædendæ primùm sunt ex amoris imperio, deinde amoris ipsius flammis exurendæ, ac in Deum, qui amoris est scopus, rectà dirigendæ sunt; quo quidem sacrifi-

Ritus sacrificandi vitulos.

candi ritu, virtutes ipsæ, supra naturam propriam, in Deum efferuntur, & in Deum intentam charitatis virgam impresso amoris motu æmulantur. Nunc autem audire delectat nouam quandam similitudinem, ad egregiam sponsæ progressionem exprimendam opportunissimam. Sic quippe Doctores effantur.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.

Sponsa lectus est Salomonis nostri pacifici, qui in corde sponsæ, velut in molli lecto conquiescit. Ille quippe locus abditissimus est, ab omni perturbatione semotus, qui ad quietem instar lecti videtur destinatus. Ne autem tranquillitas ea lædatur ab hoste; senarium Custodum numerum sponsus illi lecto præfecit decies repetitum, decade perfectionem, senario vero laborem custodum delineans.

QVAM fumi virgulam nuncuparant, nunc lectulum Salomonis Doctores appellant, in quo plura

sunt arcana non oscitanter prætereunda. Notum est, Salomonem & ex regia dignitate, sacraque vnctione, & ex cumulatissima sapientia, & ex ipso nominis interpretamento sponsum significare, qui pacis author extitit. Etsi verò Rex hic immortalis requie non egeat, ob humanissimam tamen in nos propensionem, corda hominum, velut ostia pulsat, in quæ cupit introire, ibique velut in lecto molli conquiescere. Nonnulli autem pulsantem ipsum spem procrastinantes eludunt. Alij ostia reserant, vix tamen alterum pedem inferre sinunt. Alij vlteriùs admittunt, sed inurbanè agunt, nec lectum sternunt, ipsumq; stare cogunt, tamquam citò recessurum. Alij verò vrbanitatem edocti, admissum colunt, cordisque lectum studiosè comparant in penitissimo recessu, ab omni anxietate longè semoto, in quo sponsus ab alijs repulsus, tanquam fessus de via

quie-

quieſcit. Locus hic auguſtiſſimus eſt, in quem ſolus Salomon noſter ingreditur; rectéq; Salomonis, hoc eſt pacifici lectus appellatur. Eſt enim ibi pax iucundiſſima, motibus aduerſis immunis, qua nihil tranquillius inter mortales poſſit eſſe. Vt vero pax hæc diuturna eſſe queat, id agit ſpõſus, quod vrbium pace gaudentium principes factitare ſolent. Præficiunt mœnibus exploratores, portiſque cuſtodes pacis cupidiſſimos, & ad arcendos hoſtium pacem reſcindere ſatagentium impetus inſtructiſſimos. In hunc enim modum ſponſus angelorum, Doctorumque præſidio ſponſæ cor ſepſit, & pro foribus ſtare iuſſit, ne quis motus ab hoſte excitatus pacem obturbet, lectumue commoueat, in quo cum ſponſa ille cubat. Hos autem lecti cuſtodes, & ſexaginta eſſe Doctores aiunt, & fortes appellant. Fortium vero nomenclaturam mox aperiemus; ſexagenarij numeri

Simile.

Lecti cuſtodes ſunt Doctores.

modo

Sexagenarius numerus.

modo rationem aucupemur. Porrò sexagenarius numerus, nihil est aliud, quam senarius decies repetitus. Decadis autem perfectio exploratissima est, cum eo vsque numeri procurrant, & quasi apicem attingentes, nec vltrà procedere valentes ad monadem inde descendant. Senarij verò numeri ratio, ex rerum creatione deprompta, tempus laboris, nauitatisque notat; sex quippe diebus sponsus mundum condidit, septima requieuit. Sexaginta igitur custodes custodiæ sui lectuli Salomon noster dicitur præfeciſſe, quãdo numerum custodum perfectum decade notatum, ad nauitatem & laborem sex dierum opere significatum, accinxit, ac disciplina militari erudiuit. Hoc ergo est agmen, quod excubat ad sponsæ custodiam, cuius officium, quod labore ac nauitate constat, partim Doctores adumbrarunt sexagenarij numeri mysterio, partim modo notant, sic aientes.

Ex

Ex fortissimis Israel.

Fortes hi, qui præfortitudine pericula non formidant, non ex quocumque peruio agmine, sed ex fortissimis Iacob, qui pro fortitudine dictus est Israel, æmulatoribus ac sectatoribus selecti sunt; tales enim oportet esse lecti Salomonis custodes.

SATIS profecto videri posset, excubitores fortes appellasse, ne oportuisset addere ex fortissimis Israel. Fortes quippe sunt, qui pericula, cum expedit, non timent, sed experiuntur; & honesti causâ mortem oppetunt, quæ vera est propietas Doctorum sponsam ex sponsi præcepto tuentium. At sanè hoc ipsum fortitudinis ingenium expressiùs pingitur, cum Doctores addunt, ex fortissimis Israel. Est enim Israel nomẽ proprium fortissimi illius athletæ, qui manum cum viro illo iuxta amnem conseruit, ac prævaluit, & præsagio oraculum accepit, fore, vt contra homines prævaleret, quia

Fortes nulla pericula timent.

Israel nomen fortissimi Athletæ.

Gen. 32.

contrà

contra Deum fortis fuerat. Vbi nomen Israel, depositā Iacob nomenclatione, recepit, ad fortitudinis significationem luculentissimam. Sic enim dixit ille vir. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, (& causam attexuit) quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Qua in re mirum accidit, cur Deus illi iubeat deponere nomen Iacob, quod supplantatorem, ac perinde robore, ac fortitudine præditum significat, & nomen Israel accipere, quod Deum cernentem notat, si ostensam in lucta fortitudinem tanquam causam nominis adducit. Profectò Iacob, quam Israel aptius nomen videtur, ad neruos, & ad fortitudinem propalandam. Abstrusa est hæc philosophia, quam sponso auspice conemur explorare. Profecto robur hoc corporeis neruis innixum, & ad mundi præfecturam, qua Esau prælatus

est

est Iacob, spectans, egregie signabatur supplantatoris nomine, quod probè animaduertit Esau ipse, cum de primogenitura conquerebatur erepta. At vis illa diuina, & cœlestis fortitudo, qua quis cum Deo certat, & nunquam quiescit, quoadusque illum flectit, & quasi auersum conuertit, &, vt se clarius manifestet, oratione peruincit, illa inquam fortitudo, luculentiùs Israel, quam Iacob appellatione notatur. Est enim cognomentum à victoria petitum, quemadmodum Imperatorem quempiam, puta Iustinianum Germanicum, Gothicùmue dicimus, ad triumphum ex ijs gentibus reportatum innuendum. Quibus tamen cognomentis, non robur, non industria literatè significatur; at ex vniuersorum hominum sensu, ijs appellationibus auditis, victoriæ fortitudine partæ succurrit imago. Sic prorsus, cum Israel audimus, non

robur

robur, non neruos audimus, sed victoriam de Deo reportatam, diuina quadam fortitudine partam intelligimus. Propter hanc ergo eximiã fortitudinem, & cognomenti notam constitutus est à Deo Iacob, dictus Israel, caput & ductor virorum omnium fortissimorum, qui illius fortitudinem æmulati sunt, sicut Abraham pater credentium nuncupatus est. Ex quo fit, vt fortissimi Israelis sint eius posteri, ac in fortitudine imitatores, ex quorum selectissimo numero esse debent ij, quibus sponsæ cura credita est, vt qui iam Deum ad sua vota flexerint, & pia lucta, vt secum familiarius agat, clariusque affulgeat, obtinuerint, tutò aliorum curam gerere, & custodes esse possint. Porrò fortissimos Israelis ea phrasi nuncupamus, qua milites huius, aut illius ducis dictitare solemus. Sapienter igitur Doctorũ chorus diuinam in sponsam protectionem explicuit, cum eam à pugnato-

gnatoribus, non triuialibus, non vulgari fortitudine munitis, sed cũ emphasi, à fortissimis Israel dixit ambiri. Hucusque vero, & numerũ, & fortitudinem pugnatorum expressit, nunc, quo vtantur armorum genere, pergit explicare.

Omnes tenentes gladios.

Habent arma, non lanceas, aliasve machinas ad sectionem parum opportunas, sed gladios ancipites, quæ sunt munimenta, & sermonis Dei symboli, qui velut gladius anceps penetrat, & pertingit vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus. Hoc quippe gladio partem animæ, quæ spiritus appellatur, ab ea, quæ dicitur anima, exsecãt, & diuidunt lecti custodes; & quia bellum semper vrget, non vaginis inclusos, sed districtos manibus gladios tenent, quasi ad hostem inuadendum.

NON tradidit eis sponsus custodię præfectus lanceas, quas euibrarent, aut bellicas machinas, quas intorquerent, nec denique aliud quodpiam armorum genus, ad cæ-

dendum, ac exsecandum minus idoneum, sed gladios exacutos, & hos non vaginis inclusos, sed exemptos, manibus apprehensos, & ad cædem admotos. Profectò, cum symbolicè hic agatur, spirituales gladios interpretari oportet, quos tenent Custodes: Gladium vero spiritus esse verbum Dei scriptura prodit. Verbum autem Dei, sermo Dei est, quem Paulus tradit (licet cum excessu, comparatione tamen vtens) esse penetrabiliorem omni gladio ancipiti, vsque ad diuisionem animæ ac spiritus pertingentem. Eadem sanè res, anima & spiritus, at functione discreta. Quà enim corpus mouet, ac fouet, anima dicitur, quà verò superna concipit, spiritus appellatur. Fit autem mira verbi Dei energia, & acumine, vt anima functionis animalis velut oblita, solis superno influxui tota pateat, vi verbi diuini, & tunc elegantissimè dicitur spiritus ab ani-

ma diuidi. Hunc ergo gladium, spiritum ab anima suo acumine secantem, ac diuidentem vnusquisque custodum sponsam propugnantium versare debet, vt omnes animæ, quà corpori affinis, & amica est, motus excidat, nec in lectum cordis irrepere, quietemque perturbare patiatur. Si enim primos eius generis motus animæ educator quantocyus exsecuerit, docens effrænem domare sensum, pacem illam internam illius descripti lectuli, in qua factus est sponsi locus, diutissimè conseruabit. Quia verò motus immoderati, sine inducijs, in lectulum conantur irrumpere, & cor sponsæ commouere, oportuit omninò custodes lectuli, districtum semper ensem tenere, atque versare. Hic enim est habitus militum, non cum gradu composito incedunt armati, non cum castrametantur, nõ cum in statione persistunt, verùm cũ tympano

insonante, hostem inuadunt. In hunc ergo morem educatores animæ sermone Dei continenter vti debent, hostes pacis sponsæ præcurrentes, ac inuadentes, vt diuini verbi efficacitate sensum cedant, nec rebellare sinant, quoad fieri poterit. At insigni disciplinæ militaris peritia, ad hoc opus, quo spiritus diuiditur ab anima, opus est; propterea sponsa fœliciter gradiens non quibuscumque belli gestoribus, sed cõsultissimis, sed exprimento prouectissimis tradenda est. Propterea satis appositè Doctores addunt.

Et ad bella doctissimi.

Creberrima concertatione in scholis fiunt homines doctissimi, longo temporis excursu, non enim temporis longitudo tãtum, sed pugna necessaria est. Sic lecti custodes, longo tempore, frequentique conflictu cum hoste, ad bella euasere doctissimi, tales enim animæ decet esse Doctores.

IN bene constitutis vrbibus, non modò vbi bellum impendet, verũ

etiam

etiam vbi togati ciues incedunt, belli simulachra exerceri debent, quò, cum hostis irruperit, arceri, & ciuium animi fortitudine, ac constantia ex ijs progymnasmatis concepta erigi possint. Sicut cecinit Poeta

Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercētur equis; domitāq; in puluere currus,
Aut acres tendunt arcus; aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuq; ictuq; lacessūt.

Hoc planè modo, in vrbe Hierosolymitana, Ecclesia videlicet, ab imperatore militiæ consultissimo condita, iuniores animæ educantur in palæstra, & cum sæuissimo humani generis hoste colluctari debent, & incredibili nauitate, ac strenuitate egent, propter hostis calliditatē, ac impetum. Quia vero prudentia militaris exiguo tempore parari nequit, sed acceptis, & illatis vltro, citroq; vulneribus experimento diuturno edisci tur, ætate iam proiectos, ac veteranos pugnatores opor-

Ecclesia est vrbs bene constituta.

tet esse, qui doctissimorum laudem promerentur. Et ex horum numero selecti sunt ij, quibus sponsæ cura credita est. In quorum agmine minimè recenseri debent, qui doctissimi euadere conati sunt, non tamen ad bellum, & conflictum, sed ad iactantiam, & ignauiam. Pergamus tamen, & quod apponitur auditu iucundissimũ expendamus.

Vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.

Ne dæmones carnis voluptatem suggerentes, ob mentis, quam inducunt, cæcitatem, appellati nocturni, custodes prælio capiant, armati sunt ita, vt vnusquisque ensem districtionis super femur habeat, non ad ornatum, sed ad inciſionem Veneris femore notatæ.

MIRABILE videtur, postquam assertum est, fortes illos tenere gladios, describi eos modo ensem super femur habentes. Quorsum enim duo gladij? Et tametsi duos

gla-

gladios admittamus (nec enim vnus in hostem, & sponsæ tuitionem intendi simul, & femori hærere posse videtur) at qua poterit manu versari? vna enim dumtaxat dextra gladio apta est. Verum hic mira latet rerum concinnitas, quam è verbis eruere nitamur. Et primum impensè animaduertendum est, ensem in femore pictum, non appensum gestari, vagina conditum, quemadmodum fieri conspicimus, cum non pugnatur, sed exemptum manu teneri, ac admoueri ad femur cædendum, hoc enim innuit ensis super femur. Per hoc autem, quod duos simul gladios ad cædendum versant custodes lectuli, ambidextri planè pingũtur, quales decet esse animæ educatores. Oportet quippe ea illos dexteritate pollere, qua olim habitatores Gabaa, qui (vt ait sacer textus) erant septingenti viri fortissimi, ita sinistra, vt dextra prę-liantes: & sic fundis lapides ad certũ

iacientes, vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. Sic nimirum educatores animæ ambidextri, ita ad certum ensem vibrare debent, vt capillum cogitationis vnius intersecent, & in eo, absque vllo errore, ab eo, quod spiritale est, quidquid est carnale recidant. Iam verò gladius hic femori admotus, arcanè significat propriam lasciuorum motuum exectionem: vulgatum est quippe femore, Venerem (vt superius annotauimus) indicari. Huius autem effrænes motus, ij, qui animam ceu Doctores illuminant, constantissimè debent excidere; nec mens illis motibus obcæcata (proprium enim illorum est mentem obtenebrare) & sibi reproba, & alijs illustrandis, ac educandis reddatur inepta. Hoc autem planius fiet, si rationem, propter quam custodes sponsæ gladium femori intẽdant, expendamus,

aiunt

(aiũt enim Doctores) propter timores nocturnos. Profectò dæmones sensum, ad mentem obnubilandam, motibus turpissimis commouentes, quod secreta suggestione, ac obreptione fit, nocturni timores appellantur, quia cæcitatem nocte significatam inducunt. Tantumdem nimirùm significamus, cum timores nocturnos, ac cum dæmones nocturnos dicimus. Porrò sicut dæmones gloriam vanam suggerentes, quia in lucem homines impellũt, meridiani nuncupantur, ita qui turpitudinem obscœnam suggerunt, quia in noctem, hoc est, cæcitatem mentis homines mergunt, nocturni dicuntur. Propter hos ergo prædicatores, ac educatores animarum iugi quadam sectione debent femur incidere, ne, dum alijs prædicant, ipsi reprobi fiant, sicut scriptum est: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Iucun-

da quidem fuit lecti, cuſtodiæque deſcriptio; at quæ ſequitur ferculi Salomonis ſtructura, & elegantiſſima, & iucundiſſima eſt.

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon.

Sponſus Salomon verus, ita ſponſam architectatus eſt, vt eam, ſuum ferculum, ſeu lecticam fecerit, qua vehitur ad amoris opera exercenda. Fecit autem illam lecticam ipſe, qui faber eſt, opus enim Rege dignum erat, nec alteri committendum.

VIDETVR humaniſſimus ſponſus, qui figuratè hic Salomon appellatur, nihil interea aliud cogitare, quàm ſponſæ ornatum, & gloriam. In ſponſa equitat, in ea cubat, illa vehitur, quod ex allatis equi, lecti, ferculique metaphoris clarè perſpicitur. Cuius certè rei Doctores non ignari, velut hieroglyphicis notis ſponſæ dignitatem, quam ſub lecti ſimilitudine commendarant, ſub ferculi ſymbolo laudare pergunt.

gunt. Ferculum verò hoc loco, lecticam, vel gestatoriam sellam, qua nobiles passim vehi solent, oportet intelligere. Quæ satis accommodatè Regi nostro tribuitur. Sicut enim gestatoriæ sellæ, vel lecticæ, quibus Principes gestantur, serico obtectæ, auratis fibulis, clauisque splendentes, dolatis lignis in columnarum effigiem fabrefactis, argentatisque constructæ, mediam sedem bombycino obductam, vbi, qui vehitur, conquiescit, in quam gradu ferè vno vel etiam duplici, conscenditur, habentes, ad Regiæ maiestatis apparatum sunt oportunissimæ; ita & animæ sponso coniugali fœdere sociatæ, quibus pulchrè quadrat arcana structuræ ferculi significatio, (quemadmodum de spõsa mox liquebit) si virtutem spectetur concinnitas & structura, ad sponsi regium apparatum, quo ille libentissimè vtitur, maxime pertinere videntur. Nunc verò, quod ex

Ferculum lecticã hoc loco significat.

verbis

verbis elici debet, minimè alienum erit. Sponsa nimirum ferculum appellatur, à ferendo translatum nomen sortita. Gestat enim sponsum, quem mente concepit, & huc, atq; illuc vehit, quando ex eius imperio distinctas obit functiones, & ad varia diuinæ charitatis opera procedit, ad quæ cum sponsus ipse arcana illa sponsæ lectica vectus procedat, spõsam ad opus permouens, quin & ipsa opera exequens, facilè perspicitur quàm eleganter sponsæ congruat ferculi appellatio. Potest & ad rem hanc accommodatiùs ferculum hic intelligi, quod Hispanis custodia, Italis tabernaculum est, quo in supplicationibus Eucharistia gestatur, quod expolito opere, columnis quatuor, argẽto, vel auro ductis, mediaq; velut sede, vbi sponsus ipse sub Eucharistico pane latens reponitur, ac fertur, & ascensu, qui est ea pars tota, qua columnæ nituntur, quam vulgò pedem, rectiùs basim appella-

mus,

mus, constare solet, cuius descriptio quàm concinnè sponsæ consentiat, ex dicendis mox patebit. Opus autem est huius ferculi figuram, & structuram memoria retinere, non materiam, quæ in Salomonis nostri symbolico ferculo varia est, & magis arcana, quam quæ vulgò cernitur in sacrarijs. Quod autem Rex ipse Salomon ferculum fecisse asseratur, nouum hominibus accidere certum est. Nec enim Reges fabrilem artem exercēt Regia maiestate indignam, ob materiæ, ac instrumentorum humilitatem. Picturæ interdum deditos Reges conspicimus, & alias id genus artes non vsque adeò illiberales exercere animi gratia, videmus. Sed dolabra, scalprum, & tabularum commissio, ac læuigatio, non videntur Regias decere manus. At fabrile opus internum, siue materiem (quæ virtus est) contemplemur, siue instrumenta, quibus opus construitur, quæ sponsi humana natura, & sacra-

menta,

menta, & id genus alia sunt, expendamus, & animi celsitudinem, & sapientiam, & manus Regis immortalis decet; vt meritò dicatur ipsemet feciſſe ferculum, non commiſiſſe faciendum. Quod ipse alta mente cogitasse videtur, quando & faber, & filius fabri esse, dum inter mortales ageret dignatus est. Iam autem ferculi structuram contemplemur, atque materiam.

De lignis Libani.

Structura ferculi, seu lectica, ex virtutibus cedro similibus, in monte Libano excelso, qui Christus ipse est, crescentibus, effecta est.

Cedri ligna Libani.

CEDRI sunt Libani ligna, quæ ex eo monte cædebantur olim, ad omne opus, ob firmitatem, odorem, proceritatem, & incorruptionem laudatissima. Quibus proinde virtutum firmitas, qua domus animæ fulcitur, odor Christi, quem exhalant, altitudo, qua mundo e-

minent,

minent, incorruptio, qua vitiorum contagia exſpuunt, ſatis germanè notantur. Hæ ſunt ligna, quæ Regis manus, & ſapientiam decent, ſi decor, & honeſtas eorum expendatur; multoque magis Rege digna apparebunt, ſi illorum inſpiciatur origo. Naſcuntur quippe ex Libano, monte excelſo ſelectarum arborum feraciſſimo, qui typus ſponſi eſt, ex quo omnis vera, ſynceraque virtus ducit originem, ob quam virtus ipſa nobilior fit, quàm ob internam ſuam honeſtatem. Animaduertendum eſt hoc loco, ſub ſymbolo lignorum Libani, cœtum virtutum omnium vniuerſim adumbratum eſſe. Nunc verò, ex parata virtutum ſyiua è Libano cæſa, potiora quædam ſeliguntur ad opus, quæ ad diſcrimen innuendum, diſtincta argenti, & auri translatione ſignificantur. Propterea Doctores addunt.

Colum-

Columnas eius fecit argenteas.

Quatuor columnas argenteas in hoc ferculo sponsus erexit, hoc est, quatuor Cardinales virtutes, argento dignitate similes, secundam post aurum dignitatem habentes.

CONCIPIENDA nobis hic est ferculi structura, quæ lignis Libani, quatuor columnis argenteis, reclinatorio aureo, ascensuque, seu scala purpurea constat. De lignis Libani proximè dictum est; nunc verò columnarum elegantia perpẽdi debet. Porrò seu lecticæ, seu ferculi, quo gestatur Eucharistia figuram describamus, quatuor ligna expolita, quibus quatuor latera finiuntur, quatuorque existunt anguli, surriguntur, quæ in ferculo peruia sunt, quatuor in lateribus portas efficientia, ne quid oculis obstare possit. Petita hinc translatione, in hoc arcano sponsæ ferculo, quatuor sponsus co-

lum-

lumnas argenteas erexit, mirificeq; cælauit, hoc est, quatuor Cardinales virtutes, quibus & rectitudo, & læuor columnarum, & argenti splendor, ac inter metalla dignitas conuenit quàm aptissimè. Profectò sicut argentum secundam, auroque proximam in metallis sortitur nobilitatem; sic Cardinales virtutes, cum cæteris moralibus, velut inferioribus, Theologicisque, vt supremis, præsertimque cum charitatis auro collatæ, medium ac proinde proximum auro locum sortiri cernuntur. Quæ sanè nobilitas, etsi quatuor his virtutibus acquisitis apprimè conueniat, conuenit tamen potissimùm alijs quatuor, quæ licet eisdem nuncupentur nominibus, sunt tamen infusæ, à diuinæ gratię comitatu nũquam recedentes, quibus & rectitudo columnarum, & argenti candor germanior est. Cæteræ ferculi partes ex cedris Libani extructæ sunt: columnas, vt nobiliores, decuit esse

Quatuor Cardinales virtutes.

argenteas; subsellium autem inter columnas fabrefactum quale sit audiamus.

Reclinatorium aureum.

Sella ferculi aurea est, in qua sponsus sedet, quæ est diuina charitas, sponsum cum gremio excipiens, & amplectens.

SVBSELLIVM illud, in quo sedet, qui vehitur ferculo, reclinatoriũ hic appellatur, quod aureum asseritur esse. Aureo verò subsellio charitas exprimitur. Constat enim aurum Regiæ maiestatis præferre symbolum. Charitas autem regina virtutum est. Subsellio verò, qui locus quietis est, ipsiusmet charitatis gremium rectè intelligitur, quo excipitur Regia sponsi maiestas, vt vehatur simul & quiescat. Profectò, etsi columnæ ferculi essent argenteæ, inter eas sponsus minimè conquiesceret, nisi reclinatorium, subselliumve esset aureum, quæ propria Regis sedes est. Porrò tametsi virtu-

tes morales, quarum principes Cardinales appellantur, naturali sua honestate sponso placeant, ille tamen diuinus in animam illapsus, quo in suam quasi sedem sponsus penetrat, neutiquam fieret, nisi charitatis reclinatorium intus esset, in quo ille conquiesceret. Hunc verò thronum plane Regium, in quo excelsa sponsi maiestas sedet, qua ratione illic sibi comparârit, modo patebit.

Ascensum purpureum.

In hoc ferculum, quæ sponsa sua est, per passionis, ac liuoris scalam conscensu difficilem sponsus ascendit, ac proinde per purpureum ascensum, sine quo tamen ascendere potuerat.

POTVISSET sponsus sapientissimus ferculum hoc sibi sine sanguinis effusione construere, quis enim hoc ignorat? Verùm charitatis suæ diuitias non ita manifestasset, si absq; cruore id præstitisset. Tũc ergo

aſcenſum in ſponſam exſtruxit, quando per cruciatus, ac mortem acerbiſſimam, tanquam per quoſdam ſcalæ purpuratæ conſcenſu difficilis gradus, hanc in anima ſedem nouo iure quæſiuit. Etenim aſcenſus ipſe præ ſe fert laborem, non ita inceſſus per planitiem; ſi autem labor cum ſanguinis profuſione toleratur, pulchra translatione aſcenſus purpureus intelligitur.

Papilio tẽtorium.

Totius deſcriptæ ferculi ſtructuræ, imago quædam fuit tabernaculi fœderis apparatus, quem Moyſi præſcripſit Deus. Sic enim, pro ferculo, ex Hebræo papilionem quidam vertunt. Papilio verò tentorium eſt, quale fuit tabernaculum, quod conniuente Deo tendebatur in deſerto. Hoc verò tabernaculum lignis Libani imputribilibus inſtar periſtylij defixis parabatur, vbi caſtra conſiſtebant. Intra tabernaculum verò quatuor erant columnæ, quarum erant baſes argenteæ. Ex his velum

pende-

pendebat, quo Sanctum discriminabatur à Sancto sanctorum, quod ascensus dicitur, quia per columnas sursum tendebatut. Reclinatorium Dei, in quo sedebat, & reddebat oracula, erat propitiatorium, hoc est, tabula illa ex auro purissimo ducta, qua testamenti arca tegebatur, è cuius lateribus duo Cherubim exurgebant, alis vltrò citroque porrectis, ita vt speciem quandam subsellij exhiberent, in quo Deus sedens, in tabula aurea velut pedes reponebat. Ex quo patere potest, quod est vltimum, ac supremum ferculi nostri ornamentum. Cum dicitur.

Media charitate constrauit.

Media, seu medium ferculi locum, quod est reclinatorium, seipso, qui charitas est, ibi sedente exornauit.

PRIVS QVAM ferculum, lecticamve princeps quispiam conscendat, apparata omnia, & ornata esse decet, ac tunc princeps ascendit,

qui est potissimus ferculi ornatus. Quamobrem sic accipienda sunt, quæ dicuntur. Media charitate constrauit, hoc est, interiora ferculi, vel medium locum ferculi, reclinatorium nempe, charitate constrauit, hoc est, seipso, qui charitas est, exornauit, quando in eo consedit. Quod quàm si rationi, & diuinæ harmoniæ consentaneũ, vel ex eo patere potest (quod, etsi de Ecclesia Ioannes enũciaret, de anima tamen iusta cõcinnè satis intelligitur.) Vidi Hierusalẽ nouam descendentẽ de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Sponsus quippe nobilissimũ, ac supremum sponsæ ornamentum est. Quia verò hunc elegantissimum ornatum celari nefas est, debet enim vt caput corpori eminere, (caput enim mulieris vir) ideo ad æmulationem in alijs sponsi studiosis acuendam, ferculnm sine operculo depingitur. Hanc nimirum habẽt emphasin verba sequentia.

Apoc. 21.

Pro-

Propter filias Hierusalem.

Sedit ibi conspicuus sine operculo, propter animas sponsam æmulantes Ecclesiæ filias, vt ibi conspectus, ad similem dignitatem illas incitare possit.

ANIMÆ sponsæ perfectionem æmulantes, cum animaduertunt ei sponsum præsentissimum esse, illique velut caput corpori præsidere, diuinisque motibus eam ciere, illius studium, ac nauitatem curant imitari; ac propterea in hoc arcano ferculo, sine operculo columnis innixo pingitur, vt cerni possit. Sedet ergo conspicuus in sponsæ reclinatorio, propter æmulantes animas, quæ sunt Ecclesiæ filiæ. Quod cum Doctores cœlesti lumine perfusi rectè norint, ad ferculum, Regemque sedentem, per vrbem Ecclesiæ vectum contuendum filias exhortantur.

Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua.

Ocyus ex sensuum claustro exite, & illustriorem visum nactæ filiæ Ecclesiæ contemplationi vacantes, cernite sponsum Salomonem verum, coronatum regio diademate charitatis sponsæ, quæ mater etiam ipsius est.

DOCTORVM munus est, cum animam quampiam velis remisque nauigantem conspexerint, alias non ita strenuas, hoc proposito paradigmate, ad vlteriorem nauitatem incendere. Quapropter, perspecto hoc efficacissimo sponsæ exemplo, cæteras hortantur in hunc modum. Egredimini, hoc est, ex carcere sensus, quo mens obcæcatur, Exite filiæ Sion, hoc est, animæ contemplationis auidæ. Exire opus est ad sublime hoc spectrum cernendum, quemadmodum ad pu-

blica

blica spectacula, ex vicorum angustijs erumpentes in plateas, & latiores areas, homines certatim confluunt. Intuemini Salomonem Regem nostrum æternæ pacis authorem, in gloria, & apparatu Regio ab sponsa vectum, ex qua, velut ex aperto ferculo, exhibet se conspiciendum. Et licet apparatus ferculi totus sit pretiosissimus, non vos modò monemus, vt eucstigio vniuersa perlustretis. Satis profectò æquum esset, vos hortari, vt illum contueremini, in lignis Libani, in columnis argenteis, in ascensu purpureo; sed ad potissimum inter eos, quos à sponsa recepit, vos hortamur ornatum. Videte, cernite illum in charitate, quod est diadema aureum, quo illum sponsa cinxit, ac coronauit, quæ etiam mater sua est. Porrò de Ioseph pulchritudine memoriæ proditum est elogium recordatione dignum. Aiunt enim propter insignem eius venustatem fæ-

Charitas diadema aureum.

pè, identidemque ſpectandam, cum per vrbem incedebat, ſolitas fuiſſe Ægyptiorum filias, quæ ſemel, aut pluries illum incedentem intuitæ fuerant, tempus anteuertere, ac prę-currere, vt in loco, per quem ille tranſiturus erat, conſiſtentes, auidiſſimè illius pulchritudinem contemplarentur. Et ſic nonnulli benedictionem à Iacob illi impenſam, cum dixit, (filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum) interpretantur in hunc modum. Quia Ioſeph adeo fuit decorus aſpectu, Ægyptiorum filiæ diſcurrerunt per mœnia vrbis, vt identidem tranſeuntem inſpectarent. Si ergo æquum fuit Ægyptiorum filias, ad Ioſeph pulchritudinem ſpectandam, clauſtris tam ſæpè exire; quanto erit æquiùs, Eccleſiæ filias foras erumpere, ad contuendum ſponſum multò ſanè pulchriorem, charitate præſertim co-

ronatum. Expendere oportet (tametsi virtutibus vniuersis, ex amoris imperio, id etiam competat) vni tamen charitati, ex proprio suo ingenio, coronæ quadrare symbolum. Si enim materiam seu metallum coronæ regiæ cogitemus, aurum est, quo insigniter charitas exprimitur. Si coronæ figuram exploremus, circulus quidam est, seu complexus capitis perfectus, circumdare autem, seu complecti caput, hoc est, Christum, charitatis functio natiua est. Si locum, vbi corona locatur, spectemus, caput est princeps corporis pars; nulla autem virtus tam excelsa est, quàm ipsa charitas, ac proinde quacumque libretur ratione, diademati nostri Salomonis opportunissima videtur. Quod vero sponsa mater etiam sponsi nuncupetur, ex ipsius sponsi patet oraculo, Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Nec mirum videri debet, Regem tantum humilis sponsæ charitate coronari. Qui enim ex humanis parentibus genus ducere dignatus est, ac ex eis nomen accipere, vt gloriosum duceret, se Deum trium hominum, Abraham, Isaac, & Iacob, nuncupari, cur diuina sponsæ charitate nõ coronetur? Profectò Reges pluris genus, & cognomina, quam diademata faciunt. Si ergo Rex Salomon noster ab hominibus accepit & genus nouum, & nomen, cur non & coronam? Etenim siue quia charitas opportuna diademati est, siue quia humanissimus Rex, propter nimiam charitatem suam, optat amore nostro ambiri, & coronari, planum omnino est, ipsum eo diademate libenter redimitum incedere. Vt apertum est eo, quod sequitur.

In die dispensationis illius &, in die lætitiæ cordis eius.

Intuemini illum festiuum, die qua nuptias olim cœptas perficit, & intima cordis lætitia, propter diadema perfunditur. Nuptias init cum sponsa, vt ille potestatem voluntatis sponsæ, illa ipsius è contrario habeant, sicut in externis nuptiis potestatem corporis coniuges sibi mutuò tradunt. Hinc oritur lætitia cordis.

NEMINEM fugit, nuptiarum dies festiuos esse, ac voluptatis plenos. Vocant ergo diem nuptialem Doctores, totum id temporis, quo sponsus ferculo descripto vehitur, & sponsæ amore, vt perfecto complexu redimitur. Profectò iam pridem sponsa in thalamum fuerat admissa, ac proinde desponsata; verũ familiare est sacræ scripturæ, asserere, tunc aliquid fieri, cum ornatur, atque perficitur. Sicut cœli lumina quarta die in primo Geneseos capite dicuntur effecta, cum tamen die prima cum ipsis orbibus, quorum partes sunt, condiderit illa Deus. Dictus ergo est illa tunc facere, hoc

est,

est, ornare, ac perficere. In hunc ergo modum, dies desponsationis appellatur tempus illud, quo spiritales nuptiæ nouis charitatis augmentis perficiuntur. Et quidem si desponsationis rationem expendamus, comperiemus profectò potiore iure, diem perfectioris charitatis, in quo nunc agit sponsa, desponsationis diem appellari, quàm eum, quo primum anima in gratiam admissa est: Hic quippe non est dies sponsalium, vt iuxta vulgarem acceptionem à matrimonio secernuntur, sed dies desponsationis præsentis, & contractus spiritalis matrimonij. Patet enim ex huius contractus iure (vt naturali ac diuino proditum est oraculo) tam stricto nexu coniuges mutuò vinciri, vt quamdiu viuunt, vir potestatem corporis sui non habeat, sed eius vxor, pariterque è contrario. In hunc ergo modum, quando arctissimè charitatis nexu sponsus animaque ligantur,

tur, quamdiu perseuerat is nexus (qui sola culpæ morte dirumpitur) sponsa non habet animæ ac voluntatis suæ potestatem, sed sponsus, qui matrimonij iure vtitur ea voluntate, per quam sponsa illi debitum reddit. Si verò admissa culpa sponsus repulsus fuerit, & in anima proinde quasi mortuus, tunc potestatem eam vinculi coniugalis amittit; nec enim vtitur voluntate illa, quæ, contra ius, ad secundas nuptias auersa transiuit. Perdurante igitur nexu, sicut de sponsa assertum est, ita sanè mutuò de spõso asserendum. Eum nimirum animæ voluntatisque suæ potestatem non habere, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, hoc est, adeò impotenter amare, vt omnino seruet iura matrimonij (ex quo se totum sponsæ tradidit) & voluntatem sponsæ compleat. Si enim voluntatem timentium se facit, vt psalres regius cecinit, quanto magis

voluntatem amantium? Huius certè fœderis coniugalis plura sunt illustria exempla. Illud verò est longe illustrissimum, quod inter Deum & Moysen scriptura commendauit, postquam fœdus matrimonij percusserunt. Cum enim rebellis ille populus Hebræorum vitulum conflasset, & illum Deus delere vellet, quasi qui voluntatis propriæ iure careret, petijt à Moyse, cum quo spiritale matrimonium inierat, vt pateretur, ipsum tunc, vt ita dicamus, sui iuris esse, sic enim effatus est, Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleã eos. Moyses autem, quasi iure suo non cedés, cum nosset, se non annuente non esse delendos, renuit, & adiecit tandem: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti, quasi diceret, aut dissoluatur matrimonium deleto contractus chirographo, aut redde debitum coniugij, quod est inter

Exod. 32.

nos;

nos, ex quo ego tuæ voluntatis potestatem habeo, vt fiat, quod mihi placet. Placet autem populum non deleri. Quamobrem Deus nolens contractum soluere, respondit. Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo, tu autem vade, & duc populum istum quo locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo. Ac si planiùs eloqueretur. Non deletur scriptura contractus coniugalis, nisi quis peccarit. Tu autem, cum non peccaris, manes in fide coniugij. Vtere ergo iure tuo. Vade, & duc populum. Et quia ex iure matrimonij omnia mea, tua bona effecta sunt. Vtere ministerio angelico, & Angeli mei ducatum sequere. Quia vero tu non vis peccatorum impunitatem, protelabo vindictam, vsque ad iudicij diem, quãdo tibi placet, eos puniri, Exijs patere potest, desponsationis diem, multo propriùs nuncupari diem

adultę, quã tenerę ac incipiẽtis charitatis. Nec enim infans charitas diuinæ ſponſi voluntati tam exactè conſentit, quàm abſoluta huius contractus arcani perfectio expoſcit. In hoc deſponſationis die, charitate ſponſæ procera contractæ, ſponſus nouum ius ſuæ voluntatis ſponſæ tradit, quo maximè ſuam erga illam charitatem propalat, & commendat. Hic verò deſponſationis dies magna cum energia dies lætitiæ cordis nuncupatur, ad ſignificandam intimam, cumulatiſſimamque lætitiam, non extrinſecus hærentem, ſed in imo corde plantatam, qualem mundus expertus non eſt, cuius gaudia cuti dumtaxat hærent, ac citò euaneſcunt. Poſtquam Doctorum ſponſæ progreſſionem admirantium chorus in ſcenam à ſpiritu Sancto introductus eſt, ſponſus ſiluit, & laude à Doctoribus ſpõſæ impenſa mirificè delectatus eſt. Quamobrem vbi Doctores loqui

ceſſa-

ceſſarunt, feſtinus ipſe ingreditur, & ex vera, quam probat, ſponſæ laude, ipſius pulchritudinem eximiam esse conuincit.

CAPVT QVARTVM.

SPONSVS.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, Oculi tui columbarum.

RECTE aiunt Doctores (sponsus ait) cum varia similitudine tuam eximiam venustatem, ô sponsa, depingunt. Adeò nimirum exacta tua est pulchritudo, quæ interna virtutum concinnitate, & externa moderatione in actionibus conflatur, vt me etiam pulchritudinis conditorem, & amore sauciauerit, & ad laudem quoque permouerit. Agit hoc in loco sponsus anthropopathos, quemadmodum qui quampiã egregiæ formæ fœminam ardentissimè amat, solet crebro rerum cæterarum velut oblitus, faciem illius auidissimè spectare, ac contemplari. Vbi vero attonitus pulchritudinem

Interna & externa pulchritudo sponsæ.

Simile:

aliquanto tempore contemplatus est, velut impotenter amans, sic enunciare solet, quam pulchra, quam venusta es, & id genus alia decoris encomia solet efferre. Hic verò, quod ad explanationem attinet, repetere minimè necessarium est, cum verba hæc sub finem primi capitis exposita fuerint. Expedit autem animaduertere, repetitam hic pulchritudinem multo iam esse auctiorem, synceriores ac gratiores columbarum oculos. Nosse etiam operæpretium est, sponsum modo sponsæ laudes auspicati velle accuratiùs quàm ante, & ab oculis exordiri. Qui tantę venustatis in externa pulchritudine dignoscuntur esse, vt faciem alias deformem illi dumtaxat insigniter honestent. Quod & interdum in ea, quam philosophi appellant intentionem, quæ oculo ceu symbolo notatur, solet accidere; quæ si recta & simplex, velut ingenio columbæ affecta fuerit, totum

hominem aliàs deformem in nonnullis actibus exercendis plerumque solet honestare. Verùm, quod post oculos columbarum attexitur, ad inquirendum acuit intellectum: Sic enim sponsus ait.

Absque eo, quod intrinsecus latet.

Synceritatis, rectaque intentionis columbarum oculis notatæ index quidam se prodit, & hic laude dignus est, præter virtutem omnigenam in anima tua, o sponsa, latentem, quæ ineffabilis est.

QVIBVSDAM virtutibus familiare est, seipsas prodere, qualem esse syncericatem quotidiana docet experientia. Nec enim animi simplicitate columbæ præditi animaduertunt, se quippiam honestum habere, quod propter gloriam vanam celandum sit. Sed soli Deo placere studentes, nec quid alij suspicentur curant, neque cogitant. Quod sapientissimè à Deo fit, vt vir-

tus

tus alijs cedat in exemplum, ipsaque sit à vanitate prorsus immunis. Aliarum virtutum ingenium magis ad interna vergit, minus se prodit. Cum ergò synceritatis columbarũ oculis notatæ sponsus meminisset, rectè subiunxit, Absque eo, quod intrinsecus latet; quasi maiora innuens bona latere, quàm quæ à diserto quoquam possint enunciari. Profectò nemini dubium est, ea quæ in anima sponsæ latent esse multo maiora, ac nobiliora, quàm quæ cernũtur. Adhuc enim in simplicitate ipsa, quod cernitur exiguum est, si cum eo, quod latet, comparetur. Est sanè quod latet, ineffabile, quod Septuaginta Interpretes satis apertè commonstrant, dum vertunt extra silentium. Alij transferunt cum emphasi, præter id, quod in te reticetur, quasi dicerent, quod necessario reticetur, cum id effari sit impossibile.

Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.

Cogitationes tuæ (o ſponſa) perſimiles capillis à capite ortis, imitantur capras è montis Galaad decliuio, ad verticem propter pabula ſalutarium herbarum conſcẽdentes. Cogitas enim frequenter, quomodo, quæ ante, recens genita ad pedes meos, vt altera Magdalena conſtitiſti, per me ceu montem excelſum, cordis aſcenſionibus, & meritis poſſis aſcendere, & ſalutaria ſacramentorum medicamenta ex me orta velut ſalutares è monte plantas carpere valeas.

Capilli è capite naſcẽtes ſunt cogitationes.

CAPILLIS à capite naſcentibus, cogitationes, quæ in capite, vbi ſenſus viget, conflantur, indeque prodire dicuntur, exprimi per quam manifeſtum eſt. Vocanturque ſimiles capris, quæ de radicibus montis Galaad aſcendentes, excelſa iuga montis peruaſerunt. Capræ quidem animalia munda ſunt,

& ar-

& ardua loca pastus gratia conscendere solent. Galaad verò in Cananæorum finibus, mons est altus & conspicuus à septentrione in meridiem procurrens, qui Ismaelitarum regionem à Cananæis dirimit. Ferax est arborum, plantarumque, ex quibus resinæ leguntur & fructus ad materiam medicam expetiti, qui proinde sponsi natiuam gerit imaginem. Sanè concipiendum est, eos, qui ad gratiam recèter euocati sunt, ad pedes Christi, ceu montis cuiusdam excelsi, radices, decliuium ue sisti; Sic enim Magdalena recens ad gratiam traducta, spiritus diuini monitu, ad sponsi pedes collocata est. Cum verò in charitate progressus iusti faciunt, quia se ad mensuram & celsitudinem Christi erigunt, & meritorum ascensibus attollunt, à decliuio, ad verticem montis ascendere elegantissimè dicuntur. Sic ergò loqui sponsus putandus est. Cogitationes tuæ affectibus permistæ (ô

Galaad mõs altus.

ſponſa) id agunt, quod caprarum greges montẽ Galaad fertilem cõſcendentes efficere ſolent. Quemadmodum enim illi è montis decliuio ſe librant in altiora, vt montis pabula ſalubria carpant, & pinguescant, ita planè, ex humili ſoco, in quo ante, quaſi altera Magdalena, iuxta meos pedes conſtitiſti, ad mõtis excelſi & pinguis altitudinem conſcendis, cum ad meam menſuram, & celſitudinem, aſcenſionibus cordis, te conaris erigere, & ex me orta ſacramentorum medicamẽta, velut herbas è monte ſaluberrimas medicæ materiæ expetitas auidè præcerpis. Hęc prima loci eſt interpretatio, ſatis (vt patet) opportuna. Secundam verò expoſitionem vt afferamus, etſi præter morem hoc fiat, duos tamẽ grauiſſimos authores Gregorium Nyſſenum, & Rupertũ Abbatem Tuitienſem allegare non pigebit, qui hunc textum de auſpice noſtro Helia, eiuſq; comitibus, ſeu

diſci-

discipulis interpretantur. Verba Greg. sunt hæc. Fortassis & Helias aliquid nobis, ad hanc caprarũ considerationem confert, qui longo tẽpore versatus in monte Galaad, insignia vitæ continentis exempla prębuit, forma squallidus, capillis hirsutus, pro veste molli, pelle capræ tectus. Itaque omnes, quotquot ad exemplum vatis illius vitam suam instituunt, ornamentum Ecclesiæ fiunt, gregatim (qui philosophandi mos, hoc tempore in vsu esse cœpit) virtutem in conuersatione mutua colentes. Ruperti autẽ hæc sunt verba. Capilli tui sicut greges caprarũ, quæ ascenderunt de monte Galaad. Nimirũ quando Iezabel interficiebat Prophetas Domini, tunc apparuerunt de monte Galaad, id est, de ciuitate eiusdem nominis Galaad. Sic enim scriptum est. Et dixit Helias Thesbites, de habitatoribus Galaad ad Achab, Viuit Dominus &c. Et post pauca subdit Rup. Hęc dixit,

Nouum institutum philosophandi.

& hæc

& hæc fecit ille primus author, & institutor eorum, qui dicti sunt filij Prophetarum, , quos fuisse monachos in veteri testamento, consentit authoritas patrum venerabilium. Vbi (quod perfunctoriè dicimus) Gregorius Nyssenus sentit Heliam fuisse exemplum monachorum virtutem gregatim colentium, seu vitam communem simul ducentium, quam vitæ rationem tunc ait cœpisse. Rupertus autem sine vllis ambagibus, luculenter ait, in veteri testamento ex patrum venerabilium sententia, fuisse monachos, quorum authorem dicit Heliam. Hoc esto parergon. Nunc verò ad secundam explanationem, ex horum patrum verbis elicitam descendamus. Quemadmodum enim illi censuerunt, comas Ecclesiæ symbolicè esse viros illos, qui vitæ austeræ normam ab Helia institutam imitantur, pellibus caprinis succincti, hoc est, rudibus ex ferarum setis, vel alijs similibus ve-

Monachi veteris testamenti.

stibus

stibus induti; vt eos capras, eleganti translatione, possimus appellare, sicut in comœdijs histriones regia veste ornatos, pastoriſue lacerna obtectos, reges pastoresue nuncupamus: Sic nos comas sponsæ, cogitationes austerioris vitæ agendæ ad æmulationem Protoparentis nostri Heliæ conceptas, interpretamur, quibus cùm sponsa vacat, quasi asperis caprarum pilis semetipsam induit, vt sponsi amore ac inspiratione incensa dicere valeat, propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Verba enim labiorum sponsi intùs loquentis, & ad vitam austeram, qualé ipse inter mortales duxit, exhortantis, frequenter sponsa percipit, & ex hoc duras vias iure carpere cogitat. inquit ergò sponsus, capilli tui, hoc est, cogitationes tuæ similes, sunt simulachra, vel imagines quædam, cœtuum Prophetarum sub Helia in Galaad degentium, quorum tu austeritatem

cogitas æmulari. Rectéq; & sine metaphora dicit cogitationes sponsæ esse illis viris similes ; sunt enim ex vera philosophia, naturales rerum cõceptarum imagines. Quod enim cœtus Prophetarum, seu veteris testamenti Monachorum greges caprarum appellentur, metaphora est; quod vero cogitationes sponsæ illis similes dicantur, proprietas est. Hęc de secunda interpretatione. Nunc sponsum laudem dentium arcanè enunciantem audiamus.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.

Meditatio tua, qua velut dentibus quibusdam mea dogmata frustillatim concerpis, in ventriculum voluntatis meditatione ipsa excalfactæ trajicienda, & excoquenda, similis est gregibus ouium, quæ tonsæ, quæ ablutæ, quæ agminatim gradientes sunt. Est tonsa, rejectis affectibus terrenis; est abluta lachrymis, mentisq; pu-

ritate

ritate ex ablutione hac nitens & candida. Est concinna & more gregum agminatim gradiens, cum rationum serie; & quodã velut agmine, in voluntatem impetum facit. Hæc meditatio de lachrymarum lauacro, amoris motu ascendit tot gradibus, quot motus efficit in voluntate.

DENTIVM mundities, & concinnitas, & cãdor, ad pulchritudinem eximiè conducunt, mundities, vt scabra materia eis nulla inhæreat; concinnitas, vt dentes æquè parui, velut ad lineã exacti videantur, nullus emineat, nullus extuberet; candor, vt diductis albicent labijs. Quæ profecto tria gregibus tonsarum de lauacro ascendentium pulchrè significantur. Candor enim ablutione fit, nitent enim pecudum corpora, lana eluta, sordibusque detersis. Concinnitas ouium, gregatim ex fluuio ascendentium, agmine conferto exprimitur. Mundities tonsura, qua sordida vellera excecantur; quasi scabrities dentium

scal-

Dentibus meditationis notatur ingenium.

scalpro excideretur, idoneè notatur. Dentibus verò, quorum munus est, mutuo attritu, solidiores cibos mandere, ac conterere, meditationis notatur ingenium, cuius est conflictu quodam, & agmine rationum, non sine labore conari, & sponsi dogmata velut mutuo attritu concerpere, ac ità contrita, in voluntatis eis rationibus excalfactæ ventriculum traijcere percoquenda. Hic autem conatus & labor tunc animam vexat, cum contemplationis abest suauitas, in qua dentium attritu, rationumque excogitatione minimè opus est; omnes enim, qui in contemplatione deguſtantur cibi, liquidi sunt, nec cum labore mādi, sed cum voluptate hauriri, ac deglutiri debent. Propter hoc, si meditatio contemplationi conferatur, aridus quidam, ac ligneus fructus, fructui recenti, ac succi pleno comparari videtur. Esto tamen hoc verum habeat, nihilominus si meditatio suis

numeris absoluatur, hoc est excisis affectibus terrenis munda, rationũ agmine ac concinnitate efficax, mentis lachrymis ablutæ puritate candida sit, satis profectò est similis gregibus ouium mundis, agminatimque gradientibus, & candidis. Quæ rectè dicitur de lauacro ascendere. Lachrymarum quippe profusio ascensum efficit, cum meditatio efficax est, ad voluntatem permouendam. Tunc nimirum ad meditationis mensuram voluntas permota gradibus amoris ascendit. Motus nempe voluntatis igneus cum sit suape natura, ascensus quidã est. Qui cum ex meditatione fit, cum non excedat illam, sed ad eius eleuationem attollatur, simul efficitur, vt affectus in voluntate, & meditatio in intellectu æquè ascendãt, Ideò verò de lauacro ascendunt, quia meditatio dictis moribus affecta nec arescit, nec cœlesti rore destituitur; persæpè enim efficacem

meditationem vis lachrymarum, mira cũ voluptate, perfundit. Hinc exiſtit, vt quæ ſterilis ſuapte natura videbatur, & infœcunda, non conquieſcat, donec prolẽ pariat numeroſam ſicut Anna olim arida, quæ non eſt animo deiecta, ſed conata, donec ſterilis peperit plurimos. Propterea ſpiritus Sanctus adiunxit.

Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

Meditatio ſic affecta, non ouibus ſterilibus, nec vulgo fœcundis, ſed iis, quæ gemellos pariunt, ſimilis eſt. Ex ea quippe naſcuntur duo amoris actus velut vterini fratres ab vna charitatis virtute, & ab vna voluntate producti, & ab vna primùm meditatione originem ducentes.

MEDITATIO hæc, quæ ſuopte ingenio videbatur ſterilis, & effœta, quando ſuis numeris abſoluitur, mirum dictu eſt, quanta ſit prole fœcunda. Redditur quippe fœcundi-

cunditate similis ouibus gemellos fœtus edentibus, quarum greges adeò sunt fœlices, vt ne vna quidem ex ingenti numero sterilis reperiatur. Bini autem, seu gemelli fœtus, eodem ex vtero enati, duo sunt amoris actus in Deum, & proximum, ab eadem charitatis virtute, & ab eadem vna exorti voluntate. Qui profectò appositè satis à meditatione originem ducere dicuntur, ex qua diuini amoris ignis enascitur, sicut scriptum est, In meditatione mea exardescet ignis. Vbi cernimus mirabile quiddam, ab vna videlicet meditatione & elici aquam, & ignem, lachrymarum vim, & amoris flammam. Ipse verò lachrymarum fluxus fit ignis pastio, qua magis amor conualescit, quemadmodum cernimus in fornacibus, vbi mulcetur ferrum, quæ quando inspergunturaqua, scintillas emittunt, ignisque maius excitatur incendiũ, Capillos, oculos, dentesq;

Gemelli fœtus sunt duo amoris actus in Deum & proximũ.

commendauit, labia nunc, in quibus maxima ineſt pulchritudinis pars pergit commendare ſponſus, aiens.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

Verba tua labiis figuratè notata (oſſoſa) ſunt ſicut vittæ, ſeu faſcia coccinea bis tincta, quales telas tabernaculi coccineas elegit Deus. Verba quippe tua ab amore in Deum, proximumque flagrante, ceu duplici tinctura imbuto producta, patris naturam referunt, & duplici infectura rubent. Vnde fit, vt eloquium tuum dulce ſit; mihi enim amanti nulla verba elegantiora & dulciora, quam quæ ab amore trahunt originem.

Coccum ex gramine rubeo naſcens.

COCCVM eſt granum ex arbuſcula Ilici ſimili, vel ex gramine rubeo naſcens, à Dioſcoride granum tinctorium appellatum. Hoc grano telæ inficiuntur, quo nihil aſpectui gratius. Quę ſanè tinctura loco purpuræ ſubrogata eſt. Purpura quippe

vera

vera iam exoleuit. Obseruare autem oportet, coccineas telas, quas Deus iussit olim ad tabernaculum fœderis apparari, non simplici dumtaxat, sed duplici tinctura fuisse imbutas. Sic enim coccum bis tinctum in Exodo passim legimus. Quo arcanè notatur animi affectus duplici rubens infectura, hoc est, Dei, proximique amore, qui totus rubens, ac igneus est. Et quidem si coccum dibaphum, seu bis tinctum symbolicè contemplemur, perspiciemus profectò, nec à Deo exigi, nec ad tabernaculum admitti potuisse, coccum, quod semel tantum, & non bis esset infectum. Fieri nempe vllo pacto nequit, amorem alterum ab altero secernere, sed duplex ille animam simul imbuit, duplici quasi tinctura illam inficiens. Ex hac verò interna, duplicique infectura, verba prodeunt eodem imbuta colore; mirum enim esset, verba ab amore genita, patris nõ referre naturam. Affectus

ergo sponsæ bis amore tinctus, tanquam lanis vellus muricem ebibēs, hoc est, amorem toto pectore hauriens, per labia, quibus figuratè verba significantur, se prodit; & ex hoc capite, vittæ coccineæ bis tinctæ labia fiunt quam simillima. Inter amantes verò, nullus est sermonis lepor, nulla vis eloquentiæ, quæ tam eximiam efficiat voluptatem, quàm vel inculta, & rudis quædam verborum enunciatio, si ex amore proficiscitur, extra quem Rhetorum flores minimè amantibus placent. Et hanc emphasim habent ea verba, (Et eloquium tuum dulce.) quasi dicat sponsus: Quia labia similia sunt vittæ coccineæ, ideo eloquium tuum (quum amoris opus illud sit) mihi dulce videtur, ideo cum verba effers, mihi eloquens videris. Non est autem prætereunda hoc loco ordinis ratio. Commendârat sponsus dentes, quibus meditatio adumbratur, moxq; sermonis lepo-

rem,

rem, & eloquentiam purpureis labijs expressam annectit. Quia videlicet postquam quis accuratè meditatur dogmata cœlestia, fit ad sermonem cordate promẽdum aptus, (& quod maximè optandum est) apud sponsum eloquens. Ne quis verò putaret eloquium hoc loco idẽ, ac facundiam, seu verborum copiã esse, vittis seu fascijs ad stringendum comparatis labia conferuntur; quia scilicet iustorum sermo non debet effluere, sed præcurrente meditatione labijs commissis coërceri. Quod sanè mysterium Septuaginta Interpretes luculenter ostẽdunt, cum, pro vitta, vertunt funiculum, qui significat in scripturis sacris mensuram. Fiunt ergo labia funiculo coccineo similia, cum parce verba ceu sub mensura promuntur, & ad charitatis relata finem, velut arcano cocco tincta enunciantur, eiusdẽq; cocci vitta, hoc est charitatis mẽsura, ligãtur, ne videlicet Deũ,

proximumue, in quos charitas fertur, offendant. Quod verò de mensura sermonis assertum est, ex sequẽti periodo fiet luculentius.

Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ; absque eo quod intrinsecus latet.

Genæ tuæ rubore perfusæ, qui est index verecundiæ, sunt sicut fragmentum mali punici, quod, quacumque spectetur, præfert rubórem. Hic autem index virtutis, etsi externus sit; placet etiam, si expendatur sine eo, quod intrinsecus latet, hoc est, distincte, seu discrete ab eo quod latet, & ex se verè pulchrum est. Hic autem pudor verba cohibet, & parcè loqui sinit, sicut in fragmine punici, cortex grana retinet, & sæpit, ne spargantur, aut excidant.

RVBOR quidam ingenitus colore mali punici notatus, genas perfundens, fœminas inprimis honestare solet, cum viros alloquuntur, cum quocumque prętextu in lucem

pro-

prodeunt. Fragmen autem mali punici, ad rem hanc satis accommodatè allatum est, hinc enim cortex, inde verò grana rubent, vt quacumque spectetur, verecundum significet animũ. Externus hic pudicitię, ac verecundiæ index maximè sponso probatur, quamobrem sic loqui existimandus est. Genæ tuæ verecundia rubentes fragmini maligranati simillimæ, mihi eximiè placent, absque eo, quod latet intrinsecus. Ac si planiùs diceret. Dubitari à quoquam posset, an rubor hic externus mihi placeret (norunt enim vniuersi, externa me non mulceri pulchritudine) ego verò vt eum nodum soluam, respondeo, eum ruborem mihi esse gratissimum, prętęr id quod latet intrinsecus, cuius ille rubor index est. Ex hoc ipso verecundiæ, quam notat, capite, & ex naturali constitutione sua, fragmen mali punici, arcanam cum genis habet similitudinem, ad sermonis

Genarum natura.

moderationem valde accommodatam. Genas quippe natura effinxit, vt septa, vel claustra quędam, quibus aër continetur, quo intercepto per linguæ plectrum, palati, ac dentium adminiculum verba formantur. Pudor autem in genis elucens, præpedit, ac remoratur hæc organa, ita, vt (quod creberrimo constat experimento) qui erubescunt, vix verba promere valeant, & cum tandem loquuntur, ea & pauca, & concisa efferunt. Quod autem rubentes pudore genæ efficiunt, si verba intra os quasi cohibita spectemus, id cortex in fragmine mali punici præstat, dum grana sibi hærentia retinet, ne loco excidant. Est enim cortex acinorum claustrum, ac retinaculum quoddam, nõ patiens grana dispergi. Voluit ergo sponsus sponsę silentium verecundiæ germanum, hoc velut emblemate punici mali exprimere, ac si hoc modo effaretur. Non modo rubes præ verecundia, vt punicum

nicum malum (ô sponsa) verum etiam silentium mirificè colis, fragmenque imitaris, genarum rubentium claustro verba continens, sicut fragmen corticis septo grana retinet, ne fortè spargantur. Septuaginta quasi alludentes ad hoc genarum officium, corticem mali punici, pro fragmine reddiderunt. Et quidem, ob hauc etiam significationem, mala punica ex Aaronici sacerdotis tunica, inter ipsa tintinnabula pendebant. Quò sacerdos ediscceret, tempora sibi discriminãda fuisse; ita vt tempus loquendi, certam quasi sedem, ac stationem sortiretur; tempus etiam silendi, verbaque genis continendi, ac futurum sermonem meditandi; quod intermista tintinnabulis punica cõmonebant. Hanc autem sermonis cum silentio permistionẽ versio nostra innuit, quæ non integrũ malogranatũ, sed fragmẽ habet, q; partim grana ostẽdit, partimq; celat.

Tempus loquendi. Tempus silendi.

Non

Non enim silentij virtus omnem prorsus sermonem interdicit, sed interdum parcè loqui, interdum verò prorsus tacere monet. Confert mirificè silentij cultura, ad orationis profectum; experimento quippe quotidiano liquet, animas silentio deditas tanto cum sponso familiarius loqui, quanto parciùs cum hominibus verba faciunt. Ex hoc autē commercio, quod habēt cum Deo, noua cunctarum virtutum vi stabiliuntur, & inuicta Dei armantur fortitudine. Vnde aptè sponsus addit.

Sicut turris Dauid collum tuum; quæ ædificata est cum propugnaculis. mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Orationis virtus collo similis, quia ex capite per eam in animam permanat influxus & motus, effecta es similis (o sponsa) turri Dauid, quam ad hostes expugnādos extruxit, est enim ceu turris illa in

Deum

Deum erecta, & contra hostes obfirmata, cuius propugnacula sunt virtutes, quæ illam tuentur, & hosti vulnus infligunt, vt constantia, & fortitudo: Clypei vero sunt eæ virtutes, quæ hostis ictus sine læsione tolerant, qualis est humilitas, & patientia. Denique in ea est vniuersum armorum genus, quibus animi fortes redduntur.

TVRRIM, seu arcem domumue excelsam turris hic nomine appellatam, è regione arcis Iebusæorum in colle propinquo, quo gentē illam, arce sua expugnata, deleret, à Dauid Rege fuisse olim constructam, ex ipsa Hierusalem antiquæ descriptione accepimus. Hanc autem suis fuisse munitam propugnaculis, hoc est, structuris, ex quibus lapidum, telorumue iactu pugnaretur, & quæ præsidium esset, ad Iebusæos debellandos, æstimandum est; nam ex eo loco arcem Sion, totumque Mello pluribus insignem colli- Turris Dauid.

bus

bus Rex cepit, constructoque per montis extrema muro muniuit. Et ne quid ad firmissimi præsidij munimentum desideraretur, varijs armorum generibus Rex eam arcem instruxit, vnde ex ea clypeos, aliaq; id genus appendit arma, vt terror hostibus incuteretur. Hæc est perelegans quædam orationis effigies. Patet enim ijs, qui eam virtutem colunt, eam esse firmissimum ad omnia prælia præsidium, vniuerso armorum genere refertum. Oratio, cuius est ingenium ad Deum hians, & erectum, qua velut arteria, seu gutture sponsi capitis nostri & spiritus, & influxus, & motus ad animã perlabitur, ac permeat, collo pulchrè significatur, cuius, in pulchro corpore, laus potissima est, vt sit erectum, & seruata proportione longum. Propterea turri assertur similis. Est autem expendendum, turrim hanc, non cuiuscumque Regis, sed Dauid hominis bellicosi ædificium

Orationis effigies.

cium esse. Non enim orationis turrim istam symbolicam alius, quam verus Dauid noster exædificare potuit, qui, vtpote belli consultissimus, eam propugnaculis sepsit, clypeisq; muniuit. Quæ sunt tanquam duæ classes, ad quas omnis pertinet armatura. Propugnacula Hebraicè Thalphiot (quam vocē Septuaginta interpretes retinuerūt) ædificia sunt ad pugnandum comparata, qualia passim muris vrbium eminere cernimus, ex quibus, qui vrbem tuentur, tela eiaculari, hostesq; muris cōscendere satagentes arcere, ac sauciare solent. Quamobrem sub propugnaculorum imagine, arma necem inferentia hosti vniuersim intelligimus. Clypei verò, ad excipiendos sine vulnere ictus, non ad lædendum comparantur. Quapropter, sub eorum symbolo, arma defensioni dumtaxat opportuna, vniuersim accipimus. Arcanam nūc ex his eruere significationē oportebit.

Do-

Orationis virtus.

Domus igitur excelsa Dauidis nostri opere constructa, ad spiritales Iebusæos expugnandos, Orationis est virtus, collo notata, turrique (vt patet ex dictis) propriè collata. Hæc est propugnaculis septa, ijs nempe virtutibus quæ, dum mentis erectionem tuentur, & alunt, dęmonem insidiãtem velut excelso è loco repellunt, & sauciant; quod est proprium earum virtutum, quæ audaciam, & impetum præ se ferunt, qualis est fortitudo, constantia, & eius generis aliæ, quæ animam orationi vacantem & ab hoste tuentur, & vulnera inferre faciunt. Sunt autem virtutes aliæ, quæ impetum non faciunt, sed ad infligenda hosti vulnera natæ videntur, qualis est humilitas, & patientia, & his elegantissimè quadrat clypeorum similitudo. His igitur perpensis, sponsus sic effatur. Sicut turris Dauid bellatoris, ad hostes expugnandos extructa, ita & orationis virtus, qua præcellis (ô sponsa) colli

erecti,

erecti, longique symbolo notata, per quam è capite tuo, ex me (inquam) sponso tuo, & spiritum, & influxũ, & motum, velut per arteriam quandam, collumue, attrahis. Hæc quippe oratio sic affecta, persimilis est turri Dauid bellicosi. ego enim militiæ princeps eam excelsam, ad pugnãdum opportunam extruxi. Virtutibus, quæ dum eam tuentur, dæmoni vulnus infligunt, illam velut propugnaculis sepsi. Alijsque præterea virtutibus, non tam ad lædendum, quàm ad tolerandum, & quasi contegendum idoneis, tanquam clypeis exornaui. Et quia singula percensere nimis esset operosum, omni armatura fortium, hoc est, quę animos reddit fortes, communiui.

Etsi vero hæc expositio idonea sit, altera non minus concinna subit animum, quæ collum hoc loco, charitatem potiùs, quam virtutem aliam quampiam intelligit. Qui profectò intellectus, quàm sit aptus,

ex ipsa colli descriptione, turrisque similitudine clarè perspicitur. Sanè collum excelsum est, caput sustinet, eiusque cum corpore vinculum quoddam est, habet arteriam, qua spiritus admittitur & influit, habet fauces, quibus epulæ traijciuntur, innititur humeris. Hæc est pulchra quædam charitatis effigies. Si colli celsitudinem, erectionemque contemplemur, charitas omnium virtutum celsissima, & in Deum erectissima est. Si collum, quà gestat caput, corporique connectit, inspiciamus, exploratū est in diuina Theologia, charitatis munus esse; caput animæ Christum sustinere, animæque vincire, adeò vt cæterarum virtutum nexibus, nisi vnius vinculo charitatis, animæ non alligetur. Si colli arteriam, qua spiritus perlabitur, expendamus, charitas, cum totis flagret visceribus, ad calorem internum (quamdiu differtur sponsi conspectus) temperandum, spiritū

Charitatis effigies.

hau-

haurit & attrahit, quemadmodum, cum febri quis æstuat, ventum, ad internum calorem moderandum, exsorbet. Si fauces consideremus, charitas semper esurit, oblatosque à sponso cibos, seu molles, seu solidiores auidè abligurit, nullum enim laboris genus detrectat, sed velut ignis vehemens iniecta ligna consumit. Si colli positum, humeris innitentem contueamur, facilè liquebit quàm appositè quadret charitati. Enimuerò humeris ad onera portanda vtimur, quod in sacra pagina passim offendimus. Hoc autem fundamento fortem charitatem niti oportuit, quæ onerum gestatione, laborumque perpessione, non voluptatis perceptione fundatur. Hæc est huius arcani colli structura, qua se sapientiorem ostendit sponsus, quàm in aspectabilis colli compactione. Nunc vero ad similitudinem turris pertendamus. Est nimirum, diuina charitas turris siue arx, tum

Charitas turris est tum

ob celsitudinem tum firmitatē.

tum ob celsitudinem, tum ob firmitatem ac robur. Nam qui hanc incolunt arcem, vim quandam planè diuinam adipiscuntur, qua fiunt inuictissimi, vt de se Paulus ingenuè fatetur, dum ait, nec morte, nec vita, nec id genus alijs acerrimis hostibus se à charitate Dei posse diuelli. Et si verò arx hæc videatur inexpugnabilis, vtpote, quam sponsus, Dauid arcanè nuncupatus, sapiens architectus extruxit; oportuit tamen ob pugnatorum, qui in arce habitant, imbecillitatem, & hostium creberrimos impetus, propugnacula iuxta illam ædificari, ad hostilem temeritatem arcendam, ne fortè diueretur arx. Hęc autem propugnacula (vt sapientum concors sententia fert) sunt euangelica cōsilia, quæ ab ijs vigilantissimè obseruantur, qui charitatis arcem tutam esse cupiunt. Quippe obedientiæ, castitatis, paupertatisque & aliorum consiliorum cultores, turrim Dauidicā

Apo-

Apostolicis vestigijs insistentes optimè custodiunt, & ex his velut propugnaculis hostem sæpissimè sauciant, seque reddunt formidabiles. Quamnis autem robur potissimum in charitatis arce consistat, at profectò propugnacula ista tempori obsidionis opportunissima sunt, sine quibus arx euersioni direptionique patet. Quin verò charitas ipsa ex hisce propugnaculis pugnat, hostemque eneruat; charitas quippe ipsa, & obediens, & casta, & pauper est, & patitur, & vigilat, & vniuersas functiones militares obit; quas nisi strenuè exerceat, eius vis confestim extinguitur. Clypei verò mille, qui ex ea pendent, cœtus, numerusque perfectus earum virtutum, quæ non tam ad lædendum, quam ad defendendum comparatæ sunt, debent intelligi, quales sunt humilitas, benignitas, & patientia, vt in prima interpretatione assertum est. Dicũtur autem multò propriùs hi clypei

Clypeorũ symbolum charitati congruit.

symbolici, charitati, quàm orationi congruere, cum quia charitas iure suo, vt virtutum princeps ac domina eis vtitur ad certãdum, tum quia clypei eiusmodi non quoquopacto in turri esse, sed ex ea pendere dicũtur. Omnino autem exploratum est, virtutes vniuersim cęteras à charitate pendere; ita vt ad æternitatem pro qua certatur prodesse nequeãt, nisi ex eo pendeant armamentario. Denique in charitatis arce dicitur esse omnis armatura fortium, non quasi prius fortes sint, & postmodũ armentur, sed quiatũc fortes fiunt, cum se charitatis accingunt armatura. Hoc est elegans sponsæ collũ, cui præsidet caput, qui sponsus est, qui cœptam nunc persequitur laudem dicens.

Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies & inclinentur vmbræ.

Duo amoris tui actus persimiles sunt capreæ gemellis; quippe tam celeriter properant ad propinandum lac dulcioris Deo, proximoque dilectis, quam velociter hinnuli ad matris vbera exsugenda festinãt. Et hanc pernicitatem fælicius exercent in animabus puritate candidis, in quibus, ceu in pascuis liliorum, hi duo amores pascuntur, & crescunt, donec appareat dies æternitatis, & vmbræ mortis ac peccati inclinentur, seu descendant in tartarum.

HORVM verborum interpretatio ex vérbis primis capitis primi, vbi quid vbera symbolicè significarent, & ex vltimis secundi capitis, vbi quid sit inter lilia pasci, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, declaratum est, peti debet. Et vt compendio dicamus, vbera duo duos amoris actus in Deum proximumq; propensos misericordiæ lac euergentes notant, qui inter lilia versari, ac pasci asseruntur,

Vbera duo duos amoris actus in Deum & proximũ notant.

quia in animabus candore non interno tantùm, verùm & externo, castitate videlicet corporis nitentes mirificè proficiunt, & vt salutari pabulo pingueſcunt. Cùm enim in castis membris, illecebris & corruptela carnis amor non retardetur, ipſeque ſuo genio ad creſcendum ſit expeditiſſimus, efficitur apertè, debere ibi fœlicius creſcere, ac velut paſtu ſaluberrimo paſci, ac dilatari, donec æternitatis dies aſpiret, & illuceſcat, & vmbræ mortis, ac peccati, in quibus homines non modo ſedent, verumetiam iacent, inclinentur, ſeu deſcendant in tartarum, paratum ſcilicet locum, vbi vmbra mortis & horror habitabit ſempiternus. Hæc ſub compendio cõtracta ſunt. Reliquum fit, vt in quo gemellorum capreæ cum vberibus ſimilitudo conſtituta ſit, aperiamus. Sanè ſi verborum expendatur cortex, inconcinna videtur hinnulorum cum vberibus collatio. Cum e-

nim

nim capreæ, ac hinnulorum mentio facta fuerit, & hic sponsa pingatur vberibus prædita, multò propriùs capreæ ampla vbera habenti, quæ suguntur ab hinnulis, quàm fœtibus ipsis videtur debuisse comparari. At sanè mysterium latet in cortice. Duo nimirum sponsæ vbera, duo sunt charitatis, seu diuini amoris actus; sunt gemelli ab eadé charitate, eademque voluntate, velut ab eodem vtero editi. Sunt autem fœtus hi cursu pernicissimi, sicut & vniuersum caprearum genus. Tunc autem velocissimè currunt, cum esuriunt, & longè à matre distant, & cum meminêre lactis, ad quod exsugendum, celerrimè properant, donec papillas arripiunt. Vt ergo Salomon exprimeret charitatis ingenium, ad amplexum sponsi, proximique per actus geminos expeditissimum, duos illos actus, non cápreæ prægnanti, quæ tunc & ægritudine, & vberum distétorum pon-

Charitatis promptitudo.

dere vix currere valet, sed hinnulis velociſſimis comparauit. Eſt nimirum charitas ad ſuum opus promptior, quam ſit qui eget charitatis lacte, ad illud hauriendum velocius accurrit, quàm inuocetur, ignis æmulata naturam, cuius in agendo (vt philoſophi loquuntur) inter elementa omnia ſumma celeritas eſt. Sic ergo ſponſum debemus concipere aientem. Duo amores tui (ô ſponſa) non indigent petitione, aut obſecratione, vt ſeipſos exerceant, & riuos lactis effundant, quos exſugere dicor ego, dum amore tuo recreor, eiuſque dulcore perfundor, & proximus tuus, qui tuo amore fouetur, & alitur. Non (inquam) obſecratione indigent, ſed velociores ipſi ad opus, quàm qui eis reficiuntur, ad flagitandum, tempus anteuertunt, & ad meum proximiq; amplexum tam perniciter currunt, quã caprearum hinnuli, cum ad matris vbera exſugenda feſtinant. Conſtat

ergo

ergo similitudo ex hinnulorũ celeritate, & amoris ad opus expeditione, tametsi non caret emphasi cursus hinnulorum, si ad amoris cursũ cõferatur. Porrò, quemadmodũ hinnuli currunt ad vbera dulcore lactis allecti, ita & gemini amoris actus, ad sponsi, proximiq; properant amplexus, in quibus eximius dulcor, voluptasque percipitur. Adhuc n. in proximi ærumnis eleuandis (de quo vno poterat suboriri dubitatio) qui verè amant, dulcorẽ mirum experiuntur, quod ex rebus gestis sanctorum, & vulgari etiam patet experimento. Hæc dum sponsus eloquitur vehementi quodã amoris turbine correptus, secũ loquens ait, spõsam se velle inhabitare, q, vt enunciet, laudẽ, quam texebat, velut intercidit, quemadmodũ sæpè solet euenire, dũ quis fœminã pulcherrimã laudat, & pulchritudinis mirę partes recensęt, in ipso sermonis excursu encomiũ incidere, ac vehementi

quo-

quodam amoris æstu se illam adire velle, enunciare. Propterea igitur sponsus ait.

Vadam ad montem myrrhæ,
& ad collem thuris.

Cerno sponsam meam effectam esse quendam montem myrrhæ. Dum consce-su difficilem mortificationem magna vi seipsam edomans, & crescens velut excelsum montem superauit. Eademque collis thuris ferax euasit, licet enim non ita difficulter orare didicerit, ac carnem premere, nonnihil tamen extolli, & conariceu ad collem, seu minorem montem conscendendum opus fuit. Hunc ergo montem, hunc collem adibo lætus ac hinnulus ceruorum, sicut scriptum est, Montes excelsi ceruis, & eum locum ipse humanè colam.

SPONSÆ montis quadrare symbolum satis liquet, si iustitiæ celsitudinem, ad quam peruenit meminerimus. Est autem ceruorum mos alta petere, montesque conscendere sicut scriptum est, Montes ex-

celsi

celsi ceruis. Superius verò inter alia nomina translata, hinnulus ceruorum sponsus appellatus est. Quod ergo ait. Vadam ad montem, hoc est; excelsam sponsæ mentem, instar montis, charitate grandem visitabo, ingenio suo maximè consentaneum est. At modò, cur mons myrrhæ, cur collis thuris nuncupetur, inuestigare oportebit. non enim vacat mysterio, mirrhæ non collem, sed montem, thuri verò non montem sed collem attribui; cum tamen in arcano sermone, vbi thure oratio, seu mentis eleuatio; myrrha vero ea, quæ à sanctis patribus mortificatio appellatur, significetur. Ex quo mons thuri suo iure deberi videbatur, potius quam myrrhæ. At si rem introspiciamus, cernemus profectò, magna cum energia factum esse montis collisque discrimen. Monte quippe magna difficultas, arduaque opera notantur, propter difficilem montis ascensum, ita vt

Excelsa sponsæ mēs instar montis.

rectè

rectè dicatur quis montem conscēdisse, seu superasse, cum arduum quippiam peregit. Colle verò, qui minor est mons, non ita magna difficultas exprimitur. Nunc igitur, si carnis rebellionem, quæ viros etiam charitate prouectos acerrimè diuexat & cruciat, perpendamus, & mētis in hæc terrena deiectionem carnis luctæ comparemus, perspiciemus proculdubio longè difficilius esse corpus edomare, quam mentem in superna erigere. Enimuero constitutissimum est, viros charitate insignes iugi quadam contentione mentem in Deum erigere, adhuc inter ipsas corporis indomiti luctas, quin verò & ex ipsis, ansam orandi Deum creberrimè arripere, qui tamen conqueruntur de corporis violentia penè insuperabili. Sic Paulus aiebat, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & alia simillima effabatur, quibus mortificationis difficulta-

tem

tem exaggerabat; quæ de orationis opere minimè protulit, vt ex hoc illustri exemplo satis liqueat, cur potius myrrhæ, quam thuri mons fuerit attributus. Mons ergo myrrhæ mortificatio carnis multo nisu ac vi à sponsa parta dicitur; collis verò thuris orationis virtus, ac mentis in Deum elatio, quæ non tam difficulter parata est. Sic sancti patres obseruarunt hoc montis colliſque discrimen, licet aliam hæc verba interpretandi rationem inierint, sponsum loquentem introducentes, quem asserunt ad montem myrrhæ perrexisse, cum semetipsum exinaniuit, & vsque ad crucis mortem deiecit: ad collem verò thuris iuisse, cum resurgens ad eam claritatem, gloriamq; rediret, quam habuit, antequam mundus fieret. Et tamen liquido constat, illam exinanitionem descensui ad illam vallem centro finitimam aptiùs, quàm conscensui in montem respondere:

con-

contra vero reditum ad gloriam conscensui montis excelli potiùs, quam collis consentire. Reddunt autem arcanam discriminis rationem, quia exinanitio illa tam fuit excelsa, vt cogitatione comprehẽdi nequiret. Redire verò ad claritatem suæ gloriæ, nec magnum, nec laborioſum ei fuit. Conscendit igitur montem arduum, cum noſtrorũ laborum toleratu difficillimorum particeps fuit. Collem verò mitem ſine labore vllo ſuauiſſimè aſcendit, cum ad naturalem ac familiarem ſibi ſurrexit immortalitatem. Non ergo ex corporata, & aſpectabili tãtum montis colliſque figura, ſed ex rerum, de quibus agitur, natura interpretatio potiſſimum petenda eſt.

Thuris arbuſculæ delineatio.

Hic verò notandum eſt, Thuris arbuſculam (nam de myrrha ſupra egimus) humilem eſſe, foliaque habere lentiſco ſimilia, in regioneque Sabæorum, quæ fœlicis Arabiæ pars eſt, potiſſimum prouenire. Quæ in-

cidi-

ciditur circa canis ortum, æstu flagrantissimo, in ea parte, qua maximè videtur esse prægnans, & tenuissimus tendi cortex. Ex ipsa verò incisione, seu plaga laxata prosilit spuma, quæ postmodum concrescit, & in sacrificium exuritur. Ex quibus satis patere potest, Orationis virtutem, ab anima diuini seminis conceptu prægnante, & charitate sauciata, dum amoris æstus flagrantissimus est, erumpere, & hunc esse illum syncerum thuris suffitum, qui sponsi delectat odoratum. Nunc verò postquam sponsus tantillum laudis texturam intersecuit, aiens, se sponsam crebrò velle inuisere, hinnuliq; more ad excelsam eius mentem se librare, ad sermonis textum reuertitur, ac dicit.

Tota pulchra es amica mea,
& macula non est in te.

Licet nonnullas lectores culpas admittas, eas tamen nolo cernere, nec enim id

meus in te patitur amor, ac proinde tota mihi pulchra videris, quidquid enim in te contemplor (cætera obliuioni tradens) honestum est. Ideò vero tu tota pulchra es, quia es amica mea. Et quia es amica mea, macula non est in te, quam quidem ego contempler, aut videam.

TOTAM pulchram sponsam appellat, non quia omnino careat culpa quapiam leuissima; sed quia amoris magnitudo non sinit eum culpam expendere; & totum ad pulchritudinem contemplandam conuertit. Quam quia solam speculatur (culpa prorsus obliuioni tradita) nihilque proinde cernit, quod pulchrum non sit, ex more ardentissimè amantium totam pulchram appellat. Hæc est illa sponsi philanthropia, quæ ita erga nos illum afficit, ac si oculis caprus esset, quantum ad culpas pœnitentium vel exprobrandas, vel in memoriam reuocandas attinet, & ad ea solùm contuenda, & amplificanda, quæ in

nobis

nobis honesta sunt, permouet. Quamobrem iure ab antiquis cæcus pingebatur amor, qui, cum flagrare cœpit, deformitatem à pulchritudine non internoscit. Verba modò trutinare opus erit, quæ, & energia, & suauitate plena sūt. Porrò postquàm enunciauit illa verba, Tota pulchra es. non constitit, non quieuit; sed originē exactæ illius pulchritudinis reserauit, aiens, Amica mea, quasi planiùs eloquutus esset. Ideo tota pulchra euasisti, quia effecta es amica mea. Enimuerò, vt egregius pictor perfectum exemplar sibi oblatum pennicillo expressurus, tūc imaginem perfeciſſe dicitur, cum lineamentorum & singularum partium, tametsi minimarum exemplaris similitudinem effinxit; sic sponsus in sponsæ anima sui ipsius partiū singularum reddit effigiem, quam in dies accuratè perpolit, donec sui exprimat exactam similitudinem, vniuersarum virtutum cōcinnitate

Amor cæcus depingitur.

conflatam. Vnde fit, vt, cum ipse sit pulchritudinis fons, imaginem ipsius sponsa reddens nequeat non esse pulchra. Priùs tamen diuina gratia, charitasque gratis infusa præcurrit, vt sponsa grata fiat & amica. Deinde charitas vniuersis virtutibus decorem formamque elegantem virtutis impertit, ex quo illarum concinnitas & proportio diuina existit, quæ est ipsa interna pulchritudo. Deniq;, quod attexuit sponsus, aiens, & macula non est in te, sic accipiẽdum est, & macula, quam quidem ego vel horream, vel contempler, non est in te. Quod quidem quam sit diuinæ bonitati germanũ, quæ parcit, nec improperat, per se planissimum est, valetq; plurimum ad amorem acuendum. Recensuit sponsus plures egregias sponsæ laudes. Mox vero vtitur exhortatione quadam ad sponsam acuendam, & in strenuitate prouehendam opportunissima, proposito fine labo-

rum

rum fœliciſſimo. Quemadmodum, cum quis athleta ſtrenuus fortiter agit in palæſtra, ſic ſolent ſpectatores hortari; Age, certa ſtrenuè, & ad coronam, victoriamq; feſtina. Propterea ſequitur.

Veni de libano, Sponſa mea.
Veni de libano. Veni.

Veni ſponſa, ter monita, hoc eſt, perfectè vocata, non quod cito è vita migraturaſis, ſed vt præ oculis habeas coronam, cui propinquas, & locum vnde vocaris, quæ eſt altitudo iuſtitiæ, eximiaque vitæ puritas, Libani celſitudine, perpetuoque niuis candore notata.

LIBANVS mons eſt in Syria editiſſimus, à vertice perpetua niue candente nomen aſſecutus, ab occaſu in ortum procurrens, Iſraeliſque regionem à Syria Damaſci diſterminans. Hic præterquam quod cedrorum, aromaticarumque arborum laude clariſſimus eſt, ipſa ta- Libanus mons Syriæ.

men vna altitudine, perpetuoque niuis candore, vnde nomen accepit, iustitiæ notat celsitudinem, eximiamq; vitę puritatem, in qua quotidie sponsa magis magisq; perficitur. Ex hac vero iustitiæ altitudine, vitæq; candore suis numeris absoluto, postquam cursum spiritalis vitæ confecerit, in cœlum migratura est, gloriæ corona donanda, sponsique aspectu fruitura. Proponitur ergo illi sub Libani metaphora, vitæ norma, quæ ab ea, donec vixerit, seruanda est, proponitur & fœlicitas, in quam ex ea vitæ perfectione sit conuolatura, non ita cito, sed cum viam percurrerit. Quæ profectò interpretatio, quàm sit idonea, ex Septuaginta interpretum versione sẽsum referante cõuincitur. Sic enim transtulere. Veni de Libano sponsa. Veni à Libano. Venies, & transibis à principio fidei. Nimirum, vt à fide transeat ad visionem, commonetur: nec confestim transitura nota-

tur,

tur, sed agone peracto, ideo quippe traduxerunt futuro tempore, Venies & transibis. Quod autem Libani translatione, non gloriæ celsitudo, sed vitæ, quæ sub fide, & ænigmate ducitur, perfectio significetur, ideo effectum est, quia Libanus fuit fons baptismatis, quod est sacramentum fidei. Ex eius quippe montis radicibus effluit Iordanis, cuius aqua in baptismum dedicata primum fuit, cum ei sponsus tactu suæ mundissimæ carnis, vim contulit regenerandi. Quæ sanè omnia Septuaginta illi senes intellexisse videntur, cum traduxere sensum, & reddidêre illa verba, A principio fidei. Quod autem ad ternarium vocationis numerum, (ter enim repetitur, Veni) spectat, satis arcanum est. Nouimus enim, numerus hic quàm fuerit, non orthodoxis modo, verum & ethnicis sacer, & augustus, præterquam quod versum est in prouerbium. Tria sunt omnia,

Ex radice Libani effluit Iordanis.

Ternarius numerus sacer.

Prouerb. Tria sunt omnia.

Est ergo ea repetitio exacta vocationis significatio. Quam quidem spōsa prosecutura est, trium virtutum Theologicarum gressibus; donec ad statam solius charitatis (fide ac spe cessantibus) æuo sempiterno mansura perueniat. Quia verò vocatur ad coronam, & omnino necesse est, præ oculis habeat id, vnde coronāda est, concinnè sponsus adiunxit.

Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, De cubilibus leonum, De montibus pardorum.

Coronam de persecutione recipies; dum in Libano viuens, montium, vbi feræ habitant, aduersos patieris incursus. Monti quippe amoris, persecutionum montes opponi decuit, vt tanta sit laboris, probationisque mensura, quanta est tui erga me amoris magnitudo.

Amana mons Ciliciam & Syriam diuidens.

AMANA mons est Ciliciam à Syris diuidens, qui & Amanus di-

citur

citur. Hermon mons ad Orientem terræ sanctæ, quam Sidonij Sarion, Amorrhæi Sanir vocabant, cuius pars Sion est, vnde interdum Sion appellatur. Quamobrem non esset abre, Sanir & Hermon eundem in hoc textu montem interpretari. Alij verò duos aiunt esse montes Hermonis nomine insignes, vnum non procul à Gelboa, iuxta Iordanem, alterum autem multo altiorem, supra Trachonitidem regionem. Alij denique sentiunt Sanir & Hermon duo esse vnius montis iuga, vel cacumina. Sed parum retulerit vnum, duos, vel duos montis vnius esse vertices. Quod enim ad enarrationem spectat, in his montibus esse leonem, pardorumque lustra communis fert interpretatio. Leones crudeles, immanesque significat, Pardi verò maculosa variegataq; pelle versutos homines, hoc nunc, illo postea colore, ac simulatione fucatos. Est autem scelestorũ

Hermon mons terræ sanctæ.

Leones crudeles homines Pardi versutos significant.

hominum ingenium, ad eos, quos cernunt ob iustitiæ magnitudinem, quam illi oderunt, magni fieri, insequendos, & extinguendos anxiè conari. Crudeles iustorum mansuetudinem, callidi synceritatem execrãtur. Cum ergo impij homines desæuiunt in Sanctos, ex eorum persecutionibus Sancti coronari propriè dicuntur. Ex horum igitur infectationibus, tolerantiæ merito singulari sponsa vocatur ad coronam. Quasi sponsus diceret. Exi sponsa, propera egredi ex commercio peccatorum, qui te tanquam leones & pardi immaniter laniant, quamdiu vitam inter eos degis. At inquirendum est, cur de capite, ac vertice istorum montium, qui sunt ferarum lustra, vocetur, & non de montium decliuio. Videtur autem in hoc mira diuinæ sapientiæ harmonia latere. Metitur quippe sponsus anxietates & infectationes sponsæ, iuxta diuinæ gratiæ, charitatisque mẽ-

suram

ſuram. Quapropter, quia ad Libani altitudinem, qua ingens eius charitas exprimitur, eam euexit, altitudinem aduerſorum montium, qui leonibus pardiſque ſcatent, ei oppoſuit, vt quàm excelſus eſt amor, tam dira ſit perſecutio. Et hæc eſt diuina menſura, quam ſubire debent vniuerſi, qui conſortes cupiunt fieri ſponſi, qui cum in Libani arcano vertice verſaretur, hoc eſt in ſumma iuſtitia, è qua vocatus eſt ad coronam, patriſque conſeſſum, infeſtos habuit montes aduerſos leonum ac pardorum, qui eum immaniſſimè peremerunt. Nihil eſt profecto (quod quidem ab homine in terris fiat) acceptius Deo, quàm laborum ex ſyncero amore perlatio. Quapropter ingenuè fatetur ſponſus, ſe à ſponſa mirificè vinciri, & ſauciari, dum ait.

Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa.

Sponsa mea, cor meum sauciasti, quia soror mea es effecta, postquam ego carnem assumpsi; ex quo tuum opus iure germanitatis nouo gratius mihi est; & quia in intimum cor penetrat vt sagitta; ideo dicitur vulnerare me.

Mos amãtium.

MOs est amantium, mira cum sensus energia, modo Monarchas, cõfestim fratres, nunc Reges, mox coniuges, ex amoris imperio se mutuò nuncupare. Sic cernimus sponsam hic sororem vocari, cum priùs amica, postque Regina, & principis filia appellanda sit. Hoc autem diuersorum nominum discrimen, ab amore excogitatum, valet plurimum ad effectus amoris varios exprimendos, modo teneros, modo fortes, vt patet ex varia nomenclatura illis accommodata. At præter hanc rationem, quæ satis apta est, noua subest ratio cur sponsus sponsam sororem nuncupârit, vt nempe assumptæ humanæ natu-

ræ notet sacramentum, propter quod non confunditur nos fratres, sororesque vocare. Ex hoc autem capite, videtur sponsa vulnerasse cor sponsi, quia soror eius est. Enimuero priusquam semen Abrahæ apprehenderet, non adeo propinquus nobis erat, ac proinde nostra opera non intuebatur, vt frater. Postquam autem carne obseptus est, iure germanitatis nouo, nostrum opus acceptat, quod quia vsque ad intima eius viscera, sagittæ instar penetrat, eleganter dicitur illum sauciare, seu vulnerare. Sed sponsus noua re seraturus arcana, quam facilè sponsæ amore saucietur proditur, ait.

Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.

Fide tua per dilectionem operante, velut sagitta quadam sauciasti me.

SI externa horum verborum expendatur significatio, mirificè conducit ad sponsi amorem, & spõ-

sæ ve-

sæ venustatem commendandam. Gerit enim se hic sponsus more hominum quampiam egregiæ formæ fœminam ardentissimè amantium, qui vel altero dumtaxat oculo, siue manu altera fœminæ illius se captos exclamant, hac ratione commonstrantes, quanta sit totius corporis elegantia, si vel vna eius pars coramantis vincire, ac permulcere potest. At nunc verba introspicientes, quis nam sit vnus hic oculus, indagemus. Exploratum est, oculum, cum ad interiora refertur, propria translatione notitiam præ se ferre; quapropter per quam idoneè significat virtutes, quas Philosophi intellectuales appellant. Verum quia hæ plures sunt, Scientia, Prudentia, Fides, vnam inter cæteras ad sauciandum acutissimam, & efficacissimam sponsus innuit esse, quæ illum vulnerârit. Hæc est fides, quæ per dilectionem operatur, quæ sponso placet eximiè, cuius præclaras laudes,

Oculus notitiam præ se fert.

Fides quæ per dilectionem operatur.

ex

ex rebus gestis priscorum patrum, Paulus ad Hebræos scribens, elegantissimè recensèt; ita vt huic virtuti, siue oculo arcano Abel hostiã, Abrahæ sacrificium, & cæterorum heroum actus egregios iure tribuat, adeo vt mirandum non sit, oculi huius pulchritudine captum esse Deũ. Etenim, vt cætera prætermittamus illustria exempla, oculi huius intuitu sè captum, satis apertè monstrauit Deus, cum per angelum, Abrahamum, qui fide gladium arripuerat, & vibrauerat ad Isaac cędendũ, interpellans, sic affatus est. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, qui fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli. Et alia promissa, quæ ibi contexũtur. Quid enim sibi vult ille tanta cum emphasi erumpens affectus in hęc verba. Quia fecisti hanc rem, nisi apertè prodere huius oculi venustatem?

Porrò

Porrò in eundem sensum sic enunciare potuisset. Per memetipsum iuraui, quia pulcherrimo fidei per dilectionem operantis oculo, in re hac filij immolandi difficillima, me intuitus es, nec caligasti, benedicam tibi, & amabo te, tanta vnius oculi tui captus venustate. Notandum verò fuerit accuratè, non fidem solam sed à charitate illustratam, esse hunc lynceum oculũ; nec enim alias tam eximiè sponso placuisset hic intuitus, vtpote nec tam syncerus, nec tam purus: quod ex ratione philosophica, & theologica liquet. Nimirum, quemadmodum voluntas amore terreno affecta vrget ac permouet intellectum, vt practicè iudicet, terrena cœlestibus esse anteponenda; sic è contrario, voluntas affecta charitate subuehit, & permouet intellectum, vt diuina præferat humanis, & velut humore noxio repurgatus, fidei oculo cœlestia suspiciat & imperet amplectenda.

Hæc

Hæc prima est loci huius idonea interpretatio. Succurrit verò altera nõ minùs opportuna.

Altera interpretatio.

Profectò inter dona Spiritus sancti, quædam sunt ad intellectum rectà spectantia, quibus oculi similitudo graphicè conuenit, cum quia ad intellectum pertinent, cuius tot sunt intuitus, quot ab eo existunt actus, tum quia spiritus Sancti, qui scrutatur etiam profunda Dei, dona sunt, quibus vniuersim quadrat oculi arcana translatio, sicut scriptũ est. Vidi agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terrã. Ex his ergo septem oculis, diuina vi conditis, ac illustratis, vnus est elegantissimè fabrefactus, & pulcher adeò, vt iure, suo intuitu, tanquam iaculo quodam vel sagitta cor sponsi sauciarit. Hæc est sapientia, vnum ex septem donis spiritus Sancti, quæ ita illustrat intellectum, vt inflam-

met etiam affectum, & secundum hanc (quod est theologorum oraculum) fit misso filij ad vniuersos diuinæ gratiæ consortes. Et sicut filius ipse, est verbum, non qualecumque sed spirans amorem; ita sapientia, qua filius ipse percipitur, non quæcumque notitia est, sed ea, quæ vi diuina impellit, ac incendit affectum. Hæc sapientia est, quæ de vniuersis per altissimam causam, quam contemplatur, iudicium fert, & in splẽdidissimum solem luminis immensi intentos semper oculos habet. De hac igitur sic sponsus effatur. Sauciasti cor meum (ô sponsa) in vno oculorum tuorum, ac si planiùs sic effaretur. Cum plures habeas oculos venustissimos (ô sponsa) & inter cæteros septem, quos spiritus Sanctus mirificè architectatus est vnius ex eo numero pulchritudine præsertim captus sum, qui cor meum velut sagitta traiecit. Hęc est sapientia, qua diuinitus perfusa es, cuius

intui-

intuitus est perspicacior aquilino visu, secumque fert voluntatis rectitudinem, qua nihil gratius cordi meo poterat offerre, quapropter totum me amore sauciat, & suaue dilectionis vulnus infligit. Sed in vlteriora tendamus, sequitur enim spõsus aiens.

Et in vno crine colli tui.

Obedientia tua, quæ est crinis, seu torques collum tuum ligans ad obtemperandum, sauciasti me, qui non egeo catenis seu vinculis ferreis ad te trahendam, vno enim ex crine suauissime, quo placet, ducor te.

HAec loquendi phrasi, non secus ac proxima, prodit sponsus se adeò impotenter amare, vt (quod in re minore maius videtur) vnius crinis vinculo teneatur. Enimuero vno mulceri oculo, non ita magnum censeri posset, in oculo enim lucet magna pulchritudinis pars; at vno crine teneri, atque vinciri, mirũ est, cũ in eo nihil videatur

splendere, & extra corpus sit a natura pulsus, tanquam ad pulchritudinem minimè necessarius. Ineſt autem magna in verbis energia; qua sponsus ea translatione declarat, se non egere catenis, aut funibus, vt ad sponsæ pertrahatur amplexus, sed vnius capilli, vel crinis laqueo, se non trahi, sed duci. Porrò cum quis rem quippiam ardentissimè optat, vulgò dicitur, violentia non egere, sed filo tenuissimo ad eam rē posse perduci. Quod emphasim habet maximam, cùm is aliàs vir fortis, ac magnanimus est. Ex hac ergò externa loquendi formula mirificè augetur diuini amoris laus. Fortissimus quippe Deus, cuius terror priscorum olim patrum animos peruaserat, quiq; è tribu Iuda inter homines nasci, ac leonis ex ea tribu insignia seligere voluit, in agni mansuetissimi morem crine vno ligari, propter nimiam erga nos charitatem dignatus est. Quis autem sit iste

crinis

crinis, nunc cogitandum est. Sanè si crinis spectetur naturà, inter capillos censeri debet; at quia non crinis capitis, sed colli distortè dictus est, eius propterea interpretatio à loco, vnde oritur, est eruenda. Porrò crinis in collo idem est, ac lorum, seu laqueus, seu etiam habenæ, vnde quis trahitur. Idemque præstat crinis spōsæ, quæ à Deo trahitur, quod vincula, seu funes, seu etiam catenæ animalibus, quæ ab hominibus trahuntur. At quia homines minimè norunt affectum impellere seu excitare, sed vim extrinsecus inferre, ferrea injiciunt vincula ijs, quorum opera, vel ministerio vti volunt. Deus autem, qui voluntatem condidit, & in eam illabitur, non infert vim, nec eiusmodi vinculis vtitur, sed vel tenuissimo filo, & hic mos Deo familiaris est. Sic angelico ministerio ex vno crine Abachuc ex Iudæa vexit in Babyloniam; sic ex vno crine sponsam modo, se, quò

vult, ducere hac loquendi ratione eleganter innuit. Crines autem plures sponsam habere clarè perspicimus, nec enim inter omnes vnus seligi potuisset, ni plures essent. Vniuersæ quippe virtutes eæ, quæ animam premunt & astringunt, vt in officio permaneat, metaphoricè crines collum (quæ iugi sedes est) vincientes appellantur, quales sunt humilitas, timor Dei, obedientia. Et hæc vltima est iste laudatissimus crinis, quo ligatur collum sponsæ ad amussim sponso obtemperantis, legisque iugum libentissimè ferentis. Hanc virtutem velut crinem quendam sponsus capit, & sponsam, quò libet, facillimè ducit. Hoc est arcanum colli vinculum, quod non ad inferendam vim, sed ad ornatum à sponso comparatum est. Quod apertè liquet ex Hebraico textu, in quo, pro crine, habetur torques, quod est colli ornamentum. Habet autem hoc proprium eiusmodi or-

Crinis hoc loco obedientiam significat.

namen-

ornamenta colli, vt simul etiam vinciant, dum exornant, sint ornamenta, & vincula. A capite auspicatus sponsus, per collum descendit in vbera, de quibus attexit.

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ Soror mea Sponsa. Pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguẽtorum tuorum super omnia aromata.

PAVLO ante, vbera laudârat, quid ergo repetitio hæc sibi vult? Certè minimè mirandum est, cùm enim vberibus notetur amor, in quo potissima pulchritudinis internæ ratio inest, æquum profectò est, vbi de venustate agitur, amoris sæpius meminisse. Verba autem hæc omnia in superioribus exactè explanata sunt. Sub initium quippè primi capitis, quid vbera arcanè significarent, quid sibi vellet ea vberum cum vino comparatio, quid innuerent vnguenta, fusè interpretati sumus.

Vbera denotant amorem.

Personarum dumtàxat discriminãda ratio est, ibi enim de sponso, hic vero de sponsa sermo fit. Notandũ vero fuerit, hanc vberum sponsæ laudem repetitam, insigne diuini amoris incrementum exprimere, quod adumbratur tumore illo maiore, quo vbera turgent, cum lacte pleniora sunt, & ad partum alendum dilatantur. Nunc autem ad labia sponsus redit, nec enim Rhetorum obseruat ordinem, sed amoris declarat impetum, quo dum humanus inuertitur ordo, diuina se concinnitas luculentiùs prodit. Et hoc præ oculis habendum est in hoc dramate, ne id repetere identidem opus sit.

Amoris impetus declaratur.

Fauus distillans labia tua, Sponsa.

Sermo tuus labiis figurate notatus fauum stillantem imitatur: ipse enim quedum est instillatio mellis, quod tu, o sponsa, vt cella faui cerea conseruas, dum me, qui

mel

mel arcane ob dulcorem appellor, mentis receptaculo condis: indeq; dum eloqueris effundis.

SI faui contemplemur artificium, nihil esse aliud, quam mel in cera comperiemus. Illæ quippe cellæ (vt in ludi latrunculorum tabula perspicimus) quadam structura miranda discretæ melle imbuuntur, & tũc perfectè absoluitur faui compositio. Sponsus autem, propter eximiũ dulcorem, & quasi mellis, quo nos afficit, saporem, melle ipso, ceu aperto signo exprimitur. Ipse quippe sponsus est æterni Patris sapientia, quæ de semetipsa sic effatur, spiritus meus super mel dulcis. efflat enim sponsus halitum vere mellinũ, ac omninò ijs, qui eum hauriunt, dulcem. Sponsæ verò, ceræ quadrat similitudo huic loco graphicè appicta cum ob teneram ceræ constitutionem, cui sigilli character facilè imprimitur, sicut & sponsæ ipsius

Quis sit sponsus.

animæ, sponsi imprimitur figura, non illata vi, sed eximia suauitate ac facilitate; tum ob cellarum faui ex cera compositarum similitudinem, sponsus nimirum eam construxit ad effigiem cellæ, qua ipse conderetur, ac seruaretur. Cernimus igitur fauum esse structuram quandam sponso, sponsaque constantem, sponsus mel est, sponsa ceræ cella. Quamdiu autem sponsa silet, sponsique seorsum dulcore fruitur, cella mel continet, ac seruat; at cùm ex mellis abundantia loquitur, tunc mel distillare elegantissimè dicitur. Oportet vero cellam prius expleri, vt eructet, & euergat mellis riuum; quemadmodum prædicatores sancti facilè declarârunt, qui studio incredibili diuinæ sapientiæ melle prius oppleri curarunt, quam è labijs mel distillarent, hoc est, quam sponsum corde suo, tanquam ceræ tenerrimæ cella conceptum, alijs prædicarent. Ex hoc profecto capi-

Sponsus mel, Sponsa ceræ cella.

te com-

te commendari debet sapiens, qui prius sapientiam congregauit, quã vomeret, cum quo rectè dicitur habitasse Deus, sicut scriptũ est. prou. 30. Verba congregantis filij, vomẽtis. Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait, &c Prius nimirum congregauit mel, secumque morantem Deum seruauit, vt cella faui continet ac seruat mel; postmodumque cœpit eloqui, ac riuũ mellis effundere. Sic ergo sponsus effatur. Sermo tuus labijs figuratè signatus, fauum stillantẽ imitatur, ipse quippe sermo, quædam est mellis sapiẽtiæ corde conceptæ instillatio.

Hæc prima est interpretatio satis arcana, quæ graphicè prodit, quonam pacto fauus vnus ex sponso, sponsaque confletur. Altera verò subit interpretatio, quæ externa labia, totumq; oris clausträ, tanquam faui cellã contemplatur, quod, quãdiu spiritus non impellit ad loquen-

dum,

dum, continet mel eloquiorum sponsi, quæ faucibus diuini vatis erant dulciora melle ac fauo; at cùm spiritus vrget, & exundat sponsi doctrina, tunc verè labia sponsæ mel instillare dicuntur, ex quibus conceptæ sapientiæ melle dulcior fluit oratio. Nunc vero mellis & lactis sacramentum vestimentorumque fragrantiam percipiamus. Dicit enim sponsus.

Mel & lac sub lingua tua; & Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

Mel & lac, hoc est dulcis suauisq; consolationis diuinitus tibi collatæ arcanum, non temerè prodis nec te iactas, sed celas & quasi lingua contegis.

HIc se insinuat externa verborũ concertatio. Proximè quippe assertum est, sponsam instillare ex ore mel, quod tunc præsertim contingere videtur, cum os vix conclu-

dere

dere valet mellis ad palatum vsque pertinentis copiam. Si ergo mel os implet, qui fieri potest, vt lateat sub lingua? Verum hæc mira est sapientiæ diuinæ harmonia, vt quantacũque sit in ore sponsæ mellis vbertas, lateat nihilominus sub lingua. Quod est egregium linguæ sponsæ encomium. Quapropter, quid sibi velit hæc linguæ contectio, aperiẽdum est, mox lactis, ac mellis discrimen trutinandum. Porrò ideo spõsus lac & mel sub lingua sponsæ latere ait, vt notet sermonis parcitatem, tunc præsertim, cum diuinis solatijs anima perfunditur, & velut alternis poculis mellis ac lactis recreatur. Cernere quippe licet nonnullos vitam spiritalem mentientes, adeò leues, & parum diuini solatij capaces, vt si tantillum mellis à Deo hauserint, id semper in lingua ferãt, & passim effutiant. Quod quidem ingenium leuissimum, & modicum illud mel imprudenter effundit, &

Linguæ sponsæ encomium.

Silentii laus.

ad vlteriora bona fit prorsus ineptum. Prudens autem sponsa silet, nec temerè se iactat, vixque, cum loquendum est, diuinam dignationẽ euulgat. Vbi discrimen quoddam inter sponsam, & leues animos licet dispicere, minimè obruendum silentio. Illi nimirum oris custodia, linguæq; præsertim claustro egent, vt sermonem coërceant; sponsa verò, adeo prudens, & in sermone parca est, vt lingua ipsius diuinorum arcanorum effecta sit custos. Hæc prima loci est interpretatio.

Secunda explanatio

Secunda explanatio huic satis affinis est, Ideò mel & lac sub lingua sponsæ recondi; ne simul effundat vtrumque, si linguæ innatet, nec claustro sepiatur; sed præuia meditatione, cunctetur, & ab eo quasi cellario vel mel promat, vel lac, prout tulerit opportunitas, lac quidem tenellis & adhuc in virtutis infantia versantibus; mel verò grandioribus. Quod enim lac, lenis doctrinæ, &

indul-

indulgentioris eruditionis, quę paruulorum ingenio consentanea est, expressio quædam, sit, ex ipsa lactis natura, & eorum, qui lac exugunt, patere potest. Quod verò mel cibus grandiorũ sit, solidioremq; doctrinã & eruditionem adumbret, ex mellis patet vi, quæ nõ facile excoquitur, quam modicè libare oportet, ne noceat ob caloris excessum. Quod apertum perfecti alimenti signum est, vtpotè, quod exigua quantitate gustatum, & excalefacit, & alit. Sic sapientia monuit, cum ita effata est. Prou. 25. sicut qui mel multum cõedit, nõ est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Vbi non improbat mel doctrinæ ac contemplationis, sed excessum. Quo sanè discrimine disertè monstrat, doctrinam, diuinorumque notitiam, modicè conceptam, mentem rectè instituere, ac fulcire posse, ob diuinam nutriendæ animæ vim, qua pollet, ac proinde

intel-

intellectum hominis imbecillem debere sibi temperare, & ad sobrietatem sapere, ne, dum plura nosse satagit, quàm expediat, ipso cibo, quo, si sobriè vteretur, esset alendus, intereat. Hanc ergo sapientiam melle notatam, cum ea eruditione, quæ exilior est, ac ætati teneriori consentanea, non in summitate linguæ vel super linguã sponsa fert, ne facilè promatur, velut triuialis, & peruia, omnibusque sine discrimine credenda; verùm celat illam, & obseruato tempore promit. Seorsumq; eam grandioribns, sicut & seorsum lac recentioribus fœtibus propinat. Hæc secunda est loci explanatio.

Tertia interpretatio.

Tertiam apponimus his minimè posthabẽdam. Profecto anima charitate flagrans, qualem sponsam esse omnino credendum est, incredibili voluptate, ac suauitate optat omnes afficere; peccatoresque ad legis diuinæ obseruationem, non austeris increpationibus ex anfractu re-

Actus virtutum, externi, quibus ceu vestimentis indueris, exhalant odorem quẽdam Diuinitatis, cui thus immolatur.

GERIT se sponsus humanissimus amantium more ergà sponsam, vt (quod crebrò nos experimur) non internam sponsæ venustatem dumtaxat impotenter amet, verumetiam, & quidquid ad sponsam quoquopacto attinere norit, eo ipso amet ardentissimè: Quemadmodum quotidie cernimus, amantes tanti facere, vel pallium, vel chirothecã eius, quam impensè amant, vt frequentissimè dictitare soleant, ea sibi pignora & iucundissima esse, & eorum visu, vel olfactu se mirificè recreari. Vestimenta verò arcano sermone, sunt virtutis opera, sicut scriptum est. Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum

Mos amãtium.

Vestimẽta sunt virtutis opera.

Apoc. 19.

Iob.29. Et Iob air. Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento. Et quidem virtutis opera id præstant animo, quod vestimentum corpori, dum illum à culpæ hyemali frigore tuetur, & nuditatem, quam ob culpam incurrit homo, de qua meritò Adam erubuit, protegunt. At meminisse opus est, ante sponsum odorem vnguentorum sponsæ laudasse, quę quidem laus spectabat ad interna; vnguenta quippe non vestibus, sed corpori illinimus, quæ poros permeant, & interiora reficiunt. Nunc vero vestimentorum laudem attexit, quibus propria translatione externa virtutis opera notantur. Huiusmodi autem opera odorem thuris exhalare dicuntur, hoc est odorem Diuinitatis. Compertum est scilicet, thus, quod in attestationem Diuinitatis in aris exuritur, quodque Magi, ad ipsius Diuinitatis in carne latentis magnitudinem propalandam, sponso recens nato

Matt.2.

obtu-

ducere, sed dulcissimis persuasionibus ad militarem viam cupit reuocare. Ac propterea, si votis amoris responsura esset, omnibus blandiretur, suauissimoque hortatu permulceret vniuersos. At, cum homines nefarij dorsum legi obuertunt, & obdurescunt, necesse est omninò, eos acriter carpere, & natiuam charitatis dulcedinem tantillum celare. Propterea mel & lac suauioris, ac blandioris sermonis, non supra linguam, sed sub illa reponitur, vt austeriora verba lingua sponsæ, deposito tunc dulcore, possit expromere, acriterque (vt oportet) scelere infectos ad salutem corripere. At expendendum est, mel & lac non deglutiri, non in ventriculum traijci, vnde non, nisi violenta corporis contorsione, possit euomi, sed lingua contegi, vt austeræ correptioni proxima sit dulcedo; quin & ipsi increpationi dulcor, linguæ motu, permisceatur. Et quidem experimẽ-

to quotidiano compertum est, huiusmodi correptiones, non prorsus austeras (minùs enim charitas, quam ficus natiuam dulcedinem deserere potest) hominum etiam rebellium feritatem lenire, & ad virtutis pulchritudinem amandam permouere. Sic Paulus hortabatur. Vt, siquis erraſſet, corriperetur, sicut scriptum est: & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, ac si planius diceret: ne, obsecro, mel & lac deglutiatis, cum errantem correpturi estis; satis est, si sub lingua condatur dulcis charitatis sermo, vt dum ad correptionem lingua cietur, ipso motu nonnihil dulcoris sermoni admisceat austero, & spiritus ad carpendum armatus, fiat spiritus lenitatis. Sed iam odorem vestimentorum percipiamus.

Galat. 6.

Odor vestimentorum tuorum
sicut odor thuris.

Actus

ad recreandum animum comparatos, & multa nauitate cultos, areis artificiosè discretis, non feris plantarijs, sed mitibus, & ad voluptatem accommodatis, vnde flores ipsi præcerpunt. Nec maiestate regia indignum censent, eum hortum egregiè coli curare, de illo crebrò cogitare, ac loqui. Nullo præterea pretio, vel prece flores inde legi, exteriusque abduci patiuntur, nec verò sinunt attrectari, ne langueant, eorumque pulchritudo marcescat. Propterea septum tutoque clausum esse curāt, ne quis in eum audacter irrumpat. Hæc est tabula quædam, vbi sponsæ lucet imago. Postquam sponsam noua iustitiæ palingenesia sponsus sibi reconciliauit, tanquam hortum amœnitatis ergo comparatum in prospectu eam semper habuit, cuius & ipse fuit cultor, & custos. Areas in ea discreuit, hanc lilijs castitatis, illam purpureis passionum rosis, alias alijs mysticis

Hortorum delineatio.

floribus destinauit. Non est passus feras ibi plantas seri, immites quippe, & agrestes mores inde arcuit; nec enim hortis, sed saltubus ij mores opportuni erant. Per huius horti semitas deambulare ad percipiẽdum odorem florum, floresque interdum carpendos, hoc est virtutum actus ex habitibus, velut ex plantis erumpentes acceptandos, solitus est. De horti huius cultura crebrò & cogitat, & cultores administros alloquitur. Non flectitur vlla prece, vel pretio, vt flores eos quis extraneus vel auferet, vel attrectet, hostis quippe Tartarei, qui florum plantaria succidere, vel saltem floribus actuum languorem, ac remissionem, velut quadam manus attrectatione conatur inferre, vires eneruat, ne horti intereat pulchritudo. Propter hoc hortum sepsit, & vndique conclusit angelorum Doctorumque custodijs, sicut scriptum est, Montes, hoc est angeli, excelsiq;

viri

obtulerunt, diuinum quiddam significare, cum sermone vsurpatur arcano. Iustorum ergò actus, virtutum externi thuris, hoc est diuinitatis odorem spirare asseruntur, quia diuinum quiddam prę se ferũt, maiestatis & magnitudinis plenum. Enimuerò videre licet nonnullos homines genere clarissimos, incessu aspectu, sermone, ita esse natura affectos, vt semper etiam inopini maiestatem quandam præferant, neq illam studio etiam adhibito occulere possint. Si profecto ij, qui nouo gratiæ diuinæ iure genus à Deo ducunt, excelsam eam Maiestatem, quam secum ferunt, celare minimè possunt. Hinc existit, vt incessu sint graues, sermone parci, ac sedato corporis motu quieti, aspectuque modesti, vniuersa quæ cernunt terrena cõtemnentes, & velut excelso quodam ex loco despicientes. Ex hac autem externa, & ad diuinum ingenium expensa actuum motuumque

compositione, odor verè diuinus effunditur, quem qui percipit, Deum ibi esse certò sibi persuadet. Rectè igitur sponsus ait: odor externorum virtutis actuum tuorum, ô sponsa, est persimilis odori thuris. Post hæc, sponsus ostensurus, quàm sit sponsa virtutibus culta, & ad ipsius voluptatem comparata, declarans simul, quibus eam ipse custodijs tueatur, pulchra quadam vtitur translatione, dicens.

Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, hortus conclusus.

Hortus es (o sponsa) distinctarum virtutum plantis, & areis discretus, & à me ipso cultus. Bis autem obseptus, seu conclusus es. Montes angelorum & Doctorum te ambiunt, & ego tutelaris ac horti Dominus, vt murus sum in circuitu tuo.

SOLENT principes è regione domorum hortos habere cõtiguos,

ad

Fons signatus.

Bibisti aquam diuinæ gratiæ, ac vitæ, quam ego tibi dedi, & effecta es fons aquæ salientis in vitam æternam, in quam gratia vi sua conscendit. Et ne aqua ista surriperetur, aut inficeretur, obsignauit te meipso, velut sigillo regio.

Fons salubris quomodo coli debeat.

CVM fons aliquis puram & salubrem euergit aquam, mos est principibus, eum sæpiri facere, ne animalibus pateat, ne alluuionibus obturbetur, cœnoùe obruatur. Quin & interdum cellam quampiã circumstruunt, & obserant, ne salutaris aqua libidini transeuntium sit exposita, sed vni Regi seruata, vt cum hauriendasit, pura, crystalloque similis inueniatur, Regique sine rubore propinari possit. Talem omnino fontem esse sponsam ipsam, minimè dubitandum est. Porrò sponsam esse fontem, non qualemcumque sed aquæ puræ, dulcis, ac salutaris salientis in vitam

æter-

æternam, liquet prorsus, quia toto pectore hausit aquam, de qua sic sponsus Samaritanam alloquutus
Ioan. 4. est: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: liquet prorsus, quia aqua hæc diuina gratia, & noua in sponso vita est, quæ sicut ab æterno Deo ad animam delabitur, tantùm ascẽsura, quantum descenderat, ita resilit in altum, & ad æternum ipsum Deum quasi circulum peragens reuertitur. Diuinæ naturæ participatio est, ad diuinã opus est eam redire naturam, vt illi hæreat æuo sempiterno. Si verò in altum erumpit, satis aptè significatur ijs fõtibus, quos diximus in principum hortis solere construi, è quorum medio siphone aqua prorumpit in sublime. Et ex ijs constare potest, sponsam iure fontem nuncupari. Obsignauit autem hunc fontem horti plantas alentẽ sponsus semetipso, ceu sigillo regio, quod qui conspexerit, aquam vel

pri-

viri populorum ceu vallium præsides, in circuitu eius, hoc est, sponsæ. At enim, non propter hanc custodiam dicitur potissimum hortus cõclusus, sed propter clausstrum sponsi vallantis, & ambientis sponsam, sicut scriptum est, & Dominus in circuitu populi sui. (Hic murus aheneus esto) Non satisfaceret amori, quo in sponsam flagrat, si tutelam alijs commisisset, & ipse non esset tutelæ princeps. Porrò morem antiquorum fuisse, in hortis Deorum statuas, puta Priapi, vel aliorum obscœna simulacra collocare, vt essent eorum locorum tutelares. At hoc turpitudine plenum erat; fuisset autem honestum, si verum Deum agnouissent, & imaginem sponsi ibi locassent, per hoc ipsum profitentes, hortorum decorem ipsi acceptum esse ferendum, sicut scriptum est, Pulchritudo agri mecum est. Sublata igitur turpitudine, id quod in eo genere honestum est, proba-

turus sponsus, non statuam, vel simulacrum suum horto præponit; sed ipsemet, qui horti pulchritudinem condidit, horto præsentissimus adest verus tutelaris, & in sponsæ circuitu murus, propter quem arcanus hic hortus potissimum appellatur conclusus: vnde patet, cur bis appelletur hortus conclusus; propter duas nimirum explicatas sponsæ custodias. Verum etsi hortus esset fœliciſſimus, muroque excelso conclusus, nisi fons erumperet, cuius aqua plantæ alerentur, & crescerent, omnis ea horti pulchritudo breui periret. Passim profectò cernimus in Regum viridarijs opere topiario mirificè elaboratis, fontes constrvi marmoreos, vel ex iaspide politos, ex quorum medio siphone aqua erumpit in altum, quod & ad vtilitatem conducit, & ornamentum. Propterea in horto sponsi fons deesse non potuit; vnde sequitur.

Fons

vero sapor, cum maturuerunt, dulcis, ac iucundus est, tot arcibus custoditus. Hac ergo nota hieroglyphica sponsus prodidit furem dæmonem sponsæ virtutem inuadentem, mira dexteritate ab ea repelli, sub imagine furis, qui cum porrigit manum ad mala punica surripienda, pungitur, & cum dentibus apprehendit, saporis austeritate afficitur. Quod verò attinet ad verborum interpretationem, sic habendum est, depingi hoc in loco ab sponso paradisum quemdam, simillimum ei, quem in oriente condidit, vt ex ijs, quæ dicta sunt, partim patere potest, & ex statim dicendis partim liquebit. Dictum est de horti, seu paradisi cultu, de fonte, de custodia, nunc plantas sponsus incipit recensere, Meminisse autem oportet, fructus paradisi, ex arboribus pendentes, ac maturos fuisse creatos, quæ opinio communior Rab. Hæbreorum est. Decuit

Fructus paradisi maturos creauit Deus.

enim arbores in statu perfecto condi, sicut homo ea ætate conditus est, qua generare posset, ac proinde folia & fructus maturi ex arboribus pendentes creari debuerunt, mense septembri; præterquam quod verbis sacri textus opinio hæc congruëtior est. Quomodo enim tunc esset illud pomum, quod carpsit Eua, visu pulchrum, & ad vescendum suaue, si tempus maturi fructus non esset? Vel enim dici deberet, à creatione Adæ, totiusq; mundi, qui iuxta sententiam alteram Martio mense conditus est, interfluxisse sex circiter menses, vt pomum illud ex flore ad maturitatem vsque pertingeret; vel supra ordinem naturæ maturum conditum fuisse, ante tempus opportunum. Hoc autem secundum, cum sit prodigiosum, absque necessitate admittendum non est; primum verò planè incredibile videtur; nec enim tanto tempore ante lapsum Adam & Eua in para-

dyso

primoribus labijs deguſtare non audebit. Nimirum ne obſcœni & animales motus, vel hoſtes fontem obſidentes diuinæ gratiæ aquam vel ſurriperent, vel culparum cœno obruerent, ſemetipſum cordi ſponſæ tanquam ſignaculum impreſſit, de quo poſtmodum ſponſam monitus eſt, poſcens vt in brachio & corde impreſſori Deo miniſtrans, id ſignaculum ponat. Hoc clauſtrum, hoc ſigillum adeò ad diuinæ gratiæ tutelam opportunum eſt, vt ne voto quidem aliud opportunius ſponſa potuiſſet optare. Quod verò aqua fontis huius longè ſaluberrima ſoli ſponſo, eiuſque proinde plantarijs in horto arcano ſatis ſuo iure ſeruetur, patet ex ſubiuncta horti fertilitate.

Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

Productiones actuum charitatis tuæ, ſimiles ſunt malus punicis paradyſi. quæ de-

hiſcunt

hi sunt, vbi maturuerint, & grana rubentia ostendunt. Sic actus illi flagrantia, & ignita tua in me viscera ostendant. Hi sunt primi fructus, quibus ego iure culturæ vescor.

MIRA est in sermone concinnitas. Cum enim sponsus hortum conclusisset, ac horti fontem obsignasset, tutelamque sponsæ suscepisset, vt notaret, eam (etsi cernat se à sponso propugnari) nihilo segniorem ex hoc fieri, sed armari ad diuinæ gratiæ hostes, & fures arcendos, & simul cum sponso seipsam custodiendam, de malis punicis horti primum loquitur, de alijs mox plantis loquuturus. Porrò malum punicam arborem, eiusque fructum ita natura armauit, vt arbor ramis spinosis rigeat, vixque attingi sine læsione queat, fructus autem amaro cortice obseptus est, qui est gustui ingratissimus; mox ipsa grana mali amara quadam sepiuntur intercurrente membrana; granorum

Natura malum punicam arborem spinis armauit.

verò

diſo manſerunt, vt ex Doctorum patet opinionibus. Aliqui 40. dies, quot Chriſtus ieiunauit, conijciunt; Toſtatus poſtero die quam creati ſunt, eiectos fuiſſe putat; Alij 8. dies; Alij vnum coniectantur; ac ita breui tempore in paradiſo verſati ſunt, cum vix paucos vt plurimum dies, ex communi ſententia, eam vitam fœlicem, quæ loco illi debebatur, duxerint. Iam verò, ſi fructus maturi erant, mala punica dirupto cortice, ſeu corio, diducta patebant, & rubentia grana velut viſcera quædam ignita oſtendebant. Ex his ergo malis punicis, maturis ſcilicet, ac patentibus, qualia in paradiſo condita ſunt, auſpicari debuit ſponſus arcanas fructuum ad virtutes allatas ſimilitudines, aiens: Emiſſiones fructuum, hoc eſt, productiones actuum virtutis, vnius præſertim charitatis erga me tuæ (ô ſponſa) ſunt velut hortus, ſeu paradiſus malorum punicorum: ſicut enim mala

Quamdiu Adam & Eua manſerint in paradiſo.

punica matura dehiſcunt, & grana rubentia exhibent, ſic actus adultæ ac maturæ tuæ in me charitatis dirumpuntur vltrò, ac tua viſcera rubentia, diuinoq; amore flagrantia produnt. Nihil ſanè pro ſepto horti, fontiſq; ſigillo, & pro cultura, ſponſo cultori potuit ſponſa gratius rependere, quam iſthæc mala punica, quibus ille veſceretur. Quapropter, cum in duas velut claſſes paradiſi fructus diſtribuiſſet ſponſus, non ſine arcano ſenſu, in altera claſſe, mala tantum punica repoſuit; in altera verò non adeò myſtica vniuerſim loquens, cæterarum arborum fructus conſtituit, quibus virtutum reliquarum actus, qui ex vno ſtipite charitatis, & diſtinctis virtutum ramis erumpunt, exprimuntur. Nunc verò plura arbuſcularum aromaticarum genera commemorat ad ſenſus arcanos accommodata.

Cypri cum nardo.

In hoc horto ſponſus caphura notatus,

cum

cum sponsæ charitate, quam nardus exprimit, inter cæteras plantas numeratur.

QVIS nam sit verus sensus, quem hæc verba cum sequentibus aromatum nominibus significant, eius solius fuerit apertè scire (vt ait Gregorius Nyssenus) qui, iuxtà diuum Paulum, spiritu scit loqui diuina mysteria. Multiplex certè harum plantarum proprietas plurimos suggerit arcanos sensus, quamobrem innumeras hæc verba interpretandi rationes, authores inierunt, in quo nullo possunt iure reprehendi; propter inexhaustam sensuum fœcunditatem. Porrò in his periodis paradisi nomen semper repetendum est, vt constet ordo verborum. Est igitur sponsa paradisus, in quo sunt Cypri cum nardo. Cypri hoc loco numeri pluralis est nomẽ. Cypri, quæ est Caphura, & nardi significationẽ supra fusè exposuimus. Expedit autẽ meminisse

Cypri simi litudine spōs⁹; nardi translatione charitas exprimitur.

Cypri, seu caphuræ similitudine sponsum; nardi verò translatione charitatem eleganter exprimi, ob caphuræ flagrantis in aqua, & nardi miram calefaciendi vim habentis proprietatem, à nobis supra fuisse animaduersum. Nunc autem reliquum est, quid innuat illa Cypri cũ nardo coniunctio, patefacere. Sanè mala punica cum pomorum fructibus proximè spiritus Sanctus coniunxit, nunc vero Cyprum nardo conciliat. Et qui dem cæteri pomorum fructus, præter punicum, hoc est cæterarum virtutum actus, præter charitatem, siue absque consortio charitatis, ad paradisum sponsi minimè pertinent, nec in via quidem, nec in patria. Exploratum est quippe, cæterarum virtutum actus, quantumuis egregios ad cœlestem paradisum non admitti, sine charitatis consortio. Quæ pulcherrimè à Theologis luci, sicut & cæteræ virtutes coloribus, comparatur. Quémadmo-

admodum enim colores in tenebris latent, nec oculos suo decore, vel delectare, vel mouere possunt, ac proinde putantur, quasi non essent, quamdiu luce non illustrantur; ita profectò cæterarum virtutum actus, quamdiu nox est, ob charitatis absentiam, quasi non essent, putantur, quantum ad æternitatem, ac sponsi attinet paradisum. Exorta verò ea luce, noua pulchritudo actibus illis inducitur: vnde meritò charitas vniuersarum virtutũ forma in scholis appellatur, cuius decore actus reliqui ad paradisum sponsi prodesse incipiunt. Sicut ergo, propter hanc rationem, cæteri pomorum fructus malis punicis adiunguntur, ita nardus apponitur Cypro; hoc est, eadẽ charitas nardo, sicut & punico notata, sponso, qui arcanè Cyprus nũcupatur, adhęret. Etsi enim strictior sit inter sponsum & charitatẽ, quàm inter hanc reliquasque virtutes cõnexio; similitudo tamen non parua

Charitas vniuersarũ virtutũ forma appellatur.

est; nam quemadmodum cæteræ virtutes à charitate, sic & charitas à sponso recipit decorem, & eam, quæ à Theologis forma nuncupatur; immò & recipit formam internam, cum ab ea cæteræ virtutes externam dumtaxat accipiant; vt ex hoc liqueat, quanto potiore iure Cyprus cum nardo, quàm mala punica cum pomorum fructibus coniungi debuerint. Hactenus vænati sumus causam coniunctionis horũ aromatum. Modò verò, quod ad interpretationem attinet, tunc Cyprus, seu caphura cum nardo coniungitur; quando nardus liquefit, ac velut resoluitur in sponsi complexu. Cuius certè rei significationem prętulit vnguentum ex hac herba confectum, quod Magdalena super spõsi caput effudit. Expressit enim actu illo, quod intus agebatur, nec potuisset signum, ad propalandum affectum, accõmodatius excogitare. Profectò, dum nardo caput corpo-

Nardus Magdalenæ.

ratum

ratum sponsi obliniebat, charitate ardentissima nardo notata, sponsum ipsum, qui caput Magdalenæ, vt cæterarum sponsarum erat, amplectebatur, & mystica vnctione permulcebat. Per similem actum excedere hoc in loco sponsa existimanda est, vt verè caphuræ, seu cypri cum nardo paradisus esse dicitur. At de nardo nondum absolutus est sermo. sequitur enim.

Nardus, & crocus, & fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani.

Est in hoc paradiso, nardi charitas, croci humilitas, fistulæ oratio, seu mentis in Deum eleuatio, cinnamomi amor, & denique vniuersæ virtutes in Christo fixæ, vniuersis lignis Libani notatæ.

ECCE quo pacto nardus charitatem indicans repetitur, vt virtutibus, quæ per aromata sequentia monstrantur, præesse notetur.

Croci verò vires exploremus, quæ

Croci vires.

arcanis sensibus opportunissimæ sunt. Sanè, vt cæteras croci vires prętereamus, duo sunt notanda maximè, quæ sunt ex probatis authoribus excerpta. Primùm quidem, herba hæc, dum calcatur, lætior fit, ac fœliciùs prouenit. Deinde crocus contra ebrietatem remedium est.

Crocus ebrietati resistit.

Qui enim crocum prius biberint, crapulam non sentiunt. Ebrietati quippè resistit. Quin etiam (vt nonnulli tradunt) coronæ ex eo factæ sedant ebrietatem. Hæc est expressa quædam humilitatis imago, quæ dum despicitur, & calcatur, medullitùs gaudet, ipsoque despectu fœliciùs crescit.

Imago humilitatis.

Qui, priusquam vocentur ad honores, potum humilitatis hauserint, non sentiunt elationem animi, quæ more vini caput infestat, & inebriat, quod suo damno expertus est Lucifer, cuius caput huius vini perturbauit fumus, & amore sui, despecto Deo, temulentũ reddidit. Michael verò, qui potum

croci

croci biberat, ebrietatem minimè sensit, non enim elatus animo est, sed Dei professus est principatum, aiens: Quis sicut Deus? Iam verò si quis (quæ humana conditio est) superbia temulentus sit, texat croci coronam, capitique erectum redimat, & experietur, ebrietatem euestigio mulceri, atque sedari.

Variæ fistulæ interpretationes.

Fistulam, aliqui cassiam, alij cannam, ex qua saccharum conficitur, alij calamum odoratum, interpretantur. Hæ verò duæ vltimæ interpretationes videntur congruentiores, iuxta quarum primam, duo, quæ in fistula dignoscuntur expensa, orationis vtiuti apprimè quadrant. Profectò arundines vel cannæ, ex quibus mel illud gummium modò candidum, dentibusque fragile colligitur, quæ suapte natura leuis materiæ sunt, sicut vniuersim omne arundinum genus, ac proinde mentis eleuationis, seu orationis reddũt effigiem. Ipsa quippe oratio, cuius

Virtus orationis.

est motus sursum, igneam imitatur leuitatẽ, in altum semper euectam; in ipsa verò erectione cordis, & directo in superna motu, saccharum ibi generatur & gustatur, qui est cœlestis ille ros, ac mellitus dulcor, qui concrescit in anima, & incredibili voluptate percipitur, quemadmodum qui eo bono fruuntur nobis tradiderunt. Quod verò ad fistulæ spectat leuitatem, minimè sileri debet. Constat nimirum experimento, animas orationi insistentes (vt ecstases prætereamus, in quibus cũ spiritu corpus plerumque in altum tollitur) experiri propria corpora expeditiora, & promptiora ad suas functiones obeundas, velut quamdam dotem agilitatis adepta. Magis arcanè fistula hæc videtur sponsæ ipsius animam significare. Sacchari quippe arundines succum habent, qui ab eis per fractionem & contritionem exprimitur, qui postmodũ coctus saccharum fit. Ita sponsæ a-

nima

nima ad surgendum velox, & leuis vt arundo illa, intra spiritales poros conceptum retinet sponsum, qui est ille dulcis succus, qui ab antiquis mel appellatur. Hic verò succus pressura & fractione à Sanctis exprimitur; vt patet ex Martyrum historijs. Qui vbi torquebantur, & laniabantur, sponsum Iesum Christum, quem conceptum gestabant, in ipsa eructabant tortura, nec Tyranni aliud ab eis extorquere poterant, nec enim aliud, præter eum succum, animo conceperant. Succus verò hic mysticus, fiebat saccharum coctum, coquebatur quippè ardentissimo amoris æstu, quo Sancti flagrabant. Ex quo prodibant tot sacchari panes seu metæ, quod verba promebant. Erant nimirũ dulcia, quorũ sensus erat sponsus, exprimebantur torturis, igne amoris coquebantur, sic saccharum profecto conficitur.

Martyrum cõstantia.

De cinnamomo plura supra fidẽ dicũtur, quę tãquã apocrypha prę-

teri-

terimus. Legimus autem in scriptoribus, qui huius aromatis vires explorarunt, vim habere excalefaciẽdi, emolliendi, concoquendi, & contra venena iuuandi; quæ vera diuini amoris imago est, qui glaciẽ animi ex culpa concretam soluit, & excalefacit, duritiem cordis emollit; vt cor, quod ante ad sponsi monita obduruerat, modo, velut cera, sola sponsi voce percepta, liquescat. denique contra venena, quæ aureo vase inclusa mundus propinat, mirificè prodest, dum, prẽter sponsum, cunctæ illi mundi voluptates amarę videntur. Huic egregio aromati vniuersa ligna Libani apponere consonum fuit. Ligna quippe hæc in Libano, qui, ob altitudinem & candorem, sponsi gerit imaginẽ, sata sunt, sicut & ipsum cinnamomum. Plantæ caput, ex quo vitą permanat ad cæteras partes, radix est, qua terræ humorem exsugit. Sic mysticum cinnamomum, hoc est, amor, non

Cinnamomi vis, diuini amoris imago.

tàm

tam fixus in corde, vnde exit, quam in re, ad quam hiat, pulchrè dicitur, in sponso per libanum notato figi, & inde, quasi per radicem, sponsi vitã attrahere. Cum amore igitur, vniuersæ virtutes in sponso, ad vitam hauriendam defiguntur, atq; plantantur.

Vniuersa igitur ligna Libani sic concipi debent, vt semper in ipso monte feracissimo consita, fixaque permaneant; cum enim ligna terræ humore concepto alantur, & viuãt, si è natiuo solo auellantur, aut cædantur, interire illa necesse est. Sic igitur verba interpretamur: In hoc amœnissimo paradiso, cum cinnamomo, qui diuinus est amor erga sponsum, crescunt vniuersæ virtutes ei sociatæ. Crescunt autem vt ligna Libani nunquam de monte cæsa: semper enim in sponso, velut in pingui & coagulato monte, fixæ manent, indeque vitam eliciunt, alias confestim interituræ. At hucusque,

in

in recensendis huius paradisi plantis, nihil amarum commemorauit sponsus. Et quidem, si sponsa innocens fuisset, & ante reatum in hunc vecta paradisum, sicut Adam, non egeret plantis austeris, & amaris. Verum è culpa in iustitiam traducta fuit, ac proinde non dulcibus tantum, & ad voluptatem comparatis, sed amarulentis etiam lignis eget, ad humorem noxium expurgandum. Propterea sponsus addidit.

Myrrha & aloe, cum omnibus primis vnguentis.

Nascitur in horto isto, mortificationis myrrha, aloes pœnitentiæ. Et suggerunt horti plantaria materiam, ad omnes eas virtutes, quæ velut vnguenta selectissima vlceribus peccatorum medentur; quæ suapte natura secernuntur ab alijs virtutibus, non tam ad sanitatem per medelam efficiendam, quàm ad eam perficiendam destinatis.

Myrrhæ natura.

MYRRHA, cuius naturam supra expressimus, cõdiẽdis, & à cor-

ruptio-

ruptione defendendis corporibus vsurpata, eam virtutem, quam sancti mortificationem appellârunt, apertè monstrat, quàm qui studiosè colit, non sentit peccati corruptelam. Hac quippe virtute, velut falce quadam, culpæ illecebras, & occasiones amputat. Et hæc suopte ingenio videtur instituta, ad effrenes motus reprimendos, quos, licet quis proprio actu minimè peccarit, sed origine traductam culpam dumtaxat contraxerit, patitur ab originali peccato erumpentes. Hos ergo motus coërcet mortificatio, myrrhæ proprietate adumbrata. Verùm, quo quis propriorum actuum noxas plectat, alia indiget virtute, quę pœnitentia nuncupatur, quę aloes proprietatibus aptissimè significatur. De hac igitur herba, pauca hæc excerpsimus.

Mortificationis virtus.

Pœnitentię actus.

Aloe, Cebar Arabib. Persis, & Turcis dicta, scillę similitudinẽ fertur hábere, radice vna, vt palo in terrã

Aloe delineatio.

demis-

demisso, folijs pandis, laciniatis ob spinulas hinc inde eminentes, quæ laudatissima est in Socotora Insula, quæ dissita est à freto maris Erythrei per trecenta nonaginta milliaria. Eius gutta est amarissima, liuores, & suggillata delens, ac propterea pœnitentiæ signat virtutem, quæ amarore suo sponte suscepto, liuores, & suggillationes, quales in anima, suis ictibus, peccata reliquerunt, prorsus expungit. Liuore quidem sponsi Sponsa sanata est; sic tamen, vt aloen istam in horto satam & cultam sponsa gustaret, sine qua saluti instaurandæ aditus minimè pateret. Omnia prima, hoc est, electissima vnguenta, eas virtutes vocat sponsus, quæ tanquam vnguenta pretiosissima, ex aromaticis horti huius plantis confecta, ad curanda peccatorum vlcera destinantur, quæ secernuntur ab illis; quæ non tam ad medendum, quam ad sanitatẽ perficiendam proficiunt. Quod virtu-

Socotora Insula.

tum

tum in duas acies discrimen ex morali philosophia compertum est. Verùm quod sequitur, excitat admirationem.

Fons hortorum.

Etsi sponsa fons obsignatus sit, est etiam fons aliis hortis, hoc est proximis, aqua sua proficiens.

PAVLO ante, inter præclaras sponsæ laudes, fontem signatum spõsus recensuerat. Ideò verò sponsam velut fontem obsignârat, ne quis aquam surriperet, ac illum suo potu fraudaret. Quomodo ergo fontem hortorum nunc sponsam appellat? Profecto enim fons hortorum ideo dici videtur, quia tanquam communis fons expositus sit, vnde propinqui horti aquam haurire possint; quod sine sigilli, clausträque ruptura videtur fieri non posse. At sanè mysterium hic latet, quod ex ipsa fontis aspectabilis effigie eruendum est. Porrò, cùm ob allatas rationes

Fontis effigies.

fons clauſtro munitur, quædam nihilominus feneſtella ſeu exigua porta patens, cancello ferreo prætexta dimittitur, per quam ex cratere lapideo, in quem primum à ſcaturigine confluit aqua, tenuis aliquis riuus elabitur. Poſtquam enim crater ille lapideus plenus eſt, exundat aqua, & neceſſe eſt patere illi exitum, per quem effluat. Sic ſponſa concipienda eſt. Obſerauit illam ſponſus, ne quis fur ſcatebram aquæ viuæ obſtrueret, vel craterem animæ impleri prohiberet; at non temerè, ſed ex ipſius ſponſi conſilio actum eſt, vt exitus quidam pateret, per quem ſaluberrima hæc gratiæ diuinæ aqua in alios hortos permanaret. Impleuit nimirum Deus ſponſam diuina gratia, & ſapientia, quam omninò celare ſponſa nequit, vnde efficitur, vt elabatur illa, ad proximos exemplo ac doctrina alendos; quod modo parcè fit, quaſi per feneſtellam cancello ferreo prætextam. Nec enim

ſpon-

sponsus fontem resignauit, & aperuit, sicut aperturus est, cum sponsam miserit ad alios edocendos. Non ergo ad prædicandum modò destinatur, immò sibi potius quam alijs prodesse studet, donec perfectissima sit; quod ex subiecta patet similitudine.

Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Non est sponsa fons ex terra erumpens citoque effluens; sed fons puteum efficiens. Gratia quippe ac virtutes, in ipsa, velut aquæ viuæ scaturientes, in sponsæ mente, more putei, capacissima continentur, quãdo in eam ex sponso per Libanum notato copiosè influunt.

PVTEOS effodere mos amicorum sponsi est, vt constat de Abrahã, & Isaac, qui typum sponsi prętulere, Propterea non mirum est, si sponsus puteum habeat. Profecto puteorum cauitas, & profunditas,

maximè conducit ad ea, quæ proximè diximus explananda. Quod vt rectius fiat, duo concilianda sunt, fons nempe ac puteus, ita vt in imo putei scaturiat fons, & aqua viua queat appellari, ob scatebræ motum. Posset enim puteus in exciso saxo fodi, qui postmodum pluuijs aquis, vel aliunde illuc infusis, impleretur; in quo tunc aqua consisteret, & tanquam mortua motu careret, nec vmquam vel vnguem latum ascenderet, immò decresceret, saxi siccitate partim hausta. Puteus ergo hic arcanus ex fonte semper aquam fundente fit, & per putei cauitatem aqua viuens motu prædita cresçit, & extollitur. Hæc est diuina gratia, fons inquam ille aquæ saliẽtis in vitam æternam, qui manans in sponsæ anima, quæ instar putei capacissima est, semper cresçit, & attollitur; viuit enim, ac sursum ad æternitatem mouetur. Non facile effluit, ob putei altitudinem. Non er-

go

go sponsa est ex eo genere fontium, qui ad superficiem terræ passim erumpunt, moxq; aqua diffluit; nulla cauitate recepta. Sed puteus altissimus est, vt aquam viuam contineat; nec licenter effundat, nisi fortè quando effundere iussa fuerit in aquarum viuentium diluuio, hoc est, quando semel impleta, alijs prædicatura superimpleatur. Quod autem plurali numero, aquarum viuentium sponsus meminerit, virtutum gratiam comitantium, simul cum ipsa viuentium, atque crescentium aperta significatio est. Quod verò è Libano impetu fluere dicantur, alluso est ad Iordanem è Libani radicibus duobus è fontibus exorientem. Arcanè verò, aquæ viuæ, diuinæ gratiæ ac virtutum, ex Christo, qui, vt supra tradidimus, Libano significatur, emanantes notantur. Cuius emanationis, fluxus aquæ è latere ipsius cæso decurrentis expressio quædam fuit. Quod autem

aquæ impetu, & non leniter fluere dicantur, vbertatis nota est; tunc enim amnes impetu fluunt, cum è montium verticibus ingens aquarum decurrit affluxus.

Non est vllo modo prætermittẽdum mysterium, quod aquæ cum impetu ex Libano fluentes innuũt, in viris charitate prouectis egregiè confirmatum. Nimirum, aquæ Iordanis è Libano fluentes, carnis Iesu Christi sponsi tactu, vim gratiam significandi, & quod maius est, conferendi receperunt, in alteram primi (seruata serie) sacramenti, hoc est baptismi, partem electæ. Vnde non qualemcunque gratiam, sed eam, quæ vi sacramenti efficitur, planè significant. Sponsa igitur appellatur puteus aquarum viuentium, hoc est, diuinæ gratiæ sociatarumq; illi virtutum, quibus, altissimi putei more, ex receptione, ac frequentatione sacramentorum impletur. Etsi enim viri charitate prouectiores

Mysteriũ Baptismi.

(qua-

(qualem hic sponsam introducit Salomon) virtutũ actibus mirificè proficiant; at cum seipsos excutiunt, & insignis mentis puritate sacramenta frequentant, nouis tunc, & miris gratiæ ac virtutum accessibus quàm feliciſſimè crescunt. Quod cum illi experiuntur, siti quadam sacramentorum inexplebili ardent, quò enim frequentius bibunt, eò amplius sitiunt: vnde opus omnino est, vt illæ aquæ viuentes, ad eam sitim sedandam, & excitandam, cum impetu fluant è monte Libani editiſſimo. Iam verò paradiso à se vigilantiſſimè culto benè precatur, aiens.

Surge aquilo.

Recede damon è lateribus aquilonis flans. & hyemali culpæ frigore, velut gelido quodam aquilone, virtutum germina verurens.

NORVNT agriculturę studioſi, quantum alendis plantis conferat aeris salubritas, quantum noceat inclementia.

Aeris salubritas multum conducit plantis.

Crebrò solet euenire, cultorum spem euanescere, post longam incolendis plantis nauitatem, cum ventus frigidus, & vehemens flat, & erumpentes vitis gemmas, arborũque flores decoquit, & absumit. Quamobrem, si nauitate & peritia res agenda esset, non minus essent seduli agricolæ, ad placandos ventos immites & procul arcendos, quàm ad terram fodiendam, & repurgandam. Inter vniuersos verò agri cultores, vnus est sponsus, qui ventis imperare potest, sicut olim fecit. Cum autem possit, & velit, statim imperat aquiloni, seu boreæ, vt

Aquilo ventus immitis.

Septuaginta vertunt, qui est ventus immitis, & frigidus à septentrione flans, in reprobum sensum à scriptura vsurpatus, qui rigore suo terram congelare facit, teneros flores, & germina enecat. Significat nimirum & aduersam dæmonis potentiam, qui è lateribus aquilonis, vbi

Dæmonis potentia.

superbia sua consedit, aquilonari,

seu

seu boreali quodam impetu irruit in iustos, & immisso frigore culpę, corda, quæ vitalem Dei calorem conceperant, glaciare, & obdurare cõtendit, virtutum germina percoquere, & necare pertentat. Cupiens igitur hortum non incassum excoluisse, imperat Dæmoni, aiens, surge, cede loco, seu recede hostis paradisi, ne vras tuo flatu arbusculas aromaticas, & herbas odoratas, in quas (vt olim in paradisum terrestrem) te insinuas serpentino halitu illas adusturus. Hoc ita generatim assertum sit, vt aquilo Dæmonem infestum, virtutum sponsæ plantaria perimere satagentem, sine discrimine significet.

Germanior videtur alter sensus, vt videlicet aquilo, non dæmonem, nec alia peccatorum monstra, sed vnam in hoc loco superbiam notet. Quod duabus ex causis astruimus. Primùm quidem, expensa ipsa rei natura, superbiam vulgò ventum

appellamus, & ſuperbos, vento diſtentos, ſeu inflatos dictitare ſolemus, Deinde, quod ad aquilonis ſeu boreæ nomen attinet, compertum eſt, ex Iſaiæ vaticinio, excelſum eum locum Diuinitati ſoli debitum, in quo Lucifer conſidere cupiebat, aquilonis nomine notari, petita metaphora à monte Sion, qui ad aquilonem Ieruſalem ſitus eſt, vbi templum Deo fuit conſtructum, ſicut ſcriptum eſt: Fundatur exultatione vniuerſę terræ mons Sion, latera aquilonis. Ex his ergo duobus, ex vēti nempe, & laterum aquilonis à Lucifero concupiti contemplatione inducimur vt credamus, ſpōſum hic imperare ſuperbiæ, vt quantocyus abeat. Quod ipſa deſcriptæ pulchritudinis præſtantia ſatis mōſtrat opportunum. Cum enim ſpōſæ virtutes, ſub paradiſi tranſlatione, oratorio encomio ſponſus laudarit, ne fortè efferatur animo, & ſemetipſam adeò pulchram, nimis

(vt

(vt olim Lucifer) indulgenter ac impotenter amet, tempestiuè admonetur, & vento superbiæ, ne hortum perflet, imperatur. Dicat igitur spōsus. Surge Aquilo, hoc est, procul recede superbia diuinitatem affectans, quæ de interna pulchritudine concipi soles, ne horti mei plantas interimas. Postquam igitur noxio vento recedere imperatum est, salubris aura nunc est excitanda. Propterea subdit sponsus.

Veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

Veni spiritus Sancte perfla, & permoue sponsam, sicut anima corpus afflare, & ciere solet, sic enim calore soluente poros animæ, odor virtutum effundetur.

AVSTER ventus à meridiè flat, aquiloni è regione oppositus. Est calidus, & in scriptura sacra in-

bo-

Abac.3.

bonum sensum acceptus, sicut scriptum est, Deus ab austro veniet. Notat spiritum Sanctum, spiritum illum vehementem, qui hortum Apostolicum perflauit & vitæ calore inuexit. Vocat ergo sponsus hunc ventum saluberrimum, vt peruadat arcanas descripti paradisi plantas, vt ingerat vitam illis; est enim hic spiritus vitalis, de quo eæ plantæ, sponsaque viuunt. Sicut enim corpus de spiritu viuit humano, ita sponsa, qui est hic amœnus hortus, viuit de spiritu diuino. Quamobrem nec per momentum temporis, sine afflatu spiritus huius australis Deo viuet, sicut, ne momento quidem, corpus, sine suo spiritu, superuiuere potest. Quod ergo ait sponsus: Veni auster, & perfla; non perfunctoriè, non certis ac definitis horis, sed perenniter poscere putandus est, ac si planiùs effaretur. Veni diuine auster, & ita hortum meum affla, sicut anima corpus

affla-

afflare ac ciere solet. Tunc fiet, vt fluant aromata illius. Aromatum nomine duo intelligi pereleganter possunt, aut odores aromatici, qui ex arbusculis odoratis calore austri funduntur; res enim odoratæ sicut frigore densantur, & odorem contrahunt, sic calore solutæ exhalant; quod arcanè fit, cum anima iusta, spiritus austro calido velut resoluta, poris patentibus, odorem virtutis effundit. Aut aromatis nomine, notatur illud gummi, quod ex illis arbusculis exsudare solet, vt stacte, thus, & id genus alia, quæ symbolicè arcana virtutum vnguenta, hoc est actus flante spiritu productos innuunt, quibus anima, Christi, hoc est, vncti particeps effecta perlinitur, quemadmodum arbusculæ, cum emittunt resinas, illismet obliniuntur trunco, & ramis inhærentibus. Nunc vero, postquam sponsus arcani horti felicitatem descripsit, sponsa gratitu-

dinis ergò illum tanquam cultorem, cui horti primitiæ iure suo debentur, inuitat, vt tanquam sui paradisi fructu vescatur.

CAPVT QVINTVM.

SPONSA.

Veniat dilectus meus in hortum suum.

Insinuet se magis ac magis sponsus in me hortum suum, peculiari iure culturæ ab ipso comparatum.

AMORIS, & pro cultura gratitudinis stimulo incitata sponsa, cernens plantas horti vniuersas & à sponso satas, & cultas esse, primitias illi offert, aiens. Veniat Dilectus meus in hortum suum; ac si diceret. Si quidem adeò amœnum fertilemque. (ô sponse) hortum coluisti, quid tibi pro sedulitate referam? Veni, obsecro, & fruere paradisi amœnitate, quæ iure agriculturæ tua est, & tibi vni dicetur hæc tota fœlicitas. Porrò emphasis inest in verbo, veniat. Cũ n. spõsus præsentissimus horto adsit ac præsit, vt ex præcedẽte capi-

Emphasin habet verbum veniat.

capite liquet, inepta videretur hæc inuitatio, si emphasi careret. Precatur ergo sponsa, vt penitissimè adsit, & arctiùs sibi copuletur, & velut ad intimum sponsæ cordis recessum penetret, quemadmodum, cum quis principis alicuius aulam ingressus, intra eandem aulam, è cubiculo, in cubiculum interius, ac secretius, venire, ac se insinuare dicitur. Quod verò ait, in hortum suum, secretum quiddam innuit, quod præteriri non debet. Anima quippe virtutibus culta, paradiso florenti quamsimillima, singulari quidem iure appellatur hortus Iesu Christi sponsi. Quod sanè ius speciale, ex actionibus, quas ille carne indutus, vt propria illius assumptæ naturæ persona obiuit, enascitur. Non enim Pater, aut spiritus Sanctus, tanquam hypostasis propria elicuit eos actus, quos sponsus eliciebat, cum non sine sudore, fame, ac siti animæ hortum excolebat, & proprio sanguine

velut

velut aqua perfundebat. Propter hanc ergo culturam speciali iure sponsa hortus, seu paradisus sponsi nuncupatur; vt pateat, cur illa sic effata fuerit; veniat Dilectus meus in hortum suum. Subdit verò.

Et comedat fructum pomorum suorum.

Actus virtutum comedat, illos acceptans, ac in suum intimum cor tanquam in spiritalem ventriculum traiiciens, vt ibi amore cocti, in ipsius naturam quasi conuertantur.

AD poma carpenda sponsus inuitatur iure suo. Quis enim agricola, qui primis quibusque agri fructibus non vescatur? Bifariam verò hunc textum interpretari possumus, iuxta duas fructus significationes. Primum quidem, fructus vniuersim acceptus, expẽsa ipsa rei natura, præmij quoddam genus est, quod agricolarum laboribus respõdet. Ad fructum nimirum, tanquam

Præmium debet respondere labori.

ad finem ac præmium omnis culturæ labor destinatur. Sponsus autem (vt proximè dictum est) animarum hortos multo labore, ac nauitate coluit: vnde illi præmij loco promittitur hortorum fertilitas, multiplexque fructus pro cultura, sicut scriptum est: Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur, hoc est fœlicem agri prouentum videbit, vescetur, & famem sedabit. Hic fructus vniuersim acceptus, quemlibet virtutis notat actum, qui ex anima tanquam ex feraci terra, & ex virtutis habitu in ea defixo, tanquam ex arbore à sponso culta, solet enasci. Huiusmodi vero fructum, seu virtutis actum comedere sponsus asseritur antropopathos. Si enim Deus cibo aliquo esset alendus, is proculdubio esset virtutis actus charitate conditus. Deinde cum comedere nihil aliud sit, quam cibum in ventriculum traiicere calore ibi coquendum, pulchrè dicitur Deus

com-

comedere virtutum actus, quos in intimo cordis receſſu condit, & excoquit, ac in ſuam naturam quaſi conuertit. Quod adeò verum eſt, vt ſemel ibi conditus actus virtutis (tãetſi eius author labatur in culpam) Deo ſemper perſeueret acceptus; eſt enim quaſi conuerſus in Dei illum comedentis ſubſtantiam, vnde & æuo ſempiterno gratus erit. Liquet igitur, actum virtutis cibũ eſſe ſponſi, quo ille auidiſſimè veſcitur.

Secunda loci huius interpretatio huic ſatis affinis, ſed arcana magis, eſt eruenda ex ſignificatione fructus iuxta ſenſum Theologicum. Aiunt quippe Theologi, fructum eſſe virtutis actum nobiliorem cum ſuauitate productum. Ex quo patet, non vniuerſos virtutum actus fructus nomine cenſeri, ſed egregios tantum, qui ob præſtantiam, voluptatis ſunt ſenſibus imbuti. Poſſunt ſane actus omnes poma nuncupari eleganti tranſlatione,

Fructus ſunt actus virtutum.

at fructus pomorum minimè, si sensum expendamus allatum. Hunc ergo fructum pomorum, hoc est, ex pomorum genere, comedere dicitur sponsus appositissima metaphora. Cum enim fructus hic, qualis à Theologis pingitur, saporem arcanum suauissimum cõtineat, ad nullum sponsi sensum propriùs, quàm ad gustum pertinere potuit, vt, mira cum significatione, non audire, seu cernere, sed gustare vel comedere illum asseratur. Sponsus verò votis sponsæ respondens ait.

SPONSVS.

Veni in hortum meum Soror mea sponsa.

Ingressus sum iam pridem in te hortum meum, nisi enim præsens fuissem, paradisus hic plantari non potuisset, & si recessissem, confestim proculdubio interijsset.

FECI quod precabaris, Iam enim veni; in teque hortum meum illa-

psus sum. Quantò quippe paradisus hic altior est, eo, quem in Eden condidi, tantò sum ei præsentior. Porrò antequam Adam in paradisum, ex eo loco, in quo creatus est, transferretur, erat paradisus ipse mea manu plantatus; postquam ob culpam ex eo pulsus est Adam, paradisus ipse perstitit aditu intercluso mortalibus. Vnde facilè perspicitur, Adæ præsentiam horto illi non fuisse necessariam; siquidem ante Adamum illuc inuectum, & post eum inde eliminatum, in suo decore perstitit. At hortus hic meus (qui sum secundus Adam) ita quidem a mea & præsentia pendet, & cultura, vt sine me presente plantari nequeat, & me abeunte confestim intereat. Propterea præterita vtitur voce sponsus aiens. Veni: & iuxta versionem Septuaginta, & Chaldaicam paraphrasim: ingressus sum, ac si luculenter effaretur. Non venio modo (quomodo enim absente me hortus

Veni id est ingressus sum.

consitus fuisset, & fœliciter germinasset?) Sed iam veni, & in illius plãtas vitam eis inserens penetraui. Agit hic sponsus tanquam horti dominus, vt se disertè secernat ab alienis. Profectò si quis extraneus in hortum admittendus esset, à sponsa illi esset aditus pandendus, & ad ingressum esset ille vocandus. Adeo quidem, vt infestus dæmon in hunc hortum obrepere nequeat, nisi spõsa illi fores aperiat, quæ modo sunt oppilatæ. At sponsus, qui horti claues habet, ipse sibi fores reserat, quando animam nouis desiderijs patere, & velut hiare facit, quod quia efficit cum licet, consultò dicit: Veni, hoc est, ingressus sum: penetraui; illapsuque intimo te totam, ô sponsa, peruasi, tua vota anteuertens. Porrò alienus, quicumque ille sit, in hortum sic nequit illabi. Suadere sanè potest Dæmon, & ad assensum commonere, vi extrinsecus illata, neque enim in animam

illa-

illabi, & voluntatem efficaciter permouere valet. At Deus se in animam insinuat, & quando placet, eam intrinsecus impellit, & ad noua charitatis incrementa perurget. Rectè igitur sponsus inquit. Antequam vocares, veni in te hortum meum; meum sanè ratione creationis, ratione culturæ, ratione desiderij, quod, tanquam nouum germen, ego ipse intus existens efficio, atque produco. Nihil autem inconcinnum hic suspicari fas est. Etsi enim sponsus animæ sponsæ intimè adsit, non propterea, ineptè venire rogatur. Ipsa enim sponsi præsentia, tantum abest vt sitim extinguat, vt potius ex hoc sui maius excitet desiderium, sicut scriptū est. Qui bibunt me, adhuc sitient. Verum opus est admoneamus auditum, ijs, quæ sponsus, cum venit, se fecisse commemorat.

Messui myrrham meam cum aromatibus meis.

In horto agens ex omnibus virtutum aromatibus furculos decerpsi, prius tamen, ad amorem amaritudine probatum manum porrexi.

Quid sit metere.

METERE nihil est aliud, quàm admota falce culmos exsecare, vt patet experimento. Vbi cernimus, radicem & culmi partem in terra fixam remanere, vnde, cum adhuc viret, iterum germinare solet. Septuaginta verò Interpretes verterunt: Vindemiaui myrrham meam, quod ad eundem sensum maxime conducit. In vindemia quippe falce racemos amputamus, relicta vite, quæ quotannis promit vuas. Siue autem messui, siue vindemiaui dicat sponsus, elegantissima vtitur translatione, ad significandũ, se, in animam illapsum, ad promendos subinde egregios virtutis actus eam permouere. Sunt enim habitus virtutum in terra pingui animæ sati, tanquam triticei culmi spicas pro-

feren-

ferentes, vel vites promentes racemos, cum actus suos eliciũt. At quia, quantumuis nobiles, & (vt in schola loquimur) intensi habitus virtutum in anima sint, nisi vrgeantur, & impellantur vi alia, præter eam, quæ ipsismet natiua est, non edunt actus, oportet omnino sponsum, qui eos habitus infuderat, intus existentem vrgere & excitare sponsam, ad actus per illos habitus proferendos. Tunc verò actus ex habitibus, velut à culmo spicæ, vel à vite racemi enascuntur; & sponsus ipse, qui eos actus peculiari efficit impulsu, & velut ab habitibus separat, seipso, qui gladius est anceps, vtpote, verbum seu sermo Dei, graphicè dicitur eos metere, seu vindemiare. Inuestigare autem opus est, cur in tam amœno ac vario paradiso, ad myrrham metendam potius, quàm ad plantas alias visu & gustu gratiores, ac suauiores manum porrexerit? Porro amantes, violis, lilijs, alijsque odoratis floscu-

iis impendio delectantur, myrrhæ verò amaritudinis, & horroris eos tædere solet. At hæc diuini amoris arcana philosophia est, vt amor non voluptate ac dulcore delinitus, sed conditus amaritudine Deo sit acceptissimus. Sanè, quemadmodum in patria nihil amore glorioso, ita in exilio, nihil amore anxio, & amaritudine perfuso Deo est acceptius. Quamobrem etsi in sponsæ horto, ex omnibus virtutum plantis aromaticis surculos sponsus legit, myrrham tamen omnibus alijs præfert aromatibus, propterea enim illius sigillatim meminit, cætera generatim aromata commemorans, dum ait, Messui myrrham meam cum aromatibus meis. vbi expendendus est loquendi modus mysterio prægnans. Sponsa petierat, vt sponsus ederet fructum pomorum suorum, ipsius videlicet sponsi, agnoscens virtutes ab illo ducere genus. Quod apertè confirmat sponsus ipse, dum

ait:

ait: ego veni, & myrrham meã cum aromatibus meis messui. Sed mirum est, quod adiunxit.

Comedi fauum cum melle meo.

Mihi vniui, & velut in me conuertendam sponsam, quæ fauus est, meipso (qui sum mel) imbutus, comedi, hoc est intimè cordi meo insculpsi, & velut in stomachum traieci,

SOLENT in viridarijs, hortisque vbi flores vbertim proueniunt, alueraria esse, quæ sine vllo cultorum agri labore, apum opera flores carpentium, mellis non exigua fœnora reddunt. Subnotat ergo sponsus, aiens, se ingressum in hortum, comedisse fauum, alueraria horto suo minime deesse. Quæ quidem translatio, ad sponsam pertinet significandam, quæ varijs formis, mira & multiplici metamorphosi inducitur, vt eius perfectio exactius exprimatur. Quod autem ad arcanam comedendi rationem spectat, paulò ante disseruimus. Nunc verò,

Alueraria solent esse in hortis.

quo

quo pacto sponsa sit fauus sponsi melle imbutus, quem ipse comedere fertur, exponendum est. Porrò si animæ internam contemplemur structuram, multis potentijs velut faui cellulis discretam, corporis operculo cõtectam, cernemus liquidò, faui mirificè constructi, rudi alueari contecti similitudinem apprimè illi congruere. At hucusque ceræ dumtaxat opus alueari conclusum animaduertimus; nondum autem mel confectum videmus. Opus est nimirum, vt apis florem præcerpat, & eo pascatur, ex quo dulcissimum eum liquorem conficiat, quo cellulæ faui oppleantur. Sic igitur sponsa, quasi apis sedula & argumẽtosa florem de radice Iesse suum spõsum suauissimum quasi è radice, cauleque præcerpit, & toto pectore haurit, eoque auidissimè pascitur. Quem, vbi comedit, tanquam cœleste mel, intra potentiarum cellas condit, vt nullo alio, præterquam

Pulchra metaphora.

sponsi liquore impleantur. Hunc igitur fauum cum melle suo sponsus comedit, totam enim sponsam ipso imbutam ac plenam intimè suo cordi insculpsit, & in suam velut substantiam allato superius sensu conuertit. Hæc prima est interpretatio.

Succurrit verò altera satis arcana, ex Septuaginta interpretum elicita versione. Qui sic traduxerunt. Εφαγον ἄρτος μου μετὰ μέλιτός μου, hoc est, Comedi panem meum cum melle meo. Quibus sanè verbis alludere videtur sponsus ad manna, qui fuit panis ille angelicus, quo pauit Israelem in deserto. De quo memoriæ proditum est, saporem eius fuisse, velut similæ melle permistæ. Notat autem sponsus, hac symbolica loquendi ratione, in hortum suum virore virtutum opertum, se descendere, ac illum candore suo conspergere, quemadmodum, campos, vbi castrametabatur olim suus populus, Exod. 16.

Symbolica loquendi ratio.

man-

manna cœlo lapsum, velut ros matutinus super herbam iacens operiebat, & candore suo honestabat. Manna verò typum sponsi prætulisse, omninò planum est. Profecto sponsus manna panis melle commisti sapore præditum graphicè refert. Panem sapit, dum cor sponsæ confirmat; mel sapit, dum suauitate ac dulcore permulcet. Ipse enim est sapientia attingens à fine vsque ad finem fortiter, quasi panis firmitate, & disponens omnia suauiter, quasi dulcore mellis. Quos certè duos effectus harmonicè temperatos in sponsa mirificè sponsus præstat, in eam velut in hortum, seu campum viridem more mannæ descendens. Ibique seipsum mannæ velut forma concretum comedere dicitur. Hic enim est cibus, quem sponsa illi offert, ipsius informata similitudine, quem dum ille & acceptat, & arcanè gustat, sibique intimè vnit, eleganter comedere asseritur. Nec mi-

rum

rum est, vt seipsum sub arcana mannæ forma, in anima sponsæ concretum edat, qui sub forma panis manna notati seipsum comedit in cœna. Gustat autem seipsum ac panem stabilientem & confirmantem, cum sponsa fortiter amat. Libat vero seipsum ac mel dulcore plenum, dum eius illapsu sponsa amore teneriore liquescit. Binos quippe affectus hos frequenter ille in sponsa experitur. Hunc profecto panem melle conditum sponsa in primis curare, ac conseruare debet, vt sponsum regio queat excipere conuiuio, & vt sit in voce exultationis sponsi sonus epulantis. Cum autem hic de conuiuio agatur, potus neutiquam desiderari debet. Propterea sequitur.

Bibi vinum meum cum lacte meo.

Acceptaui, & hausi amorem fortem vino, & teterum lacte notatum.

Solent

SOLENT in hortis nonnullæ vites seri, quæ sedulò excultæ, & propaginibus porrectis fusæ, in pergulas producuntur, & ad varietatem valde conducunt. Et hoc innuere videtur sponsus, qui de horto suo agens, vinum se ibi tradit haurire. Lactis verò ideo videtur meminisse, vt notet, sponsam terræ Canaan olim feraciſſimæ lacteque manantis esse simillimam, & magis arcanè vt illam ouis similitudine commendet, ex cuius gemini amoris vberibus lac exsugit Agnus Dei, qui ex sua dignatione, & charitate nimia, sicut spiritali conceptu in anima formatur, ita spiritali lacte alitur & crescit, appellatque lac suum, sicut & suum vinum, quod illi à sponsa propinatur, sicut lactens filiolus lac matris suum appellat vtpote quod sibi iure debeatur. Ait ergo. Bibi vinum meum cum lacte meo. Amoris duplex actus, alter fortis, tener alter est. Ille vino, quo membra languentia sta-

Agnus Dei.

biliuntur, & roborantur, iſte lacte, quo tenera membra aluntur, elegãter ſolet exprimi. Eſt autem propriũ amoris, ſeu fortis, ſeu teneris ſit, (cum ſit voluntatis actus) effundere ſe in rem dilectam, vt patet ex vulgatiſſimo diſcrimine, quòd Philoſophi inter actus intellectus, & voluntatis expendunt. Intellectus quippe res velut exſorbet, ac fugit, cum earum ad intelligendum ſimilitudines attrahit; at voluntas exſorbetur & velut exfugitur à re dilecta, à qua ſemper attrahitur. Quamobrem, cum amoris actus promit ſponſa, cõcipienda eſt, ſub imagine fontis cuiuſdam vinum & lac euergentis, ac potum ſponſo propinantis, quem ille auidiſſimè haurit, ac ebibit. Bibit ſanè vinum generoſum, cum voluntatem ſponſæ per fortem amoris actum attrahit; & velut apprehenſa papilla exſugens: Bibit lac, cum per tenerum amoris actum attrahit illam. Quo certè potu, licet

sitis sponsi sedatur, non tamen extinguitur. Nunc verò, quia nullum est lætum societate conuiuium, cõuocat sponsus amicos, ad horti delicias percipiendas, sic aiens.

Comedite amici & bibite, Et inebriamini charissimi.

Spiritalis huius conuiuij, quod mihi sponsa parauit, participes per charitatem effecti, quasi esca, & potu mensæ lautæ fruimini, qui mihi estis amici. Qui verò estis inter amicos charissimi, largius bibite, vsq; ad sobriam ebrietatem mentis, eiusque participatione implemini.

SANE quemadmodum eiusdem corporis membra mutuo sese souent, & vnum ex altero vitales motus recipit, & quasi vim ab altero suggestam membro, & comedit, & bibit. Sic sponsi membra, quę ab Ecclesia membra viua dicuntur, precũ ac meritorum communione se mutuo fouent, vitæ metus excitant, &

vim

vim illam totum corpus mysticum permeantem, & quasi per arterias excurrentem vnum ab altero mutuis receptat auxilijs. Sola sponsi vis potuit mortua membra suscitare; at suscitata semel, non sibi dumtaxat, sed & alijs prosunt, & alijs arcanum cibum, potumque ministrant charitatis participatione, per amoris actus seipsam promentis. Nunc ergo sponsus sic eloqui putandus est. Mensam mihi lautam in amœno viridario sponsa parauit. Porrexit mihi fauum; vini ac lactis pocula propinauit. Societate mihi opus est. Accurrite, qui charitate mihi estis amici. Fruimini melle, & vino, & lacte. Mei intra sponsæ fauum latentis, qui sum, mel, & geminorum amoris actuum in vos propter me sese fundentium participatione gaudete. Mellis huius escam comedite; vini ac lactis huius potum haurite. Porro, etiam cum sponsam intra se sponsum

continentem, & in proximos amoris actum tum fortè, tum tenerum, iuxta temporum discrimina producentem, ij qui charitate viuunt, imitatione attrahunt, & in seipsis eius mores effingunt, satis aptè mel edere, vinum & lac haurire asseruntur. Ita quidem, vt ex duobus capitibus, ex participatione videlicet, & eximitatione, melle vesci, & potum illum ebibere censendi sint. At quod apposuit, aiens, Et inebriamini charissimi, emphasim habet, qua proculdubio innuit, eos, qui inter amicos gratissimi sunt, & præ alijs coniunctissimi, hac participatione meritorum charitate subnixa fœliciùs gaudere, vt dum alij modicè fruuntur, ipsi ob eximiam charitatem potissimum frui, ac eum arcanum potum quasi vsque ad ebrietatem haurire dicantur. Hæc prima est interpretatio.

Emphasis in verbo inebriamini.

Secunda loci huius interpretatio satis opportuna est, vt vox illa, Charissi-

rissimi, non seorsum accipiatur, sed sit nominis illius, Amici, adiũctum. Et in hunc modum amicos charissimos, sponsi ipsius bona vigilantissimè curantes, appellat Ecclesiæ Doctores, qui sponsam erudierant, & ad perfectionis gradum, in quo ea nunc adulta versatur, promouerant. Qui dum illustratis mentis oculis ad hortum, quem tanquam sponsi cultoris ministri curauerant, spectãdum introducuntur, cernentes spõsæ fœlicitatem, heroicarumque virtutum paradisum, ad eius, quam percipiunt, eximiæ voluptatis significationem, mel comedere, vinum & lac bibere, ac ebrietate vinci perhibentur. Protrita sanè metaphora est, cum quis prandij, cœnæue tempore, rei alicui ad voluptatem comparatæ dat operam, dictitare tunc, nullam escam lautiorem, potum nullum suauiorem, ea quę tunc fruitur voluptate, illi posse accedere. Quod tunc potissimum verum ha-

Amici charissimi sunt Doctores Ecclesiæ.

bet, cum quis operæ, quam in re quapiam posuit, fructum cernit votis quadrantem. Sic architectus aui de ac frequenter sua inspectat ædificia. Sic (quod ad rem hanc propius accedit) qui conseuit arbores, quas conspicit fructibus onustas, ob incredibilem, quam experitur voluptatem, vix potest ab earum inspectatione diuelli, ibique pulchra trãslatione dicitur pasci ac potari. In hunc morem Doctores, qui sponsæ animam, ceu voluptatis paradisum excoluerunt, & sponso ministrantes, tam egregium in eius prouectione fructum intuentur, diuinæ cuiusdam lætitiæ mel libant, lac & vinum hauriunt, & ebrietate vincuntur, ita vt arcano sensu satis idoneè dicantur inebriari ab vbertate sponsæ, quæ sponsi domus & hortus est, & voluptatis torrente potari. Rectè igitur sponsus ait. Amici chariſsimi & Doctores, quibus ego sponsam meam educandam credide-

ram, comedite mel, lac & vinum bibite, & inebriamini, hoc est, contuentes sponsæ vbertatem spiritalem, voluptatis pelago absorbemini. Sed nunc sponsa in scenam ingreditur.

SPONSA.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

Ego vix sensibus ad vitam fungor externam. voluntas vero mea in sponsum hians vigilat.

CHARISSIMOS amicos ad ebrietatem sponsus inuitauit. Quapropter sponsa inter charissimos habita, huius ebrietatis, qui est torrens voluptatis internæ, consors effecta est. Cui sanè ebrietati fidem astruit somnus hic arctissimus, qui illam complexus est. Porrò ebrietatem externorum sensuum functiones intercipientem eueſtigio somnus consequitur Sic sponsa cernens (q, votis omnibus expetiuerat)

ſponſum intra ſuæ animæ paradiſum commorantem, & culturæ incumbentem, lætitiæ ac voluptatis amne perfuſa, corporea vniuerſa tradit obliuioni, & ſopitur, ad ſponſi amplexus toto mentis conatu cõuerſa, tantò ad illum effecta vigilantior, quantò à ſenſibus redditur alienior. Somnus hic, quo ſponſa correpta eſt, nihil eſt aliud, quàm perfectorum virorum multa ſedulitate parta proprietas, quam vbi peperierunt, vix hæc externa norunt. Tanta quippe contentione ad Deũ hiant, vt rerum fluxarum non meminerint, vixque ſenſibus vti poſsũt ad eas pertractandas. Eiuſmodi verò viros aliquot orbe toto conſpicuos noſtra tulit ætas, qui ob mundi neglectum, & obliuionem, ſe dormire facilè commonſtrabant. Cordis verò vigiliam, & perennem quandam velut palpitationem ob præſentis ſponſi contactum perſpicuè declarabant. Quod ergo ait

ſpon-

sponsa, Ego dormio, ad partem sentientem, quam vix anima ciet ac mouet, ad functiones externas referri debet. Quod verò inquit, & cor meum vigilat, ad voluntatis corde significatæ conatum, quo præsentem sponsum apprehendit, referendum est.

Altera verò mentem subit explanatio, quæ affectum amoris ac gratitudinis huic loco opportunissimũ luculentius prodit. Inducitur autem iuxta interpretationem hanc sponsa de se tota inquiens. Ego dormio, Et de sponso (quem suum cor aptissimè nuncupat) ait, Et sponsus, qui est cor meum, vigilat. Quod vt exactè percipiatur, opus est meminisse, sponsum per quam sedulò hortum sponsæ plantasse, & coluisse, & vigilantissimè custodire, nec temporis quidem momento ab eo recedere. Quod cum sponsa penitissimè exploraſſet, & sponsum præsentissimum sibi animaduertisset, in-

Cor sponsum nuncupat.

credibili quodam amoris, & gratitudinis affectu sic effatur. Ego sanè nihil laboro, ego ferior ab opere, & in huius horti amœnitate suauissimè consopior. Cor autem meum, hoc est, sponsus meus, vigilat, illiusq; nauitate hæc paradisi fœlicitas exorta est. Ille cõseuit, ille coluit, ille ad incrementa promouit. Pulchrè quidem sponsa, tantillum eum laborẽ, quem subijt in horto in operibus iustitiæ se ipsam exercens (nec enim omnino nihil egit, quod hæretici nostræ tempestatis mallent) somnũ appellauit, vt per hanc hyperbolen, qua leuem laborem, somnum, seu fictionem laboris esse innuit, facilè declararet, verum esse illud diuini psaltis oraculum, Qui fingis laborem in præcepto. Ex vtraq; verò explanatione omninò efficitur & spõsum vigilare, & sponsam corde excubare, tametsi dormire perhibeatur. Quod ex adiunctis verbis perspicuè patebit.

Psal. 93.

Vox

Vox dilecti mei pulsantis.

Insonuit vox sponsi mei pulsantis. Pulsat sane vt præsens, & vt absens ab vlterioribus animæ meæ receßibus, ad quos cupit ingredi, vocem edit?

SOMNVM sponsæ medullas minimè peruasisse, immo principem animę partem mansisse peruigilem hoc vno illa conuincit experimento, quia videlicet vocem sponsi pulsantis audiuit. Quæ quidem ratio efficacissima est; si enim princeps animæ pars somno sepulta iaceret, insonantem, velut tenui auræ sibilo, sponsi vocem minimè perciperet. At hic oratio parum cõcinna, sibiq; cohærens videtur. Profectò voce vtimur, cum distantes, eminùs vocamus; si enim cõminùs res agenda sit, voce non est opus. Iam verò, si ad eos, qui sũt à nobis dissiti, vocẽ promimus, eos attingere manu tũc minime valemus. Qui ergo fieri potest, vt spõsus edat vocẽ ad spõsã, illãq; tã-

gat,

gat, aut pulset? Quod si translatio ab externis petatur, vbi cernimus, plerumque illos, qui amicorum domos adeunt, simul vocem efferre, portamque pulsare, quò citiùs referetur, non est ad rem; cum sponsus intra sponsæ hortum agere, morarique asseratur. Verum hic nodus soluitur, si perpendamus, quonam pacto sponsus adsit, & absit. Sanè, si animæ sinus cõtemplemur, ad quos, per nouos charitatis accessus se spõsus ingerit, facilè perspiciemus illũ adesse quidem, & se in plures secretos animæ recessus per amoris augmenta præterita insinuasse. Atque ita præsens ille sponsam ciere ac pulsare valet; sed quia modus amori suo præscribi nequit, & ex hoc in sinus alios vlteriores illabi, & penetrare cupit, à quibus abest, vocem propterea promit, vt in eos assensu nouo pandatur aditus. Qualis vero sit hæc vox, mox aperit, ac sponsum loquentem inducit.

Amori modus præscribi nequit.

SPON-

SPONSVS.

Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.

Adhuc secretiores sinus animæ tuæ mihi reclude, vt in te penetrem, quia soror es mea & ob adoptionem patrus mei, & ob carnem assumptam. Quia etiam es amica mea, & ex amicitiæ iure, totius domus tuæ anguli mihi patere debent. Quia præterea es columba mea, cui ego meorum viscerum aperui nidum & ita in te nidum mutuo posco. Quia denique es immaculata mea; dum enim in te illabor maculas mea puritate detergo.

HÆc vox sponsi est, qua facilè secernitur & internoscitur spõsus ipse. Amare natiua illius est proprietas, odisse violentum quiddam illi est, sicut punire ac terrere. Quãobrem in suo monarchico principatu amore potiùs, quàm terrore gubernare maluit, quo vno (vt cæte-

Tyranni metus.

ra prætereamus) apertè à Tyrannis dignoscitur. Enimuerò Tyrannus in occupati regni administratione subditos concutere, ac metu coercere tentat: opprimere, non inducere satagit; ac proinde vox tyranni terribilis est, ad vim inferendam exprompta. At Rex noster, etsi iure suo posset impellere, ac imperare (est enim Dominus) ita tamen leniter moderatur animos, vt monere, non imperare, mulcere; non terrere maluerit. Ex quo ipsius vox, tanquam proprietate natiua, prædita est lenitate. Hoc igitur innuit sponsa, cum ait, Vox dilecti mei, ac si planius diceret. Vox, quæ natiua, non violenta est dilecto meo, plena dignationis, ac humanitatis est, non est ad incutiendum terrorem, sed ad emollienda corda comparata, non est vox in commotione, sed in suauis auræ tenui sibilo. At hoc parum est, non enim solum vim more tyranni non in-

fert

fert, sed nec salutem quidem affert, sine nostræ voluntatis assensu, quod est vrbanitatis genus, diuinam in nos dignationem egregiè commendans; agit enim vt amicus, non tam suam maiestatem, quam amorem expendens. Tantundem ergo est, vocem sponsi insonare, ac vocem lenem, & vrbanam audiri. Quod facile perspicitur ex ijs verbis, quibus sponsam leniter monet, aiens. Aperi mihi, ad intimos tuæ animæ sinus penetrare satagenti, quot enim assensus præbes, tot mihi recessus aperis, in quos festinus illabor. Ad recludenda vero Ostia moneo te, quia es amica mea, vnde ex amicitiæ lege, anguli, sinusque domus tuæ vniuersi, mihi tecum debēt esse communes, quia soror mea es à patre meo in filiam adoptata, & assumptæ naturæ germanitate coniuncta, quamobrem, quos in natura, & gratia Deus coniunxit, separari, & occlusa ianua nefas est arceri. Aperi

ergò,

ergo, quia soror bifariam es. Aperi mox. Aperi, quia columba mea, cum enim tibi nidum in meis visceribus construxerim, in quem conuolares, & conquiescerés, & tu profecto lege gratitudinis, debes mihi nidum apparare. Aperi deniq;, quia es immaculata mea. Si enim ego, te candidam, & labe maculaque immunem reddidi, experimẽto discere potuisti; ex meo ad te illapsu, te fore puriorem. Ex quatuor capitibus efficacissimam contexuit sponsus orationem, qua sponsam permulceret, & ad vnionem arctiorem permoueret, addit tamen præterea rationem aliam ad cor emolliendum opportunissimam.

Quia caput meum plenum est rore. & cincinni mei guttis noctium.

Deus, ac exortæ ab eo cogitationes scelestis hominibus repulsæ, & velut abnoctare coactæ sunt. Et probris tactatis, ve-

lut

lut pruina, & gelidis guttis noctis hyemalis conspersæ.

QVADRVPLEX allata ratio, te, ô sponsa, debet emollire, vt ocyssimè mihi sinus tuos intimos recludas; at quidem sceleſtorum hominum inhumanitas, & crudelitas, qua me à suis ædibus arcent, & quasi sub dio, noctis hyemalis frigori, ac pruinis expositum abnoctare cogunt, te debet præsertim vrgere, vt tantò me interius admittas, quantò à se illi me longius repellunt. Hic animaduertendum est, sponsum, quamdiu sæculi huius ordo vertitur, ex nimia charitate sua, cordium nostrorum frequenti impulsu portas quatere, quod ipse palam effatus est, & per animarum vias sollicitum incedere. Quidam autem hoc iter explorantes ianuam illi pandunt (hi verò perpauci sunt) ad quos libenter ingreditur cænaturus, & cubiturus. Cæteri verò, quorum, vtpote stul-

torum, infinitus est numerus, pulsantem eliminant, & in eum probra & conuicia iactant. De his igitur conqueritur sponsus, aiens. Quia (ob prauorum hominum repulsam) caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Sponsi profectò caput Deus est. Sicut scriptum est, caput verò Christi Deus. Cincinni, seu capilli ab hoc capite enascẽtes, cogitationes sanctæ sunt, à Deo in animam exortæ ac immissæ. Sceleſti verò homines, quorum mens humi defixa est, quando Deum pulsantem ac vocantem repellunt, & cogitationes à Deo spiritu afflante suggestas procùl arcent, pulchra quidem translatione dicũtur sponsi caput, & capillos exponere pruinę, guttis noctium, ac hyemis inclementiæ. Quid enim ea repulsa est aliud, quam ros gelidus, ac pruina perurens? Et profectò quemadmodum immissos à Deo impulsus cum quis admittit, & in medio cor-

Sponsi caput Deus est.

Cincinni sunt cogitationes sanctæ.

de re-

de reponit, pulchre dicitur, eos fouere, & quasi calefacere, ita è contrario, qui eos abigit, noctis inclementiæ, ac pruinis illos exponere, immo, & inmiti rore illos conspergere eleganter asseritur. Iam verò, quam sit efficax hæc ratio; ex sponsę responsione perspicitur.

SPONSA.

Exspoliaui me tunica mea; quomomodo induar illa?

Exui veterem hominem, qui me retardabat, ne tibi aperirem. Et indui nouũ, qui gratia, vt auis pennis vestita, ad te conuolat, noua veste ceu pennis fultus. Quomodo ergo nouum hominem exuere, & veterem induere potero, cum optem aperire tibi?

PORRO Paulus monet, vt qui togam sponsi sunt induendi, veterem hominem cum actibus suis exspolient, & nouum, qui secunpum Deum creatus est, induantur. Col. 3.

Propter vitiatam vero naturam, quę ex protoparentis nostri sanguine propagatur, & natiuam labem, vestis seu tunica nostra nuncupatur peccati corruptela; sicut & vniuersim, quod vnicuique natura dedit, suum propriè appellatur. E contrario verò non suum, sed alienum dicitur, quod aliunde aduenit, nec ex ipsa oritur natura. Si vero alius largitione; vel industria nostra id paramus, nostrum sane, vtcumque dici, at non tam proprie, ac id, quod à natura suscepimus, valebit. Quamobrem, diuinæ gratiæ vestis, supra naturam, ex sponsi largitione concessa, tunica inducta non exactè sua in allato sensu à sponsa poterit appellari; tametsi illius tunicæ verum dominium fuerit adepta. Verè quippè anima Deo grata, dominium gratiæ virtutumque nacta est, quemadmodum & cæterarum rerum, puta gemmæ, vel auri dominium quis dicitur habere, ac proinde non con-

tra iu-

tra iustitiam, sed contra liberalitatem peccat, cum gratiam abijcit, ac negligit. At quia dominium hoc à sponso cælitus collatum est, vltra meritum, sponsa ne sibi arroget alienam laudem, suum appellat dumtaxat, quod ex se habet, nō verò, quod aliunde conquisiuit. Postquam autem tunicam veterem exuit, cernens se mundo muliebri candidaque nuptiarum veste ornatam, nefas esse putat, ea deposita, sordidam illam, quam natiuitate susceperat, vestem resumere, & sponso ipsam comenti iniuriam irrogare. Propterea inquit, Tu me pulsas (ô sponse suauissime) vt ibi arctius adstringar, me penetrare, & cumulatiore gratia in ipso illapsu, seu penetratione, velut nona chlamyde ornare cupiēs; ad hoc enim flagitas, vt aperiam. Quomodo ergo reluctari potero, aut cunctari? Vnum erat, quod, ne tibi aperirem, remorari me poterat, tunica videlicet Adæ, quæ non con-

tegebat, sed grauabat, ne posset animus ea indutus, ad te quantocyus festinare. Erat enim terrena vestis, & tanquam terrestri pondere me olim deprimebat. Verum ego tibi sociata expoliaui me eiusmodi tunica, & pro illa, cœlestem aliam sortita sum; erone igitur adeo insipiens & ingrata, vt ad meum interitum iterum induar illa? Minime quidem. Sed tua veste induta, quæ ad gradiẽdum expeditionem confert, immò, & ad volatum prodest, sicut pennæ, quibus volucres induuntur, & nitũtur ad volandum. hac inquam veste tua, velut pennis vtar. Accurram, immo & aduolabo ad aperiendum. Hæc sponsæ promptitudo adhuc clarius ex pedum lotione perspicitur. Ait enim.

Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Elui affectus terræ instar pedum hærentes. Quomodo elutos à terra cœno, iterum

rum luto infigam, & non potius in te lapide viuo, o sponse, reponam, vt ad aperiendum mundo greßu festinem?

PEDES, quibus incedimus, affectus, quibus vel sursum ex charitate, vel deorsum ex amore terreno gradimur, exprimuntur. Anima quippe affectibus, ceu pedibus iter agit. Pedum verò terram tangentium imagine, vitæ huius mortalis & terræ velut adhærentis affectus significantur. Est autem vita hæc velut argillacea terra & glutinosa, per quam qui graditur, pedes velut in cœno figit, vnde vix eos, ad incedendum, extrahere valet. Et si demum inde illos eximit, cœno hærente, à progressione ij retardantur, atque torpescunt. Sic, qui è cœnosis locis emerserunt, fluuium quantocyus petunt, seseq; ibi abluũt. Cũ verò pedes fluuio detersere, nõ eos in ripæ cœno reponũt, sed in lapide; vbi ab illuuie, ac sor-

Pedes sunt affectus.

dibus sunt immunes. Sic profectò sponsa, quę olim peccarat, & cœnosa per loca incesserat, affectuum pedes, cœno huius vitæ sordidæ inquinatos, diuinæ gratiæ aqua ex sponsi velut latere effluente, proluit. Postquam verò sic abluit pedes, in angulari lapide Iesu Christo statuit illos, ac per viam eo lapide constratam sorde tersis affectibus incedit. Quod psaltes regius diuinitus sibi collatum beneficium canebat, aiens Psalm. 39. Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Et statuit supra petram pedes meos; & direxit gressus meos. Propterea sponsa inquit. Ablui affectus meos, olim mundi cœno sordidos, quomodo iterum eos cœno illo inquinabo, & non potius ijs elutis per lapideam viam, quam tu ô sponse, qui & lapis, & via es, strauisti, gradiar & festinabo ad aperiendum? Nunc vero quid sponsus agat, conuenit explorare.

Dile-

Dilectus meus misit manum suam per foramen.

Sponsus meus per arcanum hiantis voluntatis foramen ex assensu factum, intulit auxilij sui manum.

ANIMA sponsæ ambitu diuinæ custodiæ sæpta est. Propterea non patet furibus ad illam aditus. Obserata est à sponso, ne quis alienus se insinuare possit. Etsi verò illam sic obsignarit, sibi tamen quasi feneſtellam reliquit, per quam more amantium possit illabi. Sic enim amantes condicere solent, vt statis ac definitis temporibus, portis clausis, per posticum domus, vel feneſtram auersam, vel etiam foramen, aut rimam aliquam, cæteris ignotam, ipsis solis amantibus exploratam, conueniant, seque mutuó alloquantur, & fruantur. Hoc ergo foramen elegantissimè significat sponsæ consensum vocationi præbitum. Sicut enim renutus, ac inspi-

rationis repulsa, quædam est voluntatis obturatio & contractio; sic è contrario assensus, quædam est affectus apertio, ac patefactio, foraminis translatione pulchrè notata. Cum igitur voluntas per assensum patet, ac dehiscit, sponsus cõfestim per arcanum illud foramen manum immittit. Manu verò auxilium, opusque notatur, quid ex ipsa rei natura, quæ manum ad exercenda opera, velut instrumentum effinxit, planè conspicitur. Sponsus vocarat, aiens, Aperi mihi sponsa libenter, assensit, aiens, se veterem tunicam, qua olim onusta, aperire nequibat, exuisse, nolleque illam resumere, sed ad vocantem celerrimè festinare. Nunc (qui est diuinæ vocationis, & auxiliorum ordo) per foramen voluntatis hiantis imitrit manum bonorum motuum, & in charitate progressuum effectricem. Vbi cum manu, hoc est, auxilio, ipsamet spõsi persona arctius sponsæ sociatur, &

quasi

quasi per apertum foramen assensus ingreditur, gratiam cumulans, & charitatem. Vt autem liquido elucescat, hanc manus immissionem, esse collationem efficacis auxilij, appositissimè inquit.

Et venter meus intremuit ad tactum eius.

Et voluntatis sponsum continentis uterus, ipso per auxilium efficax tangente, commotus est, & ea motione ad charitatem prouectus. Sed & ob maiestatis illius præsentiam, timore concussus est.

VOLVNTAS, quæ tanquam venter spiritalis sponsum charitate concipit (neque enim aliarum potentiarum conceptus sponsum habet, cum sine diuina gratia non possit fieri) corporati ventris similitudine aptè satis exprimitur. Ad hunc autem ventrem patuit foramen assensus, per quem sponsus illata manu, efficacissimi auxilij tactu voluntatem commouit, quæ rectè dicitur

intre-

intremuisse, hoc est commota efficisse. Quæ fuisse commotio ex Hebraico textu declaratur, ex quo hæc verba habentur. Et viscera mea tumultuauerunt super eo. Alij vertũt. Et venter meus commotus est in ipsum. Hic autem tremor, seu tumultus, motionem voluntatis efficacem adumbrat, qua illa ad charitatis incrementa permouetur. Metaphora vero petitur ex corporeo ventre, qui, cum mollis sit, ossibusq; à natura non sit armatus, & fixus, quando tangitur, facilè tremit, & concutitur. Videtur etiam tremor hic innuere motum quendam summissionis, ac filialis timoris, quem excitat ob suam magnitudinem, ac maiestatem sponsus, cum in anima suæ præsentiæ motum efficit.

Interpretatio textus hebraici.

Metapho-ra.

Surrexi, vt aperirem Dilecto meo.

Tactu sponsi excitata erexi me ad illius altitudinem, cupiens, non foramine tan-

tum

tum illius manum admittere, verum, & totum illum porta voluntatis prorsus aperta, intime recipere. Non enim de quocunque modico illius admissu, sed de maximo, & penitissimo cogito.

ENIMVERO mira est huius, quem Deus in progressu iustitiæ obseruat, ordinis harmonia. Postquam enim sponsum immissa auxilij manu, voluntatem excitasse, & commouisse asseruit sponsa, Surrexi, ait, vt aperirem, quasi diceret; sponso pulsanti, & magis se insinuare cupienti, libere obtemperaui. Surgere quippe, habitus est libere agentis. Surrexi, inquit, non certè quia iacens, sedensue quasi deses reperta fuerit; sed quia more surgentis seipsam euexit; ac si dicat, surrexi, hoc est, ad spõsi celsitudinem me altius, quam antea erexi. Ostium petiuerat, pessulumque amouere iam tentabat; nec enim textui valde quadrat, eam adhuc tanquam in lecto

Surgere habitus est agentis.

decum-

decumbentem pigritari. Quomodo enim (vt metaphora ex corporatis rebus constet) sponsi extrinsecus ianuam pulsantis manus, ad sponsæ ventrem pertigisset, nisi ea iam accurrisset ad ostium, & manũ porrigeret ad fores reserandas. In hoc igitur actu aperiendi, se ait surrexisse, sponsi iam manu tactam. Sed oboritur hic quæstio. Si enim sponsus iam manum immiserat per foramen, quomodo adhuc præstolatur ianuæ reclusionem? Patere autem mysterium poterit, si translationem perpendamus. Profecto in carceribus, alijsque interdum ædibus, in ipsis portis, quæ non passim reserari solent, fenestellæ quædam fabrili opere constructæ, cancelliscque prætextæ patent, per quas & amici colloqui, & manus nonnunquam contrectare consueuerunt. Vbi certè facile dispicimus, quo pacto alter colloquentium, per cancelli foramina & manum immittere, &

Quæstio.

alterius intus existentis, seu manum, seu corpus attrectare posset. At nihilosecius, si familiarius res agenda esset, præter hoc etiam, tota illi ianua deberet aperiri, vt ingressus amicus & amicum, osculari, & amplecti valeret. Ex hac ergo metaphora sensus eruendus est arcanus. Sponsus sanè cum nouum, impellit ad assensum, quasi ostium, voluntatis pulsat, bifariamque admittitur. Aut altera manu quasi per portæ fenestellam vel foramen, quæ quidem manus efficacissimè voluntatem permouet. Est enim, manus Dei, siue cum, fert tactu auxilium, siue cum percutit, potentissima, sicut nouit Iob, quem manus Domini tetigerat. At hoc Iob.19. benè habet. Non tamen vsquequaque sponso satisfacit. Licet enim, cum pœnam infert, se contineat, & tactu infensæ manus, ex commiseratione, contentus sit; verum cum beneficia confert nõ manũ dũtaxat

beni-

benignam porrigere, sed & totum semetipsum, ex bonitate, vellet sponsæ tradere, & in illius cor penetrare. Propterea hic graphicè pingitur ad ianuam, manus immissione minimè contentus, sponsam liquefacere cupiens, vt omnibus quasi animæ poris calore solutis & apertis, per vlteriorem assensum, non qualemcunque sed patentissimum, sponsæ copuletur, & quasi toto corpore, porta recluſa, ingrediatur. Verum enimuerò, vt porta sic sponso patefiat, manuum dexteritate, ac solertia opus est. Propterea sponsa subdit.

Manus meæ distillauerunt myrrham.

Opera mortificationis, quæ sunt manus ad veri amoris in corde latentis domum sponso aperiendam opportunissimæ, instillauerunt quasi myrrhæ guttas, per hoc ad aperiendum aptiores effectæ, quod sunt amaritudine examinatæ. Non effuderunt

myr-

myrrham, nec vero prorsus ea caruerunt, sed instillarunt, ne quid nimis.

Manus ōpera significant.

VVLGATISSIMVM est, manibus figuratè opera significari. Myrrha verò, quam sancti patres mortificationem appellant, exprimi, ex superioribus liquet. Qui autem cupit sponso amore sincero ac forti arctissimè sociari, & perinde voluntatis portam omnino pandere, vt tota domus illi pateat, & ne vnus quidem angulus proprio reseruetur amori, hoc in primis curare debet, vt opera, quibus sponso placere studet, sint myrrhæ amaritudine delibuta, & quasi stactes guttas instillent. Nec enim is amor probari debet, qui mortificationem odit, qua, velut lydio lapide, charitas examinatur. Esset enim hoc tempus anteuertere, & agonis tempore luctam detrectare. Porrò, qui delicatus est miles, & amat tantum, dum à sponso voluptate mulcetur, manus cor-

dis ostio admouere non satagit, immo formidat. Est quippe ostium illud vi illata pandendum, quia æreum est, vectibus ferreis ob peccata obseratum; manus verò molles eam vim ostio non valent inferre, quæ ad ferrea claustra perrumpenda debet imprimi. Oportet ergo eas manus exercere labore, & arcana myrrha delibuere. Vt posita mollitie obdurescant, & voluntatis æreo muro vallatæ claustra perfringant. Enimuerò peccatores, cor lapideum, seu ferreum habere vulgo dicũtur, ob duritiem, manus verò molles, hoc est mortificationi non assuetas. Iusti vero è contrario cor carneum (quod Deus pro lapideo reposuit) manus vero ferreas, hoc est duras laborique assuetas habere censentur. Opera nimirum illorum manibus adumbrata, nihil sunt aliud, quam perennis quædam sensus domitura, ex quo patet, quàm facile hisce manibus cordis porta

reclu-

recludatur. Si enim duris manibus ferrea peccatorum corda ſponſo pandi poſſunt; quantò pandentur facilius corda iuſtorum carnea? Quantam ergo emphaſin hęc ſponſæ cor carneum habentis verba habent; Manus meæ diſtillauerunt myrrham? Profectò (qui mos iuſtorum eſt) nihiló ſegniùs ſemetipſam exercet, ad ſponſum hoſpitio excipiendum, quàm ſi ſceleribus eſſet onuſta, & cor ferreum geſtaret, cuius repagula eſſent violenter effringenda. Ait ergo. Cum noſſem ego, opera ſenſui aduerſa, ad ianuam voluntatis aperiendam eſſe opportuniſſima (qua enim re clarius voluntatis ſponſo aperitur affectus?) curaui vt opera mea myrrhæ mortificatione condirem, & hiſce tanquam duratis manibus, tibi (ô ſpõſe) cordis mei ſecreta patefacerem. Per hoc autem, q̃ manus non vnctas modo, verum & myrrhã liquidam ſtillantes ſponſa porrigit,

mortificationis prodit modum tẽperatum, viris charitate prouectis familiariſſimum. Ne quid nimis. Nec enim commendari debet nimia corporis afflictio, qua fit ineptum ad contemplationem, & diuinæ charitatis functiones. Nec vero à mortificatione deſiſtendum prorſus eſt. Quod eleganter diſtillandi verbo innuitur. Nam cum nubes inſtillant vel rorem, vel ceſſantis pluuiæ guttas; nec omnino deeſt aqua, nec tamen eſt pluuia, ſed inſtillatio, medium, modumque ſortita. Satis Profectò videri poſſet manus myrrhæ vnctione duraſſe, ne vlterius de vnctione digitorum eſſet agendum; quis enim manus obungit, vel eluit, qui ſimul digitos non vngat, & abluat? Verum conſultò ſpiritus Sanctus digitorum meminit ad myſticum ſenſum propalandum.

Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima.

Et discretionis virtus digitis distinctis ostensa, mortificatione quasi maduit, non qualicunque sed studio Deo placendi exercita; ac ab eo proinde probata.

PROFECTO si manus opificium expendamus, comperiemus volam rude quiddam & indiscretum videri, si cum digitorum discretione conferatur, in quibus & motuum distinctio, & applicatio est valde mira. Ex quo fit, vt ea manus deformis sit, quæ vel omnes, vel aliquot digitos habet compactos, vel stupentes, aut exanimes. Innuit ergo spiritus Sanctus his, quæ proximè commemorauimus, mortificationis operibus, laudem minime impendendã, quæ discretione carent. Quod sanè mysterium Septuaginta interpretes nosse videntur, qui sic verterunt: Digiti mei myrrha pleni super manus: quasi notantes, digitos ipsos super manus poni debere, vt volam, quæ tanquam rudis massa carnis est,

sua discretione distinguant, & arcanę myrrhę vsum in operib. doceant.

Non manus vola indiscreta vtẽdum, sed tempora discriminanda & ingenia atque negotia; & quasi quadam digitorum distinctione ad remedium, non ad interitum, myrrha ista vesci debemus. Et expensis personarum ac culparum gradibus, potus hic amarulentus hauriendus est. Debet etiam myrrha hæc, qua digiti pleni sunt, esse non adulterata, sed probata, immò & probatissima. Enimuerò castitas fatuarum virginum, non sine anxietate, ac myrrhæ amaritudine seruari potuit, sensu perpetim reluctante, ac resiliente, at & digitorum discretione caruit, & probata non fuit. Debuit enim sincero Deo placendi studio, ab hypocritarum, ea opera ob humanam laudem exercentium, simulatione, & ficta sanctitatis specie secerni, & quia secreta non est, ideo nec probata. Humanam quidem laudem

aucu-

aucupatæ sũt, & semetipsas eo myrrhæ genere imbutas apud seipsas commendarunt. At vt Scriptura tradit, non ille probatus est, qui seipsum commendat, sed quem Deus commendat. Non ergo tantum fatuarum virginum myrrha probata non fuit, sed nec proba. Quinuerò fuit reproba, quemadmodum & ipsæ virgines, quæ à sponso repulsæ sunt. Hinc planè efficitur, hanc mũdi sollicitudinem, qua elati, & auari, cæterique id genus homines sua opera imbuunt, quando satagentes & anxij, & honores, & diuitias incredibili labore conquirunt, esse quidem myrrham, qua vola manus delibuta est; at non perlabitur ad digitos, & quod funestius accidit, est myrrha reproba, sicut & ipsi reprobi sunt, & à sponsi nuptijs tandem arcẽdi. Manus igitur & digitos myrrha probatissima delibutos portæ admouit sponsa, vt tota sponso voluntas pateret. Quod sic enunciat. Matth 5.

Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo.

Carnem voluntatis meæ portam (ne tota pandatur) retardantem, manibus myrrha mortificatione perunctis, tanquã repagulum seu pessulum amoui, & sic aperui sponso meo.

Pessulus carnem, qua voluntas naturæ compatitur, significat.

Ostij nomẽ voluntas sibi vendicat.

PESSVLVS, qui ostium claudit, carnem, qua voluntas naturæ compatiens afficitur, & ne prorsus sponso tota pateat, retardatur, in ijs etiam, qui charitate prouecti sunt, significat. Ostij verò nomen voluntas hic suo iure sibi vendicat antonomasticè; cum enim plura sint ostia animæ, vnum hoc sponsus affectat, & pulsat, cæterorum velut oblitus. Hoc quippe vnum si oppiletur, necesse est, ille recedat. Si autem officium pessuli spectemus, id agit, dum portas, ne quis ingrediatur obfirmat, quod carnis efficit amor seu affectus, qui intra voluntatem obrepsit, dum diuinis opponitur

impul-

impulsibus. A pessulo vero hoc, etiam egregij certatores, quãdiu carnis pondus gestant, omnino esse nequeunt immunes; semper enim in agone, ac palæstra luctantur. Et hæc eximia illorum laus est, vt cum, quãtumuis proficiant, de pessulo carnis amouendo semper cogitandum sit, vt voluntas magis indies ac magis sponso patefiat, non propterea, succumbant oneri, sed sine intermissione resistant. Hic verò, seu vectis, seu pessulus, non alijs manibus, aut alijs digitis, quàm myrrha perfusus, hoc est, non alijs, quam mortificationis operibus est auertendus, vt cæsa, & edomita carne, quæ voluntatem ad sua vota pellicit, voluntas purgatæ mentis secuta ducatum, sponso tota dehiscat. Quod se præstitisse sponsa fatetur, cum ait, se pessulum amouisse, ac aperuisse Dilecto.

Verum admiratione dignum est, quod sequitur.

At ille declinauerat, atq; transierat.

At ille suæ præsentiæ sensum mihi subtraxit, aut negauit, & se digredi ac transire, licet adesset, simulauit. Declinauit autem, vtpote confestim rediturus.

SOLLICITE pulsarat, & ingressum expetiuerat, & nunc, quando illi patet aditus, præter spem, se proripit, nunc, inquam, cum ne suspicio quidem fugæ poterat oboriri. Sponsa quippe seipsam exercuit, & vt illum digno exciperet hospitio, sensui proprio non indulsit; & tamẽ delusa videtur. At verò, qui diuini callet artem amoris, minimè mirabitur. Euenire quippe solet viris proiectis hæc derelictio, quæ ad excelsi animi perseuerantiam, & constantiam experiendam, fit à sponso consulto. Cernere passim licet viros charitate insignes, qui, quo sollicitius Deum quærunt, & se oratione, magis ac inedia torquent, per plu-

res,

res, non dies tantum, verum & menses, & annos, eò longius videntur à Deo repulsi. Cuius profectò dogmatis non fuit ignarus regius psaltes, qui plerumque sponsum anxiè orans, se derelictum animaduertens, amanter conquerebatur, vt videre licet, si psalmi duodecimi querimonias expendamus, & alias id genus, tùm in eo, tum in alijs vatibus, quæ quo longiores sunt, eo maiore postmodum Dei voluptate compensantur. Qua in re duo præ oculis habenda sunt, quæ interdum simul, seorsum interdum iustis euenire solent, accessio nempe, quam promerentur, charitatis, & internus præsentiæ sponsi sensus. Charitatis autem accessio sanctitatem perficit, non ita sensus ille, tametsi charitatem comitari soleat. Quotiescumque igitur anima seipsam exercet, & affectibus tota sponsó patere curat, actus (vt schola loquitur) eliciens meritorios, charitatis

cæterarumque virtutum noua lucra comparat, ac proinde sanctior fit; verum non semper sponsi, arctiùs sibi in ijs incrementis sociati, præsentiam sentit ac voluptatẽ. Quod diuina efficit sapientia, vt non animo efferatur sponsa, sed humilia de se cogitet, & tutiùs ignotam seruet sanctitatem. Hæc ergo præsentiæ spõsi absconsio, digressio, seu declinatio, transituſque appellatur, cuius ergo sponsa nunc aresçit, miro modo complexa illum, quem putat abesse. Expendenda est loquendi ratio. Non enim sponsa inquit: At ille excesserat, vel abierat. Sed declinauerat, (vel, vt ex Hebræo verti potest, circuierat) atque transierat. Profectò qui à via declinat, vel digreditur, non omnino recedit, sed tantillum se subtrahit, mox regressurus. Qua sanè metaphora elucet, quanam ratione suam viris sanctis Deus præsentiam subducat; non enim eam subtrahit, vt prorsus absit,

Metaphora sumpta à viatore.

sed

sed vt cito rediturus, & iucundiora gaudia, post digressum, allaturus. Breuis nimirum (etsi per annos aliquot producatur) absentię mora est, quando nec serio recedit, nec verè abest, &, quando expedit, à diuerticulo reuersus miris incrementis auget voluptatem. Verbum verò, circuierat, quod ex Hebraico redditur, clarius monstrat, quonam pacto sponsus ægrè digrediatur, & quasi recedere nesciens sponsam ipsam ambiat, & circumeat, quasi qui in loco quopiam, opus habet ineptũ, & perficere illud cupit, vix inde diuelli potest, donec absoluat, & si fortè interdum, inde tantillum abesse oporteat, hac illacque excurrit, & circuit, quasi non prorsus abire decernens. Rectè igitur, nec sine emphasi sponsa inquit: At ille sui mihi sensum, gustumue negans, se recedere simulauit. Verum non abijt ille, sed declinauit, ac digressus est; cito enim illum è diuerticulo reducet,

cet amor. Sed sponsam vlterius gementem audiamus.

Anima mea liquefacta est, vt Dilectus locutus est.

Quando sponsus pulsans me alloquutus est, ipsius igne concepto liquata sum. Anima quippe, velut spiritalibus poris solutis illi tota patuit.

EX his verbis effici videtur, sponsam strenuè se gessisse, cũ à spõso vocabatur, & tunicam se exuisse, ac lauisse pedes aiebat: non enim torpor obrepsit, aut illam desidia retardauit, vt pluribus placet patribus, & cernere licet in Gregorio Nysseno, Psello, Ricardo. Hæc igitur verba illuc referenda sunt, vt eorum sensum venari queamus. Sanè cum spõsa animaduertat, se ieiunam esse derelictam, & Dei sensu carentem arescere, excutit semetipsam, ne fortè sponsum lacessiuerit iniuria, etsi verè non deliquerit. Hic autem mos

Sensus patrum.

timo-

timorati animi est, vt cum, vitam ducens innoxiam, experitur, se velut à Deo proiectum, & aridum, mores & actus suos mente repetat, idē tidemq; versetur; ne fortè quid peccarit, quod sit expiandū, tametsi plerunq; nihil deprehendat in se turpe, sed omnia honesta, & Deo vndecūque grata. Auspicatur ergo sponsa sui examen, & in hunc modum eloqui putanda est. Sponsus impulit me, & ad grandiora vocauit. Ego tunc nihil caulata sum, quo minus fores recluderem. Et vt eam functionem expeditius obirem, manus ac digitos myrrha perunxi, pessulumq; retraxi. Quid ergo vltra facere debui? An cunctata sum, & torpui, cū vocarer? Minimè quidē. Immo vero, cum primum sponsus me pulsans ad vlteriora vocauit, & amanter locutus est, anima mea ea voce traiecta incaluit, ac diuino calore cōcepto liquefacta est, vt illū poris spiritalib. patētib. haurirē. Porrò frigore

cor-

corpus constringitur & constipatur, calore resoluitur, porique patefiunt. Sic anima hyemali culpæ rigore premitur ac contrahitur, diuino verò charitatis calore rarescit, totaque velut poris apertis illa dehiscit, vt sponsum tanquam quædam spongia concipiat. Hoc ergo mysterium sponsa innuit, cum ad sponsi vocem se commemorat fuisse liquefactam. Si vero vtamur versione Septuaginta interpretum aientium (Anima mea exiuit in sermone eius) perspiciemus affectum sponsæ ardentissimum, siquidem rarefacto velut corpore notat animam exijsse, quasi voce sponsi attractam. Talem quippe inesse vim verbis spõsi æquũ est putare, qualẽ verbis Amphionis poëta tribuit aiens.

Versio septuaginta interpretum.

Dictum & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda,
Ducere quo vellet.

Quã

Qua in re nihil apparet turpe, quod sponso recedenti displicere potuerit. Sed incredibili sedulitate sponsum inuestigauit sponsa, vt officio minimè deesset. Sic enim ait.

Quæsiui & non inueni illum. Vocaui & non respondit mihi.

Mortificationis actibus inuestigaui illum. Precibus vocaui, & gemitibus inflectere studui. Sed non affuit.

CVM sponsus pulsabat, ille quærebat me. Et vt amori vicem rependerem, ego constitui pulsare, ac inquirere illum, quando celauit, & subduxit se. Operum exercitatione sine voluptatis sensu, & myrrhæ amaritudine condita, quæsiui illum, vt manus ac digiti stacten instillantes docent, at non inueni. Vocaui, precibus ac gemitibus eum flectere ac exorare studens, at ille tacuit. Opera vitæ actuosæ multa cum na- Opera vitæ actiuæ.

uitate ſponſa exercuit, & contemplationis orbata ſuauitate, vt colũba, gemitum pro cantu edens, meditata eſt, & vocauit. Quæ quidem omnia ex bono ac honeſto ducta videntur. Verum enim ſponſus, qui eam, quam videtur repudiaſſe, nobiliſſimis ſui matrimonij vult amplificare prærogatiuis; vt fiat illuſtrior probata fide, non ipſe tantum illam & repulſa & ariditate cædit, ſed & ab alijs cædi ac diuexari permittit. Sicut enim quidam cecinit.

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt aſpicienda fides.

Propterea Doctorum, apud quos male audit, illam tradit examini. Quod illa ſic fatetur.

Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem.

Percuſſerunt me: & vulnerauerunt me.

Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.

Qui

Qui pastorum ac Doctorum similitudine, non proprietate se tectant, cernentes me à sponso repulsam, vt olim amici Iob, me peccasse censuerunt, ac proinde gladio linguæ percussérunt, & conuictis sauciarunt me. Protectionis pallium vere meum, hoc est mihi debitum, dum non impenderunt, certè abstulêre mihi.

PRÆSVLVM atq; Doctorum munus est, non id solum, vt tanquam in specula stent excubias agentes, externorum hostium insidias exploraturi: ac proinde non tantum pinguntur vt murorum custodes; verum etiam illis iniunctum est, vt interdum obeant vrbem, in eiusque vicos, & angulos se insinuent; quo animos eorum, qui intra priuatos parietes delitescunt, nec in publicum prodire audent, egestate, vel pudore cõpulsi, expergefaciant ad virtutem sectandam, & in diuinæ charitatis officia toto pectore incũbẽdũ. Verũtamẽ accidit nõnunquã, vt

Munus præsulum & Doctorum.

vt qui prę ſulum nomine cenſentur, officij ſimilitudine, non veritate conſtent; ac propterea, ſi externas ſpectemus functiones, ſimilitudinẽ quandam, inanem tamen paſtorum agnoſcemus. Circumeunt vrbem, cui Deus illos præfecit, domos ſcrutantur ſingulas, priuatorum hominum vitæ periculum faciunt; non tamen, vt imbecilles ſtabiliant, & fortes ad magis ardua exhortentur, ſed vt omne verę ſanctitatis veſtigium expungant, & ædificia Chriſto architecto conſtructa funditus euertant. Et (quod nefarium eſt) ſi quam animam diuinę charitatis dotibus opulentam, diuinis interdum conſolationibus recreatam offendunt, immenſam Dei erga homines dignationem ignorantes, illam quaſi phrenitidę correptam execrãtur, ac deluſam aſſeuerant. Figmenta vocant mira Dei conſilia, & quod ipſi ſua culpa non experiuntur, ægrè inducuntur vt credant. Cum igitur,

exper-

expertes consilij animam perfectiorem, qualem hic spiritus Sanctus depinxit, delusam esse sibi persuadeāt, obsequium se præstare Deo putantes, illam acriter carpunt, linguaq; percutiunt, & vulnerant, & protectionis pallij hieroglyphico notatæ operimentum negant, quod impendere debuissent. Ait ergo sponsa: Custodes, quos sponsus præfecit Ecclesiæ, quæ ædificatur, vt ciuitas, sui officij immemores, & ignari, demirati, quæ mihi ex diuino consilio contigerunt, non callentes amoris mæandros, me delusam censuerunt. Et me à sponso cæsam cernentes, vt olim amici Iob peccatum mihi imputarunt, ac si Deus non inferret pœnam nisi sceleratis. Sic tanquam Dei causam propugnantes, me cõuicijs prosciderunt, telisque linguarum sauciarunt me. Et qui me solatio nudam, & velut implumem operire debuissent, solatij mei, hoc est, mihi ab illis debiti pallium pernega-

runt. Hic non est obruendum silentio, quam dirè sponsa (cui similes nonnullas nostra nouit ætas) torqueatur. Hic est lapis lydius, quo Deus charitatis aurum experitur. Sponsa quidem Doctoribus sibi à Deo prælatis credere cupit; at vero adeò perspicua lux interna est, quæ illam non malè agere persuadet, vt ambigendum illi non sit, an tutò sua res agatur. Quid ergo cõsilij in hoc sententiarum pugnantium duello capiet? Spernetne Deum intus illã erudientem? non valet. Contemnet præsules eam deceptam arbitrantes? nefas esse videtur, quia Dei munere funguntur. Conqueretur se maledictis hominum velut à Deo repudiatam diuerberari, & tanquã præceptis prælatorum rebellẽ censeri? Scandalum generabit, præterquam quod ijs querimonijs patientiæ virtus, nunc ad charitatis examen apprimè necessaria, labefactari videtur. Nimirum sponsa anxio

sudat

sudat in agone, & à Doctoribus explosa, aliud, si forte inueniat, quærit asylum. Propterea ad animas cõtemplationis vacantes, qui amandi artem probe norunt, conuersa dicit.

Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis Dilectum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.

Obtestor vos per Deum ô animæ contemplationis gnauæ, si quando sponsum in contemplatione præsentem senseritis, vt suggeratis ei, me ob illius absentiam deficere. Nihil aliud dicatis, quia ille amat me.

FAMILIARE est ijs, qui proximè descripta anxietate torquentur, precari omnes, & eos maximè, quos sciunt virtute præstantes, vt Deum exorare contendant, & ad sua vota conuertere. Acris enim, nimium pœna est, quam patiuntur, & à DEO, & ab hominibus cæsi. Sic spõsa introducitur, deprecãs Hieru-

Filiæ Hierusalem sunt animę sponsi familiares.

salem filias, hoc est, animas, quę spōsi visionis ænigmaticæ iuxta exilij legem pace interdum fruuntur, vt quando eis redierit hæc sponsi cōsuetudo, & in contemplatione familiaritas, suggerant illi vt iam cesset auersio, & in suauissimum sponsæ reuertatur amplexum. Vbi notanda est impense, concisa loquendi ratio. Non enim dicit, Obtestor vos filiæ Hierusalem, si Dilectum alloquutæ fueritis, nuncietis ei, vt ad me solandam ocyus reuertatur, langueo enim propter illum. Sed ait dumtaxat, vt nuncietis ei, quia amore langueo, sicut olim, dum inter nos spōsus versabatur, cum ægrotaret Lazarus, nunciatum illi est, ab sororibus, quæ amoris norant ingenium, Lazarum infirmari, sicut scriptum

Ioan. 11.

est Domine, Ecce, quem amas, infirmatur. Nec enim opus erat monere illum, quid facto opus esset, cum amaret. Sic ergo sponsa loqui existimanda est. Obtestor vos ani-

mæ

mæsponsi familiares, vt, cum eum præsentem sensseritis, dicatis ei, me illius amore languere, ac deficere, nec vltra quicquam dicatis. Hoc quippe amanti satis est. Huius autẽ nuncij energia clarius elucet ex verbis, quæ ex Hebræo vertuntur. Sic enim sponsa inquit, si inueneritis Dilectum meum, quid indicabitis ei? quod sub interrogatione legendum est. Postmodũ, adiungit, Quia ægra amore ego. Ac si diceret: Filiæ Hierusalem si sponsum conueneritis, quid putatis me velle à vobis illi indicari? Hoc tantum. Quia ægra amore ego. Hic quæ ad languorem, & adiurationem spectant, ex superioribus petantur. Interea verò animaduertendum est, hoc ardentissimum desiderium, sponsum præsentem eximia cum voluptate sentiendi, non esse à prouecta charitate alienum. Quamuis enim cõsolationis ergo Dei præsentiam expetere, videatur animi parum perfecti in-

Versio Hebræa.

dex; illam tamen ideo exoptare, quia luculentiorem Dei parit notitiam, & voluntatem nouis charitatis augmentis, inflammato tunc affectu, cumulat, & voluptatem denique illam ob charitatis finem affectare, perfectionis argumentum est, præterquam quod ipsa philosophica ratio, id desiderium honestum, immò & quasi necessarium esse, persuadet. Est enim natiuum amori & vnionem & præsentiam rei amatæ cupere, quod passim experimur. Nunc verò, vt sequentis periodi connexio percipiatur, meminisse oportet, (quod frequenter accidit) eos, qui verè amant, de illa, quam affectant, rei dilectæ pulchritudine, adeo crebrò & cogitare & loqui, vt de nulla re alia, nisi ægrè, verba faciant. Et, cum ex euentu quopiam repulsam patiuntur, non propterea tepescere, sed cum frui non sinantur, loqui saltem ac cogitare non cessant. Quamobrem, qui

Amor rei amatur concupiscentia.

eos

eos languentes recreare cupit, nihil præstare potest opportunius, quàm cum ijs, de illis, quos amant, miscere sermonem. Quam ob causam, cum sponsa animas contemplationis gnaras consolationis gratia adijsset, illę vexatam & anxiam eam conspicatæ, de sponso verba facere incipiunt; & vt sermo sit iucundior, quadam insinuatione vtuntur, non ipsę auspicantes, sed vt sponsa auspicetur interrogantes.

Filiæ Hierusalem.

Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto.
O pulcherrima mulierum?
Qualis est Dilectus tuus
ex Dilecto, quia sic
adiurasti
nos?

Qualis, (hoc est) Quam magnus, bonus, facilis, est sponsus dilectus ex dilecto suo æterno patre natus, quia tam grauiter eius freta magnitudine, adiuratione per illum, obligare voluisti nos.

Rogant

ROGANT de sponso, non quod ignorent, sed quod hac insinuatione se ignaras simulantes, sponsam ad miras Dei laudes incendũt, ob quas illa ad sponsum peruestigandum fit aptior, & Deus ipse illius flexus affectibus, fit sua bonitate vicinior. Interrogant igitur, O mulierum pulcherrima, hoc est; ô inter animas, quæ Deum cõcepêre, speciosissima, qualis est sponsus tuus dilectus, ex dilecto suo æterno patre natus? Qualis est, hoc est, quam magnus, quam pulcher, quam humanus, quam facilis? Oportet sanè illum esse suis numeris absolutum, & omnino perfectum, & magna veneratione colendum, siquidem eius magnitudine freta, sic adiurasti nos, tanquam volens per illum nos obstringere, & nos illi obtemperare debere ipsa adiuratione demonstrasti. Alij significantius vertunt: Quid insigne habet tuus dilectus præ alijs dilectis, quod tanta grauitate nos

Pulchertrima mulierum.

Dilectus ex dilecto suo æterno patre natus.

obte-

obteſtaris? Iuxta quam verſionem non innuitur æterna verbi generatio, ſed cum alijs generatim confertur, qua interrogationis forma filiæ Hieruſalem minus ſe callere ſponſum indicant. Et energiam auget, quod aiunt, Quod tanta grauitate nos obteſtaris, quo innuunt, ſe credere ſponſam iactare ſe de ſponſi magnitudine. Cupimus ex ore tuo eius dotes audire, iucundum enim eſt & ad dolores leniendos opportunum eas commemorare. Nunc ſponſa, velut in tabula, vmbris & coloribus varias ſponſi dotes depingit, & inter encomia æſtuat, ſponſumque more magnetis attrahit.

SPONSA.

Dilectus meus candidus & rubicundus.

Sponſus meus candor eſt lucis æternæ, & æterno rubet ac flagrat amore, quà Deus. Quà homo, candet ob puritatem,

rubet

rubet ob nostram consanguinitatem. Denique est Deus incarnatus.

SIMVLARVNT filiæ Hierusalem, se nescire. At siue serio, siue ioco id fiat, motum admirationis in sponsæ animo excitat. Mirum enim illi videtur, quempiam de sponsi pulchritudine quippiam scisciatari, cum sole aspectabili, quem vniuersi norunt, sit ille clarior, & nullus sit, qui se abscondat à calore eius. Respondet igitur laudes illius libenter euulgans. Dilectus meus Deus & homo est, bifariam candidus & rubicundus. Candidus est, qua DEVS; est enim candor lucis æternæ, splendorque paternæ gloriæ. Rubicundus est, ob æternum sui amoris, quo flagrauit incendium, quamobrem iure toties patribus antiquis ignea apparuit sub imagine. Est etiam candidus, quà homo, propter purissimam, omnique culpę nigredine prorsus immunem naturam,

Dilectus Deus & homo est. Sap. 7.

quam

quam assumpsit. Est autem rubicundus ob sanguinis concretionem, ex qua eius caro compacta est, ita vt in assumpta natura rubor (vt more philosophico sermo fiat) materiam, candor vero formam, idonea discretione declaret. Forma vero puritatis niue candidioris, quæ naturam illam nobis consanguineam, nostroque consortio rubentem, obtexit, ea fuit, cui æqualis nulla vnquam sub Deo vel nituit, vel nitebit. Potest etiam esse in sermone discretio, vt candidus qua Deus tantùm, rubicundus verò, quà homo asseratur, ita vt innuatur hominis cum Deo coniunctio, & quæ à sanctis patribus appellatur Incarnatio. Porrò color incarnatus Hispanis dicitur color ex candido & rubro permistus, quapropter iuxta Hispani idiomatis dialectum seu proprietatem, arcanè & eleganter sponsa respondet, ex colore mysterium indicans. Tantundem quippe agit

Coniunctio hominis cũ Deo Incarnatio appellatur.

cum

cum ait, Dilectus meus candidus & rubicundus, ac si diceret, Dilectus meus, Deus incarnatus. Sequitur autem.

Electus ex millibus.

Natura, non munere, vniuersis creaturis melior est.

Electio gratia aut natura fit.

ELECTVM quempiam bifariam possumus intelligere, gratia videlicet, aut natura. Gratia seu munere quosdam selegit Deus, & in suum quasi peculium cooptauit. Alios verò electos vulgò nuncupare solemus, quos natura, nobilitate, pulchritudine, viribusue præ alijs insigniuit: Et hoc plane modo sponsus est electus ex millibus. Cum enim sit filius Dei non adoptiuus, sed naturalis, naturaque ipsa, sine rapina aut munere sit æqualis Deo, nobilitate, pulchritudine, cæterisque bonis efficitur omninò, ipsum natura sua vniuersis creaturarum mil-

Filius Dei electus naturalis.

libus

libus esse præstantiorem, & in eo sensu ex millibus electum. Ex Hebraico aliqui sic vertunt (Vexillatus à decẽ millibus) alij verò sic (sub signis habẽs exercitum decem millium) qua sermonis forma, functio, quam habet, exercetque in Ecclesia, signatur. Est enim Dux ac princeps militiæ Christianæ, quem vexillum crucis tenentem, decem myriades, hoc est, vniuersi iusti denario ac millenario numero propter perfectionem significati, inuicta fortitudine sequuntur. Possumus etiam in prima electi significatione, sponsum, qua homo est, electum appellare ex millibus. Cum enim carnem nostram, quæ ex naturali constitutione albet ac rubet, assumpserit, ratione carnis candidus ac rubicũdus appellatur. At', quia ea caro supra vniuersorum hominum naturalem originem, non Adæ seminis propagatione, sed ex purissimo Virginis Mariæ sanguine concreta, &

de spiritu Sancto concepta est, iure optimo in assumpta carne dicitur electus ex millibus. Hoc de sponsi præstantia generatim assertum est, nunc verò per partes expendenda est eius perfectio, & à capite auspicandum.

Caput eius aurum optimum.

Diuina hypostasis assumptæ à asponso naturæ, vt caput corpori, præsidens, motumque diuinum impertiens, est aurum, quia regiam habet maiestatem auro notatam. Est aurum optimum, seu obrizum, hoc est, omni mistura carens, licet enim hypostasis Verbi naturæ humanæ intimè vnita sit, non tamen vllo modo permista.

Diuina hypostasis.

CAPVT Christi Deus. Sanè si mysterij incarnationis structuram perpendamus, perspiciemus apertè diuinam Verbi hypostasin naturæ illius assumptæ partibus velut membris caput præsidere. Quod quidem caput diuinum quendam

motum, & vim meriti ac satisfactionis partibus illis impertit, & augustissimæ dignitatis cœlo altioris in eas euergit influxum. Hoc vero caput, ob regiam maiestatẽ, auri symbolo planissimè significatur. Quod luculentius fiet, si auri proprietatem per adiunctum optimum indicatam exploremus. Porrò, pro auro optimo, Septuaginta senes (aurum Cephaz) habent, quod nomen Hebraicum consultò reliquisse Gregorius Nyssenus putat, quod non reperirent in lingua Græca vocabulum, quo emphasis Hebraici nominis exprimi posset. Nonnulli tamen ex Hebraico vertunt, aurum obrizum. Est autem obrizum purissimum aurum omni mistura carens. Qua profectò significatione magis claret allata interpretatio. Enimuerò hypostasis sponsi, etsi intimè sociata, & vnita est humanæ naturæ, non tamen est illi permista, nec enim vllo pacto creaturæ permisceri potest.

Auri proprietas.

Obrizum aurum purum.

Mistio nimirum iuxta sinceram philosophiam, ea quæ miscentur confundit, quæ deinceps indiscreta manent, vel certe alterum ab altero potentiore vincitur; & in ipsius naturam conuertitur, vt videre licet, si aliquot aquæ guttæ vini generosi calici misceantur. Neutrum autem horum de Incarnationis mysterio suspicari fas est, nec enim hipostasis diuina cum assumpta natura cõfusa est, nec assumptam naturam in se conuertit ipsam, sed exactissime perseuerauit in vnione distinctio. Rectè igitur sponsa inquit, caput eius aurum optimum, obrizum, hoc est, omni prorsus mistura immune. Modo verò de capillis laudem apponit.

Comæ eius sicut elatæ palmarum.

Scientiæ à capite hypostasis diuina in intellectum sponsi infusæ, & actus suos ad

nostram

nostram salutem producentes, sunt persimiles folliculis, seu loculis, ex radice, per caudicem palmæ nascentibus, &, cum dehiscunt, flores suos emittentibus.

COMAS seu capillos à capite ortos, sciētias ex vi vnionis hypostaticæ emanantes, & ex eis cogitatus erga salutem generis humani, à diuina hypostasi enascentes, & per naturam assumptam, velut per corpus illius capitis effusos intelligere idoneum est. Elate verò sicut pentecoste inflectitur, à qua plurali numero Elatæ in editione nostra legūtur. Elaten verò alij Abietem, alij palmam, alij spathen appellant, alij palmarum ramos elatiores credunt, alij fructus palmarum masculorum, ita vt sit in huius nominis interpretatione mira varietas. Posito nunc, nomen hoc licet latinè inflexum, esse tamen ipsum origine Græcum, quod singulari numero, elate, dicitur, attexenda modo sunt, quæ ex

probatis authoribus de plantarum historia scribentibus, huc spectantia excerpsimus. Nascitur inter primos ferè palmæ ramos, ex ipso caudice procero, recto, terete, corticosus loculus duarum spithamarum, hoc est, vigintiquatuor digitorum longitudine, ad latioris cuiusdam gladij formam, quem palmam totius arboris nomine, & elaten, & spathen appellari sensit Dioscorides. Ex clate verò ipsa dehiscente, ac in longum sese pandente flores erumpunt numerosi, tenuibus villis appensi, instar magni racemi coaceruati. Ex his floribus enascuntur dactyli, fructus videlicet illi teretes, oblongi, nucleo intus durissimo, oblongo, & canaliculato. Sic elaten palmarum iuxta nostram editionem propriè, quæ ex ipsa palmarum natura sit, non verò arborem aliam exoticam & peregrinam metaphoricè elaten palmarum appellatam, vt aliqui putarunt, interpre-

tari

tari congruentius est. Nunc verò similitudo comarum seu cogitationum sponsi ad elatem expendi debet. Porrò quod homini est caput, id est arbori radix, & sicut à capite hominis deorsum tenditur collum & corpus, ad quæ perlabitur capitis influxus, ita ordine inuerso (est enim homo inuersa arbor) à capite seu radice arboris vitalis ille humor, per caudicem & ramorum ambitum sursum quasi per collum, corpusque proserpit. Non ergo situs ordo, sed proprietas partium mutuò collatarum, quando homo arbori confertur, debet explorari. Sic igitur sponsus, cui palmæ egregiè quadrat similitudo, hypostasin diuinam velut palmæ caput seu radicem habet. Ex hoc vero capite porrigitur humana natura, caudice procero, recto, teretiq; palmę signata. Ex hoc caudice lõgo ac recto vnionis hypostaticæ vi velut enascũtur pluriũ scientiarũ, putà beatę, ac infusę habit°,

Quod homini est caput, arbori radix.

à capite orti, quorum singuli cum elate miram gerunt similitudinem. Sicut enim ex elate, qui est ille corticosus loculus sese pandens, tanquã partu quodam numerosi flores erumpunt, sic ex habitu sciẽtiæ multiplicis, in intellectu sponsi conceptæ, ac velut ad partum dehiscentis, erumpunt numerosi actuum & cogitatuum flores, quos omnes ad nostram videre licet salutem intentos, qui in fructus concrescere dicuntur, quando, patrata illis cogitatibus salus, ac à nobis sponte recepta, in animo nostro coalescit. Sunt ergo scientiæ in intellectum sponsi ab hypostasi diuina, ceu capite, capillorum more fluentes, & cogitationes, vel actus suos ob nostram salutem edentes persimiles loculis è palmæ caudice nascentibus, & flores emittentibus. Habemus ex his comarum, & elates similitudinem. Palmæ verò cum sponso similitudo constat, si illius libremus ingenium.

Nun-

Nunquam enim palma cedit oneri, sed semper in altum nititur, ac pondus attollit impositum. Sic verè sponsus grauissimum peccatorum pondus illi impositum non excutiens, nec verò oneri succumbens, totum genus gestauit humanum, & vi suorum meritorum in altum euexit. Ex quo patet, sponsum esse translatè palmam, habere scientiæ elaten., emittere inde flores cogitationum ad nostram salutem directarum, ex quibus in nobis fructus palmę ipsius arcanæ generatur. In Hebraico textu, nec qui nunc habetur, nec in Septuaginta interpretum versione habentur ea verba, sicut elate palmarum. Sed in Hebræo sic legitur. Cincinni eius crispi. Qua sanè voce innuitur diuina consilia, vel cogitationes erga salutem nostram esse mirabilia, nec curiosius inuestiganda. Quis enim cognouit sensum Domini? Hoc autem mysterium indicatur per capillorum crispitudi-

nem. Hoc enim discrimine capilli crispi, à propexis & sine tortura fusis secernuntur, quod hi se totos spectandos exhibent, at crispi partem aspectui exponunt, partem, suo flexu, & contorsione contegunt, visuiq; negant. Mirum est autem quod sequitur.

Nigræ quasi coruus.

Scientiæ sponsi, & ab his prognatæ cogitationes imperuestigabiles sunt, & captui nostro obscurissimæ. Nec diuturnitate senescunt.

SCIENTIARVM, quibus sponsi intellectus, ex Verbi influxu, nobilitatus est, hæc verba clarissimum continent encomium, ex duplici verborum interpretamento conflatum. Porró cum de coruo fit mentio, non probatur auis inauspicata oculos configens & eruens, sed solus color perfectè niger accitur. Hac verò perfecta nigredine proditur, quàm sint humano captu incomprehensibiles scientiæ illæ. Etsi enim

Corui color.

in

in seipsis illustrissimæ sint, oculis tamen nostris nec capi, nec attingi possunt, obscurissimęque proinde sunt, & propterea nigræ pulchra translatione nuncupantur. Vulgata quippe metaphora, quod obscurũ nobis est, nigrum appellatur, quod est ex sincera philosophia depromptũ. Sicut enim albus color lucis habet plurimum, ita è contrario niger tenebris finitimus est. Tenebræ autem nigræ dicuntur, eleganti similitudine. In tenebris autem sponsus posuit latibulum suum, ita vt ea etiam, quæ ex se sunt splendidissima, dum à nobis considerantur, appareant, ob eximiam altitudinem visu nostro potentiorẽ, tenebris, & nube densa contecta, qualem olim aspectum sui in ænigmate exhibuit in solitudine, cum densa nubes mõtem, vbi coruscabat gloria Dei, operuisset. Sunt ergo scientiæ spõsi in se quidẽ candidissimæ, ac clarissimę, nobis verò illum contemplantibus

niger-

nigerrimæ, hoc est, obscurissimæ, vt non immerito de his etiam cum Paulo sic effari possimus. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incõprehensibilia sunt iudicia eius (quæ scilicet per eas scientias concipit) & inuestigabiles viæ eius (quas videlicet per eas scientias disponit.)

Rom. 11.

Secunda horum verborum interpretatio singulare quiddam innuit, quo scientiæ sponsi à nostris quantumuis perfectis facile secernuntur. Nostræ nimirum, postquam multo labore paratæ sunt, post dies paucos incipiunt senescere, ac deficere, partim ex obliuione, partim ex naturali imbecillitate. Cum enim ætas vergit ad senium, sicut corpus sensim deficit, ita mens corpori alligata in eo genere senescit, & velut ad infantilem recurrit simplicitatem. Vt ergo scientiæ sponsi nec obliuione, nec ætate, nec æternitate senescere, ac deficere noten-

tur,

tur, sine canitie; & cum iuuentutis nigrore, viribusque pinguntur, vnde patet, quam laudem contineant ea verba. Nigrę quasi coruus, quæ turpe quippiam, cum audiuntur, continere videntur. Hæc de comis asserta sint, de oculis mox sponsa laudem annectit.

Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ & residentiuxta fluenta plenissima.

Oculi interni sponsi sunt sicut columbarum candidarum in aquis accipitris insidias obseruantium oculi, quibus omnia nuda sunt & aperta. Intuitus quippe animæ iustæ, vitæ tam candore purgatus, & in scripturarum aquis viuentibus, arcanos sensus, & astus dæmonis penetrans, simillimus est intellectui & diuino, & humano gloriæ lumine perfuso, quibus tanquam duobus oculis sponsus insignitur.

Oculi notitiam significant.

OCVLIS & apud Philosophos & apud Theologos notitia pulchrè significatur. Vnde & intellectus suis actibus velut quibusdam obtutibus cernens aptè nuncupatur oculus. Sponsus etiam singulari ratione, oculi nomen in diuinis sibi vendicat, eò quod ab æterno Patre notitia cõcepta est: quamobrem Theologi ea nomina, quæ ad notitiam, spiritalemue oculum spectant, sapienter sponso attribuunt. sponsus autem, antequam nostra indueretur natura, oculo nòtabatur vno, cui vniuersa nuda & aperta erant. Postquam verò ad nos delapsus est, alterum suscepit oculum, humanum videlicet intellectum, gloriæ lumine splendidissimo perfusum, & post diuinum, inter creatos omnes longè illustrissimum. Binos igitur oculos sponsi cupiens sponsa commendare, & nonnullam eorum similitudinem, ex his, quæ nouimus, afferre, quò eorum pul-

chri-

chritudine incendamur, ait. Sane difficillimum est oculorum sponsi vestigium reperire; at si quid est in terris, cuius aspectus nos in illorum cognitionem inducere queat, oculorum columbæ ingenium id erit. Profecto non de corporatis & mentis inopibus, sed de symbolicis columbis habetur sermo. At sensus ex ijs auibus educendus est. Solent eæ volucres ad amnes considere, & aquas attentius introspicere, vt inimici accipitris rapinæ tempus captantis volatum ex imagine ab aquis reddita deprehendant. Dicuntur vero lacte lotæ, ad eximiũ earũ auiũ candorem innuendũ, ac si lacte corpori seu pennis hærente niterent. Enimuerò, cum quis aqua abluitur, nihil illi hæret, ob aquæ naturam minimè resinosam, aut pinguẽ, omninoq; fluxam; at cum liquoribus alijs pinguibus eluitur, ex quorũ genere lac est, q, facile contrahitur, & cõcrescit, grumi quidã, seu coagula

Columbæ natura.

cuti

cuti adhæreſcunt, & liquoris calore cutis obducitur. Ex ipſa verò lactis natura, non ex hiſtoria tranſlatio petenda eſt, vt columbæ lacte lotæ, hoc eſt, candidiſſimæ nuncupentur. Sic enim dicuntur lacte lotæ, ac ſi appellarentur niue dealbatæ, vt in Pſal. 67. Niue dealbabuntur in Selmon. Vbi ablatiuus, niuē, ſimilitudinis eſt, ac ſi diceretur. Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon, hoc eſt, erunt fideles albi, vt nix in monte Selmon, dum cœleſtis Deus diſcernit, hoc eſt, iudicat & proſternit reges tyrannos, qui ſæuiunt ſuper eam ſcilicet Eccleſiam. Duo igitur ex ijs volucribus, ad ſpiritales animas columbarum tranſlatione ſignatas traducenda ſunt, & accipitris in aquis inſpectio, & eximius candor. Illę videlicet animæ columbis hiſce exprimuntur, quæ purgatiſſimo intuitu, ac ſimpliciſſimo, ſine vlla deceptione, in aquis puriſſimis Scri-

ptū-

pturarum ex paradisi fonte, hoc est, ex sponso authore manantium, cernunt, & velut ex vmbra deprehendunt dæmonis, more accipitris rapinam affectantis, insidias; vt eas vitent, ac immunem omni labe vitam hoste deluso agant. Quæ quidem animæ, cum emphasi, lacte lotæ dicuntur, ob eximium, quo nitent, vitæ candorem. Qui sanè candor, ac vitæ insignis puritas, mirificè conducit ad internum intuitum acuendum, & ad accipitrem illum in Scripturarum intellectu deludendum, sicut de Theodoro monacho Cassianus tradidit, quem ait notitia Scripturarum præclarè nituisse, non tam ex lectione, aut studio, quam ex insigni, & sola cordis puritate. Hæc itaque vitæ puritas contulit illi perspicacitatem visus interni, quo aquas Scripturarum inspectabat, & ibi accipitris insidias percallebat. Scripturæ verò, & riuuli, & fluenta plenissima pulchrè nuncupantur,

Theodorus monachus.

pro captu enim suscipientium vel parcius, vel copiosius fluunt. Discrimen autem hoc ipse textus innuit, dum oculos sponsi tales ait esse, quales columbæ sunt super riuos, vbi notantur columbæ parcè agentes; quæ tamen postquam candidiores effectæ sunt, tanquam lacte lotæ, cum energia asseruntur residere iuxta fluenta plenissima, vtpote, cum iam purissimum intuitum vitæ candore assecutæ, sacræ Scripturæ sensum, non iam vt riuulum, sed vt amnem exundantem contemplantur. Quod verò riuuli, & fluenta hęc, non velut aquæ quiescentes, sed vt excurrentes pingantur, mysterium est, quo aquæ viuentes, ac in vitam æternam salientes significantur, quæ multo clarius, quam aquæ nostræ mortuæ, spectantium ac è regione consistentium reddunt effigies, fluunt enim sine fluctuatione ac cœno. Animæ igitur sinceræ columbis assimiles, quæ proximè de-

scri-

scripto vitæ candore, & visus interni perspicacitate nitent, sunt, quibus similes habere oculos sponsus asseritur. Quemadmodum enim naturæ diuinæ sponsi nihil inter creaturas similius diuina gratia, qua iusti ornantur & diuinitatis consortes fiunt, reperitur; ita oculis eius, quibus vniuersa patent, nihil in terris vicinius ostendi potuit, quam sint interni iustorum oculi candore vitæ purgatissimi, ad sensus arcanos Scripturarum, & in eis dæmonis astus penitissimè inspiciendos acutissimi. Per illam verò non breuem, sed diuturnam columbarum iuxta aquas permansionem, & assessionẽ notatur iuge sponsi studium ad explorandas hostis nostri versutias, ac si diceretur, oculi eius, dum perenniter hostẽ explorant à nobis arcendum, id agunt, quod ad accipitrem vitandũ, oculi columbarũ residentium propè amnes copiosos. Similitudo est inter oculos iustorum, &

oculos ſponſi, non qua iſti referantur ad illos, ſed qua illi ad iſtos reducantur iuxta veram Theologiam.

Succurrit altera horum verborum interpretatio minimè triuialis, quæ ad duos illos pulcherrimos oculos exprimendos plurimum conducit. Sunt (inquit ſponſa) ſicut columbæ quæ lacte ſunt lotæ. Ex his quippe dumtaxat verbis explanatio iſta promenda eſt. Eſt autem præ oculis habenda imago quædam columbæ, cuius oculi lacte abluuntur. Solent oculi ægri collyrijs inungi, & elui, vt cernere poſſint: ſic in hoc loco, lac pingitur vt arcanum quoddam collyrium, oculorum intuitum eximiè perficiens, quo poſſit oculorum ſponſi perfectio declarari. Quod vt eluceſcat, animaduertendum eſt, lactis hoc eſſe inter humida liquidaque proprium, vt in eo nullius rei conſpiciatur imago, quæ laus eximia oculorum eſt. Enimuerò cæte-

ra liquida ſpectantium effigies reddunt, modo breuiores æquo, modo longiores, nunc obuncas, nunc refractas, interdum confuſas & obnubilatas, & denique ſi quis liquor eſt, qui nõnunquam iuſtam reddat ſpectantis imaginem, inconſtans eſt, & ad fallendum aptiſſimus. At verò lac, cum ſpectatur, nullum vmbratile ſimulacrũ obijcit aſpectui, quo falli poſſit, ſed ipſam ſuæ naturæ ſinceram & conſtantem veritatem, in cuius aſpectu oculus minimè decipitur. Sic oculi ſponſi (quos iuſtorum oculi æmulantur) nihil, quod in rerum natura non conſtet, nihil erroneum, nihil vanum, nullũ vmbratile ſimulacrum fraudulenter repræſentans recipiunt, quo falli poſſint, ſed ipſammet ſinceram veritatem inſpectant, deceptione prorſus immunes, quod etſi vniuerſim oculis ſponſi, quacumque ſcientia vtantur, graphicè quadret, eximiè tamẽ competit & intellectui diuino, &

humano gloriæ lumine vtenti: vtroque enim hoc modo, ſuum intuitū ab ipſa ſinceriſſima & natiua veritate, apud quam non eſt obumbratio vlla, numquam ille diuertit. Idonea nunc ſerie genas ſponſa commendat.

Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs.

Sermo ſponſi aromatibus, ex quibus vnguenta contra morbos conficiuntur, eſt ſimilis, morbis enim medetur vniuerſis. & eſt velut areolis diſtinctus, ſuis temporibus, ſine confuſione ac perturbatione enunciatus:

VVLGARIS eſt phraſis, qua metonymicè guttur dulce, & alia id genus plura appellamus, lepidum ſermonem cauſæ vel inſtrumenti notatione ſignificantes. Quapropter cum genæ, vel, vt ex Hebræo redditur, maxillæ, ad vocem conformandam naturæ ſint inſtrumenta os

ta os claudentia (non enim guttur & palatum dumtaxat voces ederent distinctas nisi genis sæpirentur) fit inde, vt sermonem figuratè notent, quem sponsa, ea velut Ægyptia nota, cupit laudare. Quapropter areolis aromatum sapienter discretis, ac consitis, eum sermonem sponsi, arcano sensu comparauit. Quas areolas ideo dicit à pigmentarijs vel vnguentarijs consitas, vt notet eorum studium, ac culturam, qua egent, vt materiam habeant conficiendis vnguentis expetitam. Iam verò duo præsertim sunt in eiusmodi aromatibus consitis, quæ ad sponsi sermonis laudem conducunt. Est nimirum materia vnguentorum morbos pellentium, quæ est laudatissima sermonis sponsi vis, more panaceæ cuiusdam, vniuersas animæ pellens ægritudines. Est præterea culturæ diuinæ arte quasi areolarum mira discretio. Non enim verba sponsi sunt secum permista, &

Genæ sermonem notant.

perturbata, quemadmodum, cum sine discrimine leguminum, florum, fruticumque semina tumultuariè in eadem seruntur area, sed suis tanquã in stationibus dispositа, suo tempore, ac ordine, opportunè prolata, & per hoc internis oculis speciem perpulchram exhibentia, qualem oculis externis obijciunt areæ à peritis cultoribus mensura discretæ, ac distinctis seminibus excipiendis subactæ. Hæc quippe areola violis, illa caryophyllis, alia denique alijs est plantulis destinata, quo sanè aspectu nihil in hortis gratius inuenitur. At vt perfectè omnino vox conformetur, labijs, præter guttur, palatum, & genas, opus est; propter quod commemoratum sponsi sermonem, sub alia translatione sponsa collaudat.

Labia eius lilia distillantia myrrham optimam.

Elo-

Eloquia sponsi casta & ad puritatem inflammantia, & crucis mortificationem prædicantia.

LABIA metonymicè, vt genæ, clariùs tamen, quàm illæ sermonem sponsi significant. Quæ lilia nuncupantur, eo quod eloquia spõsi, sunt eloquia casta, & argentum septies purgatum cœlesti candore splendidum. Quæ quidem similitudo, etsi toti prorsus doctrinæ sponsi exactissima puritate nitenti quadret, illi tamen sermoni potissimum conuenit, quo ille olim virginitatem, tanquam legis nouæ lilium suadebat, & consulebat. Labia etiam hæc optimam myrrham stillare feruntur, frequentissimè enim sponsus crucis mortificationem commendabat, & quot edebat verba, to stactes emittebat guttas, vt quod exemplo docebat, verbo solidaret. Dicuntur autem hæc labia distillare myrrham, non qualemcunque,

Labia sermonem sponsi significant.

sed optimam, vt discriminetur à sæculi huius myrrha pessima, quam ex ore fundunt, qui alijs labores ac vigilias, & eius generis plura, ad honores vanè aucupandos, & diuitias iniustè conquirendas persuadent. Quam sanè myrrham pessimam sitienter hauriunt filij huius sæculi, sicut quidam dixit.

Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Sic depicta labiorum venustate, manuum sponsa cum meminisset, illarum amore vehementer oborto, eas commendare festinat.

Manus illius tornatiles aureæ.

Opera sponsi sphærica, & quasi per acto circulo absolute bona, & quasi aureum regiæ ac diuinæ Maiestatis fulgorem emittentia.

Manus opera sponsi significant.

MANVVM translatione, vulgata phrasi, opera sponsi intelliguntur. Quæ torno fabrefactæ dicun-

tur,

tur, vt non arentes, venis extuberãtibus, articulis eminentibus, internodijs compressis deformes appareant. Eximia namque in manibus elegantia est, cum à vola, quæ succosior & habitior esse debet, digiti modicè crassi ac rotundi, sensim graciliores vsque ad extrema procurrũt; & in aciem obtusam desinunt, ac si torno ducti essent. Accepta igitur hinc metaphora. Manus sponsi (inquit sponsa) torno ductę videntur, rotundæ, circulique figura omniũ perfectissima insignes. Opera quippe sponsi exacta, & perfecta, quasi torno ducta sunt, vnde cum condidisset mundum, & suas manus, hoc est, opera sua contemplaretur, omnia vidit esse valde bona, quasi orbiculari figura suæ perfectionis insignita. Et quidem manus tornatiles in diuina spõsi natura, ex mũdi creatione facilè perspicimus. Humanæ verò naturæ ab eo assumptæ manus diuinitate motas attẽti⁹ speculãtes, Gen. 1.

com-

comperiemus eas torno circumducto elegantissimè fabrefactas. Enimuerò qui ad opera fabrilia torno vtitur, multò citius, ac faciliùs ac perfectius operatur, ijs, qui alijs vtuntur instrumentis, puta dolabra, scalpro. Sic sanè inter vniuersos, vel angelos, vel homines diuinitus afflatos, nullus mira patrauit vnquam, vel tanta facilitate, vel tam eximia perfectione quam sponsus. Profecto vel cum pelleret morbos, vel mortuos ad vitam reuocaret, nec ieiunijs se vexabat ipsum, nec actuosè nimium se prosternebat, vel simile quippiam præstabat, sed vel solo actu interno volens, vel etiam externo imperium manifestans, prodigia perpetrabat. Ac exinde, si quando vel flebat, vel orabat, non tanquam indigens, sed velut gratias agens & nos erudiens, eos actus obibat. Hæc est manuum sponsi, etiam humanarum pulchritudo tornatili opere signata, qua vniuersis creaturis, manus etiam tor-

no ductas habentibus facilè antecellit; ita quidem, vt, licet nonnulli sancti miracula sponsi operibus æqualia, si operum velut materiam, spectemus, patrasse videantur; si tamen tornum, seu modum operandi expendamus, immenso ab sponso interuallo vincuntur. Propter hoc sponsi manus insigni discrimine aureæ nuncupantur, quasi cæterorum manus ex ligno, reliquisque præter aurum metallis effici potuerint, solius vero sponsi manus esse debuerint aureę. Habent nimirum hoc peculiare sponsi opera, vt regiã, immò diuinam maiestatem præsentissimam præ se ferant, & quasi aureo diademate coronẽtur: propterea aureæ appellantur; aurum enim regiæ maiestatis est insigne, quo diuina opera spiritalibus oculis deprehensa, à cæteris operibus facilè secernuntur. Perfectio hæc absolutissima spõsi operum, clarissimè patefit per aliam ex Hebræo ductam

transl-

translationē, qua nōnulli vtuntur, aientes: Manus illius Spherulę aureę, vel orbes aurei, quorum verborum sensus, præter paulò maiorem vocum energiam, nihil præter ea, quæ sunt explanata, nouum suggerit. Mirum est autem quod insonat, dū sponsi manus asseruntur esse.

Plenæ hyacinthis.

Opera sponsi plena sunt notis significis diuinitatis.

Hyacinthus lapilli nomen est.

Tharsis gemma.

HYACINTHVS hic, non floris illius purpurei, quem Romani vaccinium appellant, sed lapilli nomen est, vt patet ex Hebraico nomine Tharsis, quo etiam Septuaginta senes vtuntur, pro quo nos Hyacinthum dicimus. Porrò Tharsis gemma erat in logio seu rationali inclusa, linea quarta; quatuor enim gemmarum ordines logio hærebant. Videtur autem lapillus hic pretiosus, ex loco, vbi reperiebatur, nomen sortitus, nimirum ex Africæ parte

illa,

illa, quæ postea Carthago appellata est, vel ex maris colore, quem imitatur, mare quippe mediterraneum, Tharsis in scriptura nuncupatur. Color verò marinus cœlestia corpora imitatur, ab illorum tamen serenitate, ac perspicuitate lõgè deficit. Concipiendæ nunc à nobis sũt corporeæ quædam manus, plures huiusmodi lapillos inclusos habentes, velut insertos, ita vt videantur manus tessellatæ, sicut in aulis regijs passim cernuntur marmorea pauimenta, velut oculata, lapillos, tessellasue coloris varij insitas habentia. Propterea ergo opera sponsi velut candentes manus, lapillis istis coloris cœlestis plena dicuntur, quia in diuinis operib. sponsi ꝓdit se, & velut intermicat cœlestis quidã color, quẽ si mẽte percipimus, diuinũ opus facile secernimus ab humano, & in suũ, qui cœlo prẽsidet, referimus auctorẽ. Verũ quia limpidissimã illã diuinæ naturæ claritatẽ, & serenitatẽ,

Color marinus cœlestia corpora imitatur.

ne-

nequeunt opera diuina exactè, ac perſpicuè repræſentare, proinde, ſub metahoraphyacinthi, vel tharſis marinum colorem habentis, à ſereno cœlo deficere, & liueſcere aſſeruntur. Secunda loci huius interpretatio. Tradit Gregorius Nyſſenus, ex ſententia illorum, qui vocum Hebraicarum vim perſpectam habent, hac, voce (Tharſis) ſignificari quiddam, quod colorum, & corporis ſit expers, ac mentis tantum intelligentia percipiatur, quod eſt præſtantiſſimum encomium manuum ſponſi tornatilium. Enimuerò detritis omnibus quæcumque corporea, & craſſa ſunt, ad ſortem diuinam, & mente tantum comprehenſibilem ſponſi manus, hoc eſt, opera, tranſeunt, quale quiddam lapidum ſculptores in maſſa ſmaragdina dicuntur efficere. Cote quippe illiſa, totum id, quod lucidum non eſt, ſed ſordidum, ac terreſtre deterunt; ſolumque illud relinquunt, in

quo

quo splendor quidam viridis micare conspicitur; quæ præclara est methodus, ad opera diuina interno scenda, quam operis tornatilis similitudo commonstrat. Porrò qui torno rude lignum poliunt, vt figuram quampiam effingãt, omnia rudia & superuacanea deradunt, vt elegans figura compareat. Sic, qui rude marmor, ad alicuius animantis effigiem informant, ea omnia scalpro incidunt marmori, quæ scabra, & impolita sunt, quibus excisis, effigies quasi spirans & viua manet, vt dixit quidam.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.

In hunc ergo modum, diuinæ sapientiæ dexteritate, ab operibus sponsi, omnis ea crassities, & scabra materiæ concretio, quæ operibus nostris ex peccati hæsit contagione, quasi torno currente, detrita & excisa est, solaque in ijs manet viua, &

quasi spirans forma virtutis, & arcana, mente tantum comprehensibilis, pulchritudo. Postquam vero operum sponsi facta mentio est, causæ operum eorundem sponsa debuit meminisse, propterea inquit.

Venter eius eburneus distinctus sapphiris.

Verbum aternum rerum vniuersarũ rationes more cuiusdam vteri conceptas habens, est velut venter candidus, lauis, & prægnans. & in eo quasi plures sapphiri, distinctæ rerum rationes lucent.

QVEMADMODVM venter fœtum continet, suoque postmodum edit tempore, sic sponsus (quà verbum æterni patris est) vniuersarum rerum rationes sua amplitudine expresse continet, distincte ibi lucentes, vtpote ex illarum omnium distincta notitia genitus, ac proinde illas perspicuè repręsentãs, quas in lucem quodam velut partu

pro-

promit tempore præstituto, quod est Theologorum effatum. Appellatur autem ille diuinus venter eburneus, hoc est, velut ex elephantino dente dolatus, expolitus, ac læuis, & candidus. Quo in verbo arcana inest notatio pulchritudinis, ex fœminarum petita ventre, qui tunc longè pulcherrimus est, cum quasi ex ebore affabrè dolatus, nitens, ac læuis extumescit. Sic quippe verbum æternum splendore paternæ gloriæ candens, & rerum vniuersarum in ipso expressarum conceptu quasi prægnans, eleganter dicitur more ventris intumescere. Quia verò, in animalibus, fragilissima corporis pars venter est, idcirco, ne similem sponsi ventrem putaremus, sed alium solidum, diuturnũ, incorruptum, eburneus venter appellatur, ebur enim solidum est, ac densum, diutissimè perseuerat incorruptũ, quasi detrimẽti nihil à tẽpore patiẽs. At verò vẽter distinctus

Venter eburneus.

Vẽter pars corporis fragilis.

Sapphirus lapis cœlū refert.

ſapphiris aſſeritur inſigni cum energia. Lapillus nimirum ſapphirus cœlum refert ſerenum, magna cum perſpicuitate, qua facilè hyacintho, qui non ita perſpicuus eſt, antecellit. Hæc igitur perſpicuitas, ſerenique ſignificatio, æterni verbi, quod eſt tertium cœlum perſpicuè ac expreſſe omnia repræſentans, notatio eſt. Sapphiri verò plures eſſe dicuntur in hoc arcano vtero, propter rerum rationes in æterno Verbo, velut in puriſſimo ſpeculo inſigni cum diſtinctione nitentes, conſtante nihilominus infinita perſonæ illius ſimplicitate. Animaduertendum autem eſt, ſapphiris reſpõdere hyacinthos, perſimili quidem colore, tametſi diſpari perſpicuitate. Opera enim ſponſi hyacinthis (vt explicatum eſt) notata, immenſam verbi claritatem, quam ſapphirus exprimit, adumbrare poſſunt, non tamen exactè repræſentare, ideò ſuo comparata principio, vergunt in obſcu-

rita-

ritatem, ac si color nubium vel maris liuescens, sereno cœlo conferatur. At hoc sic fieri oportuit, vt aliquam mortales inuestigandi Dei rationem inirent, per eas res, quas sibi esse cernunt propinquiores, immẽsa Dei luce, quadam tenus in ijs rebus obnubilata, & opacata, vt ab oculo percipi queat imbecilli, qui nimia claritate perstringeretur. Dicitur etiam in sensu altero satis idoneo, venter proximè descriptus distinctus sapphiris, quasi dicas, declaratus, seu distinctè significatus cœlis, qui ob finitimã similitudinem, metaphora elegantissima sapphiri appellãtur. Hi ergo sapphiri distinguunt, hoc est, distinctè enunciant, & declarant ventris illius conceptas rationes in cœlorum ipsorum structura, & ordine lucentes, quæ est insignis quædam diuinæ gloriæ manifestatio, sicut scriptum est, Cœli enarrant gloriam Dei. Hæc est prima interpretatio. Psalm. 18.

Secunda explanatio ventris proprietati satis affinis est, Ventrem suapte natura tenerum, ac fragilem, naturam humanam à sponso assumptam significare. Quæ quidem eburnea, hoc est, ex castissimi animalis elephantis candido dente polita, & læuigata translatè nuncupatur. Candida ob puritatem, & candorē, cum animæ tum carnis illius, quam nulla prorsus peccati nebula, vel vmbra contexit, polita & tersa, operum eburneorum similitudine, quia non solum ab anima, verum & à carne illa purissima longè pulsum, & velut excisum est, quidquid rude, scabrum, & impolitum cæterorum hominum carni ex culpæ situ, atque squallore succreuit. Dicitur autem præterea venter hic distinctus saphiris, hoc est, notis cœlestibus, ac Diuinitatis indicibus, in nulla enim vel angelica vel cœlesti creatura, vel tot, vel tam illustria Diuinitatis signa, quam in assumpta illa sponsi

natu-

natuta, vllo modo claruerunt. Septuaginta Interpretes pro eo, quod habet noſtra vulgata editio: Venter eius eburneus diſtinctus ſaphiris, ſic habent: Venter eius pyxidicula eburnea, in lapide ſapphiro, quaſi dicerent apertiùs, ſcyphum eburneum inſertum lapidi ſapphiro, vt ſolent vaſa argentea capulis, vel manubrijs, quos vulgò pedes appellant, diſtincti cuiuſpiam metalli elegantioris vaſis ipſis inſeri. Qua ſane ſimilitudine incarnationis myſterium apertè innuitur, quo effectum eſt, vt eburneum hoc vas humanæ naturæ, quam candidam, terſam, & quaſi dolatam ſponſus aſſumpſit, diuino verbo ſapphiri perſpicuitate, ac ſerenitate notato, vt manubrio pretioſiori, ac elegantioti, per vnionem hypoſtaticam inſereretur. Poſt ventrem, obſeruata ſerie de cruribus, ſponſa ſic eloquitur.

Crura illius columnæ marmoreæ, quę fundata sunt super baſes aureas.

Duo ſponſi crura genus humanum velut corpus impoſitum ſuſtinentia, & colũnas marmoreas rectitudine, ac elegantia imitantia, meritum & ſatisfactio ſunt. Harum columnarum baſes duæ aureæ iuſtitia ſunt & miſericordia, ex quibus, tanquam ex baſi, columnæ, opera meriti ac ſatisfactionis aſſurgunt.

CRVRA ex naturæ opificio ad gradiendum, corpuſque geſtandum deſtinata ſunt, quæ multiplices, dum de ſponſi pulchritudine agitur, ſuggerere poſſunt arcanos ſenſus. Enimuerò, ſi architecturæ partes ad corporis noſtri compactionem cõferamus, patebit, pedes, à quibus crura ſe attollunt, & in quibus velut defixa ſunt, baſibus colũnarum graphicè reſpondere. Iam

autem

autem crura ſponſi, quæ totum genus humanum portant, & in ſublime ferunt (ipſe enim his non eguit cruribus, qui portat omnia imperio virtutis ſuæ) duo ſunt, meritum ſcilicet, & ſatisfactio, quibus tanquam duobus cruribus gradiebatur, immò more gigantis per viam mortalis vitæ currebat, & his corpus ſuum myſticum, quod præ culparum pondere ferebatur in tartarum, tanquã duabus firmiſſimis columnis, ac rectiſſimis ex marmore, quod ad operis elegantiam commendandam affertur, elaboratis ſuſtinebat, & geſtabat, quod diuinis oraculis, ſatis omnibus Orthodoxis compertum eſt. Pedes verò aurei, ſeu baſes, quibus columnæ ſeu crura nituntur, duo ſunt firmiſſima omnium ſponſi operum, & diſertè meriti ac ſatisfactionis fundamenta, quæ ſibi mutuò obuiarunt, & oſculum arctiſſimum impreſſerunt, nempe iuſtitia & miſericordia, ſicut ſcriptum eſt:

Crura ſpõſi duo ſunt, meritum & ſatisfactio.

Pedes ſeu baſes duo ſunt meriti & ſatisfactionis fũdamenta.

Psalm. 84.

misericordia & veritas, hoc est iustitia, obuiauerunt sibi, eademq; iustitia, & pax, hoc est, misericordia osculatæ sunt. Etenim clarissimorum Theologorum assertum est, vniuersa Dei opera, quibus tanquam tibijs gestat orbem ac fulcit, ex iustitia ac misericordia, velut ex basibus, quibus nituntur, assurgere; at in operibus redēptionis, quibus Deus multò fortiùs, quàm olim operibus creationis, stabiliuit mundum, clariùs Dei misericordia & iustitia lucent. Immò verò se metuò exosculantur, hoc est, intimè coniunguntur, siquidem in singulis, quę inter nos agens, exercuit sponsus operibus, & iustitia qua Patri suo rigidè satisfecit, & misericordia, qua nos indignos liberatione redemit, mirificè splenduerunt. Ex his basibus, columnarū instar, opera rectissima, iustitię arte velut architectonica, directa prodibāt, quibus nihil vnquam Deus directius fortiùsue patrauit, & propter hāc

Misericordia & iustitia mundi bases sunt.

inter

inter cætera Dei opera præstantiam, bases aureæ dicuntur, quasi cæteris operibus collata redemptionis opera, similia prorsus sunt auro purissimo, cæteris metallis comparato; sic enim ex Hebræo aurum obrizũ, hoc est, purissimum vertitur. Et quidem sic ea opera appendit Deus, quibus, velut aureo numismate, illi generis humani debitum, quod infinitum est, cumulatissimè soluitur. Ecce crura descripta. Vnum tamen, quod sub columnarum typo innuitur, & crurium spectat perfectionem, minimè silendum est. Profectò colũnas marmoreas, quas sponsa commemorat, cum ad Dei aulam amplissimam, velut regiæ illius structuræ partes spectent, ingentes esse oportet, quales in regijs peristylijs, compluuijsque perspicimus. Hoc igitur signo proceritas crurium sponsi cõmendatur. Compertũ verò est, lõgiora cura, lõgioribus itinerib. apta esse, breuiq; spatia

Ingentes columnæ.

lon-

longiora, si neruosè cientur, emetiri. Hæc est eximia crurium arcanorum sponsi laus. Porrò cum ijs cruribus generis humani corpus sponsus imposuisset gestandum, adeo fortiter non modo ingressus est, vel cucurrit, sed etiam exiliuit, vt infinitum spatium (quod est apud philosophos impossibile) ipse supra philosophiam pertransierit. Hinc est, vt peccator homo, propter culpam Deo inuisus, & æterno cruciatui addictus, qui illud immensum, quod à culpa vsque ad iustitiam spatium interiacet, pertransire nequibat, etiamsi per multas annorum myriades cucurrisset, gestatus tamen sponsi cruribus, momento dumtaxat vno, totum id spatium, breuissima cordis compunctione pertrāsit. Hic verò transitus, vel potius saltus, non corpori peccatoris, qui gestatur, sed tibijs Iesu Christi pondus nostrum sustinentibus acceptus ferendus est, ita vt, licet homo volens

& cur-

& currens gestetur, non tamen continuò cursus hic sit illius volentis, aut currentis, sed sponsi miserentis. Rom. 9. Sanè homo nō traijceret saltu quodam vastissimam peccati voraginē, nisi vellet, ac curreret; at vt vellet & curreret, crura sponsi eum impulerunt. Sed quia operosum nimis esset, singulas sponsi percensere laudes, agit sponsa more amantium, qui postquam nonnulla eorum, quos ardentissimè amant, encomia congessēre, quid (inquiunt) opus est, vt eximiam pulchritudinem, quasi pictoris arte, in tabula conemur exprimere, satis profectò erit, dum id fieri minimè posse fatemur, asserere pulchritudinem eam esse suis numeris absolutam. Propter hoc sponsa, cum aliquot sponsi laudes enunciarit, cernens parum se posse proficere, quasi se victam ingenue fatetur, à persequendis pulchritudinis partibus velut desistens, & ad quoddam totius venustatis

indi-

indigestum encomium sese transferens. Ideo ait.

Species eius vt Libani.

Qui sponsum aspicit, quasi Libanum aspicit. Est enim in Libano vertex niue candidus, mons est plantarum odoratarum ferax, & ex eius radicibus duplex fons emanat. Sic vertex, seu caput sponsi, hoc est, diuina hypostasis, est ipse candor lucis aternæ. Ex hoc humana illius natura, quæ velut descensus montis est, fert plantas odoratas, tot sanè, quot genuit iustos odorem Christi exhalantes, Ex radice verò, (seu quod vulgo aiunt) ex pede huius montis, hoc est, ex corpore cæso, sponsi duplex fons, sanguinis videlicet manauit, & aquæ.

QVorsum partes pulchritudinis spōsi singulas vel expēdere, vel percēsere coner, cum eæ sint captu nostro maiores? Verbo dūtaxat vno totā rē indigesta laude cōplectar, si spōsū asseruero Libano mōti editissimo esse quàm simillimum, vt me-

ritò,

rito, quisquis eius aspectum, speciemue contemplatur, Libanum ipsum cernere sibi videri possit. Vt laudem hanc eximiam pro captu nostro percipiamus, Libani species mente concipienda est, quæ postmodum arcano sensu ad sponsum traducatur. Porrò (vt partim supra expositum fuit) Libanus mons est in Syria editissimus, cuius vertex perpetuis niuibus candet, vnde nomen sortitus est; Libanus enim candidus interpretatur. Fert plantas odore commendatissimas, & propter amœnitatē fuit olim à regib. Hierusalē ad secessus expetitus, quamobrem Salomon ædificauit domū saltus Libani. Demū è mōtis huius radicibus duo fontes erūpunt in vnū Iordanē cōfluentes. Hæc est species Libani multis nominibus laudatissima, cui similē sponsi speciem sponsa ꝓfitetur. Et quidē à capite exordiētes, facilè perspicim⁹, vertex ille niue semper candidissimus, diuinæ verbi

Libanus mons est in Syria.

Libanus candidus interpretatur.

E radicibus Libani duo fontes erumpunt.

hypo-

Candor diuinitatis.

hypostasi, quæ caput assumptæ naturæ est, quam aptè conueniat. Profecto candor Diuinitatis symbolum est luculentissimum, vnde & ij, qui sunt immortalem vitam consecuti, & diuinitatis candore velut perfusi, candido amictu solent apparere cõtecti, vt in resurrectione sponsi patuit: quasi hoc insigni discrimine à nobis, qui in media mortis caligine iacemus, facile secernantur. Ex huius capitis influxu, natura humana sponsi effecta est fœcundissima, & tot plantas odoratissimas tulit, quot iustos sibi charitate insitos regenerauit. Hæc ergo fœcunditas ex hypostasi diuina velut è capite defluxit, quemadmodum ex Libani vertice niue contecto feracitatis effector decurrit humor, ita vt ordinis ratio habenda sit; anima namque spõsi (qua media, caro assumpta est) conferri debet cum montis Libani descensu, caro verò cum radice seu pede. Denique ex decliuio, seu ra-

dici-

dicibus, vel, vt vulgo dicitur, ex pede huius symbolici montis coagulati, & pingnis, qui sponsus est, duplex erumpit fons, quo mundus eluitur. Porrò humana caro sponsi ad diuinæ hypostasis collata celsitudinem, rectè montis decliuium seu pes appellatur, vt contemplanti diuinæ Incarnationis mysterium fiet planissimum. Iam verò ex hoc pede montis, duplex in cruce fons efflu-xit, sanguinis nempe, & aquæ, quibus fontibus in vnum velut alueum confluentibus, Iordanis arcanus signatus est, siquidem Iordanis, quēadmodum & cæterorum aqua fluminum, ad eluenda peccata ex passione Christi vim adeptus est. Disertè autem fluxus aquæ illius veræ, è cæso latere fluentis, aquam baptismatis; fluxus verò sanguinis illius veri, & aquæ non misti, sacramentum Eucharistiæ, calicis videlicet noui testamenti notauit, ita vt alter fons aquæ; alter verò sanguinis vi-

Humana caro pes mundi appellatur.

Fons duplex sanguinis & aquæ.

Aqua baptismatis fluxus.

Sanguis fluxus Eucharistiæ.

deatur. Non tamen huc fas est ignorationem obrepere, vt quis sibi persuadeat, illorum tunc fontium efflu-xum actum fuisse meritorium, vt ob id meritum sacramenta vim sanctitatem efficiendi contraherent. Hoc quippe apertè falsum est, nec enim corpus exanime tunc esse poterat meriti capax, nec verò anima separata, licet vltrò vulneris illius, è quo sanguis, & aqua fluxerunt, irrogaiam iniuriam acceptaret, cum tempus meriti fuisset morte cõclusum. Verum est autem sponsum ipsum adhuc viuentem præuidere potuisse vulneris inflictionem, & offerre in pretium redemptionis, & ad sacramentorum efficacitatem, sanguinem ex vulnere decurrentem. Et hac ratione posset virtus sacramentorum, qui sunt arcani fontes, è Libani symbolici radice orientes, in illius sanguinis & aquæ fluxu fundari, quod erit opportunissimum ad plura sanctorum patrum effata

theo-

theologicè interpretanda. Sed ſpōſam audiamus nouas ſponſi laudes enunciantem, nec enim ſibi temperare poteſt à laudis proſecutione. Innuerat ſe velle huic encomio coronidem, vno velut vniuerſali pronunciato, apponere, at quia impellit ad noua pertexenda dilectio, canonum rhetoricorum ignara, paret amoris impulſui. Sæpè nimirum accidit amantem quempiam, dum amaſiam commendat, profiteri, ſe laudem acclamatione quapiam velut obſignare velle, moxque ſui immemorem, laudes vlteriores excogitare. Propterea, cum ſponſa encomium Libani ſimilitudine obſignaſſet, ad ſingulares laudes reuertitur, quò luculenter prodit amoris impetum deſiſtere non valentem. Ait ergo.

Electus vt cedri.

Si ſpectetur ſponſus, proceritate, incorruptione, odore ſuaui, cedro ſimillimus apparebit.

Cedri corruptelam non sentiunt.

RECTE cedrorum meminit spō. sa, post Libani mentionem. In eo quippe monte cedri procerissimæ crescunt, quæ corruptelam minimè sentiunt, & odorem suauē effundunt, ac proinde viuam quandam sponsi præferunt imaginem. Ipse nimirum inter creata vniuersa tantum caput effert, quantum inter vimina cedrus. Quapropter aliqui sic vertunt: statuta eminet, vt cedri. Corruptionis fuit omnino expers, etiam cum mortem subijsset. Odorem vniuerso mundo vagantem latè profudit, quo innumeras imbuit animas, Christi odorem postmodum exhalantes. Et hæc prima vulgata satis est explanatio.

Templum Salomonis

Secunda verò subest expositio, cedrorum electionem arcanam penitius inspiciens. Porrò Salomon templum illud orbe toto augustissimum Hierosolymis ædificaturus, ex Libani montis cedris materiam sacrosancto loco dignissimam cædi

fecit,

fecit, & prudentissimo consilio elegit, qua magna illius ædificij pars constitit. Sic sane pater æternus, ex monte Libano (qui suus filius est, vt proximè exposuimus) cedros ibi nascentes, baptismatis generatione caput inter infidelium syluam attollentes, incorruptionis vim, quam efficit diuina gratia, adeptas, & odorem Christi, ex quo, velut è solo pingui, enascuntur, spirantes elegit, & ex hac materia selecta amplissimum Ecclesiæ templum exædificauit. Templum Ecclesiæ. Est autem hoc expendendum, eas cedros in sponso crescentes & electas, non esse materiam à sponso diuersam, sed esse ipsummet nouum Adamum, ex quo est Ecclesia constructa. Ex quo enim Catholici per baptismafiunt, vna velut caro, immò vnus cum illo spiritus, tanquam res vna putari debent, quæ ipse spõsus est, cuius spiritus ac vita in consepultos extenditur, ita, vt qui eos contemplatur, IESVM CHRISTVM

ipsum, quo aluntur ac viuunt, in imagine non qualicumq;, non mortua, sed animata, & spirante, apertissimè cernat. Ex hoc efficitur, vt baptismate ablutorum laus, sit spōsō propria, & natiua, multo potius, quam Euæ laus, ob costam, quam Deus de Adæ dormientis latere tulit, ipsius Adæ propria est. Hi nimirum sunt spiritus Christi, Eua verò Adæ caro fuit. Propter hoc ergo mysteriū, vbi potuisset sponsa sic enunciare, sponsi species vt Libani; Orthodoxi verò, qui ex eo velut mōte instar selectarum arborum proueniunt, vt cedri, significantius laudē contexuit, & vni sponsō eam tribuit, aiens, electus vt cedri. Ipse enim à patre suo electus, ex quo, velut ex cedro Libani, Ecclesiā architectaretur Deus: qui verò ad structurā hanc seliguntur, in ipso seliguntur, facta in ipsum transformatione, quæ id efficit, vt sint ipsemet spōsus humanissimus. Quod verò plures ad struc-

Eua Adæ caro fuit.

turam

cturam hanc euocati, in eaq; persistẽtes fide dumtaxat subnixi, à charitate verò alieni sint, non eneruat hanc sponsi laudem. Sunt enim degeneres, sunt mortua membra, & in eo sanè, quod habent ad hoc spectans ædificium, sunt etiam sponso coniuncti, in fide nimirum, ac spe, & eatenus sponsi spiritu aluntur.

Tertia est loci huius minimè prętereunda interpretatio, proximè explanatæ Libani similitudini socianda, expensa aliorum versione, qui pro Libano, thus vertunt, eadem quippe Græccis vox λίβανος & montem, & thuris arborem significat. Compertum est autem, Thus diuinitatis esse signum, Cedri verò electio, & incorruptio, humanæ in spõso naturæ notat incorruptionẽ. Cum ergo sponsa sic effatur, sponsi species vt Libani, hoc est thuris, tãtundem agit, ac si diceret, forma eius pulcherrima, & princeps, est forma Dei. Cum verò subiungit,

Thus diuinitatis est signum.

Electus vt cedri, tantundem agit, ac si ita enunciaret, sponsus ipse, qua homo est, nõ nouit corruptelam, seu spiritalem, seu corporalem, fuit enim ob electionem, qua dignissimus fuit, verè inter mortuos à corruptione liber. Post hæc sponsa quasi fessa, & rerum magnitudine victa, quasi perorare cupit, & quandam egregiam huic loco laudem affigit, ex totius descriptę pulchritudinis cõcinnitate conflatam. Sanè halitus odoratus, ex bono totius corporis habitu, ac temperie prodit, ac propterea, postquam corporatis imaginibus velut integram totius sponsi constitutionem, structuramque depinxit, non debuit vllo pacto halitus laudem præterire. Propterea inquit.

Os pro sermone, & guttur pro halitu, accipiuntur.

Gutturillius suauissimum.

Spiritus sponsi suauissimus est.

VVLGATA est metonymia, qua os pro sermone, guttur pro halitu, &

tu, & vniuersim effectus causarum vel instrumentorum nominibus appellantur. Sic hoc in loco guttur suauissimum halitus odoratissimus ac suauissimus est. Et profectò, si de ipso gutture vel collo sermo fieret, guttur elegans, erectum, vel quippiã simile dicendum erat, non verò suauissimum. At ideo suauissimum appellatum est, quod est epitheton rerum odoratarum, vt flatus, vel halitus gutture redditus notaretur, qui in sponso longè suauissimus est. Enimuerò halitus, flatus, seu spiritus, qui à sponso procedit, incredibili suauitate affluit, sicut scriptum est, cum introducitur sponsus, qui patris est sapientia loquens, spiritus meus super mel dulcis. Et Ecclesia, quæ vt rem experta proloquitur, sic ait: O quam suauis est Domine spiritus tuus, quod non absque magna emphasi dictum credi debet. Ratio verò, ob quam spiritus, ab sponso æquè ac ab æterno patre procedens,

ſuauiſſimus appellatur, à propria illius notione, ſic à Theologis nuncupata, deducenda eſt. Porrò is diuinus halitus vel ſpiritus procedit, vt mutuus amor, amori verò natiua eſt inhæſio, atque fruitio, quæ eſt ſuauitatis perceptio. Cum ergò arcana miſſione ſponſus halitum ſuũ nobis infundit, oſculo velut impreſſo, tunc nos ad promendos amoris actus flatu ſuo impellit; ijs verò actibus deeſſe nequit germana quædam ſuauitas, velut in reddendo illo flatu percepta, ſicut & in eo flatu ex gutture ſponſi hauriendo percipitur. Rectè igitur ſpõſa eflatur, aiens, guttur illius ſuauiſſimum, hoc eſt, ſpiritus diuinus, quem ſponſus efflat, & mihi amanter immittit, cæleſtem ingerit ſuauitatem, præ qua, vniuerſæ mihi vileſcunt mundi voluptates. Magnam verò, quod ſequitur præfert energiam.

Et totus deſiderabilis.

Non solùm amabilis, verùm & amoris procursu ad ipsum properantis, sponsus desiderabilis est.

POstquàm sponsi pulchritudinẽ sponsa aptis pinxit imaginibus, quandam velut argumentationem conficit, ac si planiùs diceret. Ipse est absolutissimè pulcher, ergò est totus desiderabilis. Quæ sanè argumentatio, quàm sit efficax, nemo potest ignorare, cùm omnes pulchritudine, non aliter quàm ferrum magnete, trahamur. At videtur spõsa debuisse dicere, sponsum amabilem, potius quàm desiderabilem esse. Cum enim pulchrum & bonum idem sint, & in vniuersum, animi vt boni, ita & pulchri amore capiantur, rectius videtur asserere, spõsũ esse amabilẽ, quã desiderabilẽ. Verùm enim, tametsi fatendum sit, amorem esse primũ affectũ, qui perspecta pulchritudine in animo excitatur, significantiùs tamen dictũ est, spõsũ esse desiderabilẽ quã amablẽ.

Pro-

Desideriũ erumpit ab amore.

Profectò desiderium erumpit ab amore, & est quædam pulchritudinis, quam cupit amor, sedula insecutio. Concipiendus est homo, exactam pulchritudinem quampiam contemplans, qua perspecta, primũ quidem ad eam afficitur, & hic est amor; postmodum verò ad eam amplectendam exilit, & hic est motus desiderij, & quædam amoris progressio, quam efficit pulchritudo, cuius est, non solum voluntatem sui amore afficere, verum & impellere, ac ad se motibus desiderij rapere. Vnde & κάλλος græcè appellatur, quod ad se vocet omnia, vt Dionysius prodidit. Cum igitur efficacior sit ea pulchritudo, quæ trahit, quàm quæ dumtaxat afficit, significantius quidem eius vim quis propalabit, si eam desiderabilem, quàm si amabilem tantummodo nuncuparit. Sic ergo sponsa eloqui censenda est. Sponsus, cuius exactam pulchritudinem exprimere studui,

non

non solum amabilis est, sui dumtaxat amorem excitans, verum & desiderabilis, longis itineribus & conatibus animas ad se trahens. Porrò sponsus, quà Deus, est summè desiderabilis; hac enim ratione, & angeli, & homines in illum desiderãt prospicere, vt ibi eius pulchritudinis amplexu desiderium omnino conquiescat cum nihil vltra queat optare. Quà vero sponsus carne nostra obsæptus est, Abraham optauit eius videre diem, & Iacob mira cum energia sponsum ipsum appellauit desiderium collium æternorum hoc est, sanctorum, qui vitæ sanctitate eminent, & eadem sanctitate in æternum stabiliuntur. Denique ipse est sponsus, in quem mundi totius vota auidissimè ferebantur, sic enim de illo canit Ecclesia, Cuius vultũ desiderat vniuersa terra. Expleto iã encomio ad filias Hierusalẽ, quę de sponsi pulchritudine sciscitatæ fuerant, spõsa conuertitur, & inquit.

Talis

Talis est Dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem.

Talis, tam pulcher est sponsus à me dilectus, quàm illum pinxi. At esse illum à me dilectum nec magnum, nec mirum est; quis enim tantam non amet pulchritudinem? Verùm certè mirandum est, ipsum Deum immortalem, ac dominum rerum, esse meum amicum.

ECce, quoad potui, sponsi mei pulchritudinem, venustatemq; depinxi, filiæ Ecclesiæ, quæ in pacis interdum visione Deum contemplamini. Qualem descripsi, talis profecto Dilectus meus est. Quod verò attexit, & ipse est amicus meus, mysterio minimè vacat. Sic enim verborum sensus concipi debet. Quòd ipse longè pulcherrimus, ac venustatis effector sit à me dilectus, nec magnum sanè, nec mirum est, quis enim à tantæ venustatis a-

more

more sibi temperare queat? At verò, quòd planè mirandum accidit, est, ipsum esse amicum meum. Quis enim vnquam, nedũ sperare, sed nec animo concipere ausus fuisset tàm incredibilem Dei erga creaturam dignationem? Liquido horum verborum vis se prodet ipsam, si mulierem humili loco natam, à pulcherrimo, nobilissimo, sapientissimoque rege adamatam ponamus, quæ stimulo amoris incitata regis cõmendet dotes egregias, postmodũq; subiungat huius verba contextus. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, quasi diceret, epiphonemate, seu acclamatione sũma; tanta est eius, quem diligo, venustas. Verùm q, me rapit in admirationẽ, & amoris tædis inflammat, est, regẽ tàm egregijs dotibus insignem, humillimæ fœminæ amore conflagrasse, & non tanquàm regẽ ac dominũ, sed velut parem, & amicum se gerere voluisse. Hic trutinanda est hæc excelsa

Mirabilis Dei erga creaturam dignatio.

spon-

ſponſæ dignitas, quam ipſa, rei non ignara effert, Deum videlicet ipſius eſſe amicum. Quod quia inter natura diſſimiles eſſe nequit, & alias natura Deo inferior deſtrui non debuit, miro artificio effectum eſt, vt homo per gratiam diuinæ naturæ particeps fieret, & in eam ſublimitatem eueheretur, in qua verè Dei conſtitueretur amicus. Hic ſponſa ſilet tantillum, & animæ contemplationis gnaræ in ſcenam vno velut agmine, choroue prodeunt.

Filiæ Hieruſalem.

Quò abijt Dilectus tuus (ô pulcherrima mulierum?)
Quò declinauit Dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

Sponſa inter animas, quæ Deum concepere ſpecioſiſſima, quo ſe proripuit ſponſus, quem inueſtigas, ſeu potius quò declinauit, ſeu digreſſus eſt ille, quem amor ſerio non ſinit abire? Videris in hac laude

ſponſi

sponsi illustriorem illius peperisse notitiam. Dic ergo si nosti, quo se subduxerit, & nos omnes tecum gradiemur æmulantes charismata meliora.

QVOT laudes diuinas sponsa extulit, tot motibus, & accessibus amoris prouecta est, ac exinde illustriore Dei cognitione perfusa, vnde & sedata perturbatione, quæ, cum sponsus excessit, animum obnubilârat, iam illum præsentit propinquantem. Quod & filiæ Hierusalem animaduertentes, rogant, vt de suæ illustrationis profectu eas reddat certiores, vt sic mutuo sociatę sponsum perueſtigent, æmulantes charismata meliora. Etsi enim illæ contemplationis interdum luce fruantur, at hoc nec diu, nec crebro indulgentur, ac propterea non illis segnius, quam sponsæ ipsi adnitendũ est, vt sponsum queant reperire. Diuino verò consilio fit, vt anima prouectior repulsam passa consulat a-

lias ipſa fortè poſteriores, vt communicato conſilio ijs proſit, à quibus auxilium expetebat. Sic igitur filiæ Hieruſalem loqui putandæ ſunt. Percenſentem eximias ſponſi laudes te libenter, ô ſponſa, audiuimus, cui enim iucunda non ſit tantæ ſuauitatis oratio? Nunc autem ſponſi nos ſtudio incenſæ, opportunitatem hanc nactæ, tecum excurrere, illumq; perquirere decernimus. Iam igitur, ſiquidem coniectura deprehendimus, tibi illius affulſiſſe lucem, præfer facem, vnaque gradiamur, cum enim par nobis ſtudium ſit, lucra parabimus ex æmulatione maiora. Dic ergo, tu, inter animas, quæ Deum concepêre ſexu proinde fœmineo notatas, interna venuſtate pulcherrima, Quò abijt Dilectus tuus, cum à te quaſi furtim, ne teneretur, abſceſſit? Dic age, quò declinauit? Emphaſis plena eſt hæc interrogatio biformis; primũ enim aiunt, quò abijt, mox interrogatio-

Emphaſis.

nem

nem emollientes ac temperantes inquiunt, quò declinauit? prmamque secunda declarant, ac si idem sit, sponsum abire, & à sponsa declinare. Declinat certè, qui reuerti cõstituit, nec omnino abesse decreuit. Sic profectò sponsus suauissimus, cum interdum se subtrahit, non excedit seriò, sed declinat, seu digreditur citò rediturus; nec enim amor diu illum abesse permittit. Sic locuto filiarum choro, sponsa respondet.

Quid sit declinare.

CAPVT SEXTVM.

SPONSA.

Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis & lilia colligat.

Non recessit à me sponsus, immo intimè descendit, hoc est illapsus est in me, vt in me horto suo fœliciter germinante olfaciat aromata virtutum, & virtutes, in quibus candor magis elucet, velut in vnum colligat fasciculum, suoque admoueat odoratui.

PATET apertè, sponsam diuinis nuper laudibus operam sedulo nauantem, filiarum Hierusalem interrogatione pulsatam, clariorem sponsi peperisse notitiam. Ipsa quippe modo rei probè gnara filiabus Hierusalem; quas super eadem causa consuluerat, facilè respondet, ac si

in

in hunc modum loqueretur. Mœror, qui ob sponsi discessum, animũ incesserat, velut extra mentem pepulit me, & tanquam sponsi prorsus ignaram me dereliquit languentem, animoque cadentem, ac tenebris offusis tunc dubitaui, an seriò sponsus recessisset. Nunc verò ad me reuersa, quod sciebam, expendens, ac mentè repetens, ipsius sapientiam & miror, & bonitatem amo. Hic sanè mirus diuinæ sapientiæ retegitur ordo. Solet nimirum Deus animam longè prouectam, ita interdum obnubilari permittere, vt diuinus splendor, qui eam insigniter nobilitabat, vt quasi recto solis compleretur aspectu, prorsus videatur extinctus. Ex quo mens, velut in tenebricosum obtrusa carcerem, visus perspicacitate, qua pollet, vti nequit; nec enim tunc res, quas didicerat, ob animi perturbationẽ, considerare valet. Inquit ergo sponsa. Affulsit mihi diuina lux, & pulsis

tenebris animaduertere potui, quonam pacto Dilectus meus se mihi subtraxerit, & in hortum suum inde descenderit. Bifariam hæc verba interpretari possumus.

Sponsa est hortus amœnissimus, Sponsi manu cultus.

Primum sic habendum est (quod satis ex superioribus liquet) sponsam esse hortum amœnissimum, sponsi ipsius manu peritissimè cultū. Mox meminisse opus est, sponsum ab anima, nisi ob lethalem culpam, minimè recedere, solere tamen interdū adesse, suæ verò præsentiæ negare sensum, & tunc elegantissimè dicitur abire. Sponsa igitur discussa caligine, lumine perfusa nouo, rem animaduertens ait. Profectò ego delusa sum, & cum ad ianuam referandam properaui, tantum abfuit, vt sponsus (quod ego lugens dixi) recederet, vt potius humaniùs, quam ante, in me hortum suum descenderit, sicut imber super herbam, & sicut stillæ super gramina. Quomodo enim me sic exercere, & ad illum

com-

complectendum exilire valuissem, nisi præsentissimus ipse impulisset me: Rectè dixit quidam.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Iuxta interpretationem igitur hanc sponsa de semetipsa effatur, sub horti similitudine; & ait se fuisse deceptam, putantem, aut saltem ambigentem, an sponsus abijsset. At modo inquit, se animaduertere, quopacto sponsus descenderit, hoc est altius illapsus fuerit in ipsam, quæ est hortus arcanus, & est velut arca plantarum aromaticarum, odorē Christi fundentiū. Quod verò attexit, vt pascatur in hortis, & lilia colligat, emphasi plenum est. Hortos per synedochen plures areas ipsius sponsæ horti appellat, distinctis virtutib. satas, atq; discretas, lilia verò quę ibi spōsus carpit, vt factum quasi fasciculum olfaciat, virtutes sūt cādore ac puritate insignes, putà

Lilia sunt virtutes cādore insignes.

munditia cordis à terrenis cogitatibus, & laudatissima corporis castitas, quæ Deo dignum odorem præ cæteris exhalare feruntur. In his ergo pascuis, sponsus asseritur pasci, hoc est, refici, ac recreari. Vbi mira elucet Dei sapientia. Dum enim sponsa velut repulsa, luctuque confecta, hac & illac excurrens, tanquam in palæstra sudat, tunc hoc spectaculo sponsus mirificè delectatus dicitur in sponsam illabi, ibique velut in horto amœnissimo refici; quemadmodū de Antonio memoriæ proditum est, qui cum in agone cum hoste sæuissimo confligeret, & sponsum abijsse putaret, didicit ex ipsius sponsi ore, præsentissimum illum tunc fuisse, ac velut in paradiso quodā agentē, eius lucta; ac victoria fuisse delectatum. Sic ergo iuxta interpretationē hanc spōsa eloquitur. Dilectus meus (ô filiæ Hierusalē, nō abijt, sed verè descendit in me hortū suū, licet ego minimè perceperim,

Conflictus B. Antonij.

modo

modo quippe id facilè verum esse perspicio.

Secunda explanatio voluptatis descriptæ, subtractionem sponsi recessum intelligit, ac perinde, quoad hunc sensum, cum prima interpretatione consentit. At verò descensum in hortum diuersum concipit, quem modò perpendere operę pretium fuerit. Porrò, tametsi sponsus ob suam immensitatẽ vbiq; sit prę-sens, ac exinde queat vniuersas iustorum animas simul alloqui, & cœlesti suauitate perfundere; id tamẽ, quia ex suæ consilio sapientiæ, nec semper efficit, nec verò expedit fieri, nunc affatur hanc; nunc verò illam, & hinc illuc quibusdam quasi saltibus se librat, moreq; nobiscum versatur humano. Nunc charitate prouectos interna voluptate permulcet, nunc ijs velut obliuioni ad experimentum traditis, recentes fœtus delinit, vt fiant ad cursum alacriores, & spiritalem mundum

alterna iucunditate, ac austeritate contemperat. Est tamen habenda elegans discriminis ratio. Cum enim à tyronibus ad grandiores transilit, ascendere; cum verò è contrario, à prouectioribus ad recentiores abit, rectè descendere perhibetur. Hoc ergo harmonicis mensuris temperatum discrimen sponsa innuit, cum ait. Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum. Eleganter sanè spiritus sanctus vtitur eo verbo (descendit) cùm enim sponsus tetigisset, & tactu commouisset, nolens excelsam tunc solari charitatem, & ad teneras animas recens euocatas deliniendas accurrisset, rectè descendere dictus est. Descendere verò asseritur ad hortum suum, cultura, & sedulitate indigentem: ad hortum suum, quem acquisiuit sanguine suo. Descendit ad areolam aromatũ; pusilli enim sunt recentes fœtus iustitiæ, ideò areola:

sed

sed odorem sponsi recenter imbuti spirant, ideo aromata. Septuaginta pro, areola aromatum, (phialas aromatis) habent, qua sanè forma loquendi, notantur animæ iustorum, quæ tanquàm phialæ totidem, sponsum ipsum aromatis odoratissimi, & ad medicam materiam opportunissimi nomine significatū illabentem concipiunt. In harum animarum hortis amœnis pascitur sponsus, hoc est, mirificè recreatur; oues enim, quæ perierant, dum affiatu nouo redeunt ad pastoris mapalia, noua præ alijs, quæ non aberrarunt, gaudia cumulant. Inter eas verò animas, quæ recenter euocantur, si quæ sunt, quæ castitatem saltem corporis seruare studuerunt, illas præsertim sponsus amplectitur, quas specialis prærogatiua castitatis ampliore dilectione reddidit dignas, quæ ob candorem, ac puritatem lilia pulchrè nuncupantur, ex quibus vnum quasi fas-

cicu-

ciculum ſponſus colligit, cùm eas humanius fouet, & amantiùs fouendas, à cæterarum turba ſecernit. Dum hæc ſponſa enunciat, concipiendus eſt ſponſus amantiſſimus illi ſui ſenſum ingerens; quo quidem ſenſu non tam conuerſa, quàm correpta, intercepto cum filiabus Hieruſalem ſermone, ad ſponſum ſic ſponſa proloquitur.

Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

Soli ego hæream, & vacem dilecto meo, & adſit mihi ille, qui caſtos ſingulari amore proſequitur.

PHraſis hæc præſentes per tertiam perſonam alloquendi, non Hebræis modò, verùm & cæteris linguis familiariſſima eſt. Sic igitur debemus ſponſam enunciantem contemplari. Cerno te (ô ſponſe humaniſſime) præſentem, & meis ſuſpirijs denique flexum, quid ergo tibi pro humanitate rependam? Di-

cam

cam (quod possum) Ego Dilecto meo æuo hęrebo sempiterno, & Dilectus meus mihi pariter sociabitur, cui mos est inter candidas puritate animas libenter commorari: quasi planiùs loqueretur. Ego theca quædam sum opere fabrili efficta, & ad sponsi solius conformata figuram, quemadmodum theca, vbi conditur sacer calix, vni duntaxat calici est habilis, cæteris verò vasis diuersè formatis, nec prodest, nec idonea est, solus calix illam explet, eiusdem cum illa figuræ, ac elegantiæ. Soli ego sponso sum habilis. Ille in me conditus, solus me valet explere. Sic ego thecam repurgabo, vt candeat, nec enim nisi in castis mentibus ille moratur.

Theca sacri calicis.

Possunt non ineptè verba hæc per modum optandi enunciari, vt sponsa cernens sponsum præsentē, amanter conqueratur de absentia, & quasi dicat. Quid sibi vult hæc actis repulsa, & tam diurna præsen-

tiæ

tiæ prorogatio, ô sponse? Nonne satius est, vt, iuxtà leges amoris, ego vacem Dilecto meo, & Dilectus meus adsit mihi? Quousque me repulsam cruciabis, ac experiri perges? Vbi est coniugij, quod percussimus, fœdus? Nisi me tua lux illustrasset, dicerem, quod quidam amore saucius extulit.

Quid prodest animo, quòd me non spernis Amynta
Si dū tu sectaris apros, ego retia seruo?

Modus harum querimoniarum ex amoris natura proficiscitur, qui præsentiam auidissimè cupit, quæ dum negatur, impetu facto, contra propensionem amoris pugnandum est. Oporter autem auctioris meriti ergò, amorem torqueri, dum illius spes in futura protenditur. Nunc verò, verba hæc sponsæ in contemplationis arcano elata fuisse, videtur esse rationi consentaneum, vt in eodem, quæ sequuntur, iucundissimè audiat?

Pul-

Pulchra es Dilecta mea. Suauis & decora sicut Hierusalem.

Ob virtutum proportionem pulchra, ob actionum externarum moderationem decora, ob lenitatem, ac mansuetudinem suauis es, Hierusalem superna quàm simillima, Dilecta mea.

FAmiliare est inter se amantibus, laudibus vltrò citroque certare. Sponsa catenam quandam verè auream, affabreq; consertam ex sponsi contexuit encomijs. Nunc verò ille huiuscemodi certaminibus assuetus, suæ magnitudinis velut oblitus, & amori exactissimè obsequens, alteram pergit catenam sponsæ laudum pertexere, & in contemplationis thalamo satis iam vexatæ blandiri. Auspicatur autem à quodam vniuersali pronunciato, ad singulares postmodùm laudes descensurus. Ait igitur: Pulchra es Dilecta, Suauis, & decora, sicut Hierusalem. Porrò pul-

chritu-

Pulchritudo ex debita partium proportione cõsurgit.

chritudo, vt sæpè dictum est, ex debita partium proportione consurgit. Cum verò de interna pulchritudine fit sermo, perinde est, ac si, de structura, & concinnitate virtutum ordine miro distributarum, sibique mutuo consentientium haberetur sermo. Ex hac verò interna partium animæ, quàm ex virtutibus contrahunt, concordia, naturali quodam excursu, prodit se in externas actiones venustas quædam, in loco, tempore, cæterisque similibus, in agendo, loquendoque seruata; quæ appellatur decor, & erga alios, ob lenitatem, ac mansuetudinem eximia suauitas. Radix ergò, ex qua decor, & suauitas oriuntur, interna, quam pinximus, est pulchritudo, à qua nunc sponsa commendatur. Ne quis verò suspicaretur hanc esse vulgarem quampiam laudem, apposita sponsus vtitur Hierusalem similitudine, qua nullam certè congruentiorem possimus excogitare. Profe-

ćto, etsi mira sit interna, qua iusti insigniuntur, pulchritudo, etiam dum in exilio agunt, nemini tamen dubium accidit, quin ea & exactior, & diuinior in patria futura sit, vbi perfectissima erit ea in actione, sermone que venustas, quæ appellatur decor; & eximia beati cuiusque erga cæteros in illo conuictu suauitas. Quæ quidem tria dùm talia in sponsa esse asseruntur, qualia in cælesti sunt Hierusalem, nihil ad laudem opportunius, vel significantius afferri potuit. At enim impensè considerandum est, iustos non eam dumtaxat mentem tranquillam, suauemque gerere debere, quæ futuræ gloriæ videtur æmula, nec enim inter iustos in hoc versantur exilio, vt suauitas semper austeritati præferenda sit. Oportet nimirùm interdum exardescere, & contra scelestos depugnare. Propterea sponsus ait.

Terribilis vt castrorum acies ordinata.

Sicut ergà iustos es suauis, ac mitis, ità in sceleſtos terribilis es, virtutibus consertis, in modum agminis ad prælium accincti, armata.

Iusti coactione non egent.

QVemadmodum iusti coactione non egent, sceleſti verò maximè, ita tu iustis, ô sponsa, decora & suauis es, iniquis verò acris, ac terribilis. Illos suauitate permulces, hos terrore coerces. Sicut enim acies, seu phalanx militum prælianti-um prudentissimi ductoris arte dispoſita, districtis ensibus, teliſque infeſtis terret hoſtem, ita tu virtutibus, ad sceleratos reprimendos, & interimēda peccata, accincta & armata es, vt animis flagitioſis terrorem incutias, incuſſoque terrore, ad conuerſionem impellas. Expendēdum hic eſt, iuſtorum vitam virtutum concinnitate contextam, aciei castrorū arte militari conſertæ quā

similimam, sceleratis hominibus esse valdè formidabilem, adeò sanè, vt illius conspectum ferre nequeant. Experimento nimirùm quotidiano didicimus, scelestorum hominum cœtus in ipsum Deum coniuratos, adeò vel vnius studiosi hominis congressum, alloquiumue expauescere, vt coram illo consistere minimè audeant, sed instar nubium aquilone flante dissipentur. Et hoc quidem inde accidit, quia peccatum eos reliquit inermes: iustorum verò vita, Deo ductore gradiens, tot telis ac ensibus procedit armata, quot est suffulta virtutibus. Si verò iusti in publicum prodeant, & acribus increpationibus nefarios homines carpant, tunc ij terrore concussi facilè declarant, quàm iusti sint formidabiles, atque terribiles. Ratio verò, ob quā sponsus militari vtitur similitudine, ex re ipsa petēda est. Profectò, sicut acies castrorū tūc maximè hosti terribilis apparet, cū

est ordinata, hoc est, adeò prudēter dispositā, conferta, & stipata, vt singulis militib⁹ in statione cōsistentibus, sibique velut connexis, nihil in acie diruptum, nihil sit hiulcum, nec verò locus pateat aliquis, per quem, impetu facto, queat hostis irrumpere; ita prorsus, cum sponsæ virtutes, quas sponsus velut ad prælium armauit accinctas, ita sunt sibi hærentes, ita sibi consentiunt, vt sine vlla spiritualium stationum perturbatione, sint mutuò velut connexæ, nec aditus patet aliquis, per quem se hostis insinuet, tunc sanè, arcana hæc virtutum acies reddit sponsam terribilem, vt & hostem sine iactura lædere, & etiam fugare possit. Ex his patere potest, cur spōsus, cùm asseruit sponsam suauem ac decoram, contulit illam Hierusalem supernæ, non verò, cùm dixit esse terribilem; sed tunc eam militiæ, quæ sors est huius vitæ, comparauit. Nimirum in vrbe illa superna,

terror

terror, qui tamquàm pœna pro culpa infligitur, & ab vltrice iuſtitia prognatus eſt, reperiri nequit, cùm nequeat ibi culpa patrari. Tota verò vrbs illa incredibili ſuauitate, quę ab exactiſſima pulchritudine, ac decore proficiſcitur. Verùm vita hæc mortalis, militia quędam eſt. Cũ autẽ ad militiã delectus habetur, ad diſciplinã militarẽ, Ductoriſq; prudẽtiam ſpectat, eos milites ſeligere, qui ad præliũ inſtructi, ipſo ſanè aſpectu hoſtẽ valeant deterrere. Ex horum igitur numero ſelecto ſponſam eſſe credendum eſt, cùm, quaſi caſtrorum acies, terribilis nuncupetur. Cuius terrorem ſuper hoſtes ferri, ſatis Hebræa notant, ex quibus, pro acie caſtrorum ordinata, alij vertunt, terribilis vt caſtra cum vexillis. Profectò enim terribilis ac formidabilis, cum nefarijs hominibus, tum malignis ſpiritibus ſponſa videtur, cum regis ac ſponſi ſui vexilla, hoc eſt, crucem fert. His e-

Superna Hieruſalẽ.

nim vexillis, & impetus scelestorum hominum frangitur, & fugatur infernus.

Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.

Contenta esto noua mentis perspicacitate nuper infusa, satis enim creuit. Ego à te altiùs cognitus, & in tua notitia exaltatus sum, moderare igitur mentis oculos, ne vltra definitas metas, me speculari conentur.

Me dicorũ mos.

PRudentissimis medicis mos est, tempus morborum anteuertere, illorumque causas solerti prouidentia præcidere. Sic antidota parant, & naturam imbecillem in morbos ingruentes obfirmant. In hunc planè modum, cùm sponsam cõmendare encomio quodam velut elucubrato sponsus adornet, prudentissimè tempus præuertit, illamque propriæ conditionis admonet, ne nimium efferatur, ne se nimis effundat, ac inter splendidissimos præsentis

iam

iam sponsi radios existimet, impunè se posse in quantumuis abdita diuinitatis arcana mentis oculos intendere, auidam mentem frænare oportere, vt sobriè sapiat, docet ipse Deus. Nec mirum est, sponsam vitæ perfectione iam insignè commoneri; etsi enim sit charitate sublimis, est tamè imbecillis naturæ, cuius ingenium semper plura, maioraque scire gestit. Propterea, vt naturam reprimat iuxtà sponsi mensuram, monèda est: quamuis enim charitas, sicut & gratia naturam erudiat, minimè tamen delet, nec appetitum in hoc exilio omninò coercet. Sæpè quidem qui sunt ærumnis assueti, & insperatò quadam insigni fœlicitate potiuntur, efferuntur animo, omnia sibi licere arbitrati, nec vllum faciunt audiendi modum, quorum animus, propriæ recordatione conditionis, alijsque consilijs opportunis, in officio cõtinẽdus est. Quod ergo spõsus ait, Auerte oculos tuos, à me,

quia ipsi me auolare fecerunt, tantundem est, ac si diceret, coerce oculos tuæ mentis à nimia speculatione mei, quia noua nunc luce perfusi me in alta volare fecerunt, vbi moderatione opus est. Vt autem huius interpretationis sensus percipiatur, ponendum est ex Theologia, Deum nisi sub creaturarũ imaginibus in hoc exilio cognosci non posse, quamobrem eiusmodi notitia humi defixa plurimum à diuina magnitudine deficit, ac proinde Deus ipse, prout in ea est humili notitia, quasi depressus, alis priuatus, abiectusque tenetur. Quando verò infuso lumine quopiam, quale purgatis mentibus interdum in media vitæ huius caligine solet immittere Deus, sponsa modo quodam excelso ac diuino diuinam contemplatur celsitudinem, tunc eleganter dicitur Deum extollere, illique alas ad volandum reddere, quod innuit alia translatio aiens, Nam illi

Deus quomodo in hoc exilio cognosci possit.

alas reddiderunt. Est enim Deus in notitia velut in quodam ferculo, ac proinde, si ferculum deprimitur, humi quasi repens, Deus ipse in eo genere deprimatur necesse est; si vero attollitur, Deus etiam eo vectus in altum feratur oportet. Quanto vero sublimiùs notitia effertur, tanto cernit apertiùs Deum esse incõprehensibilem, tantoq; (vt ita dicamus) Deus fit illi maior. Et hanc verba illa (Ipsi me auolare fecerunt) habent energiam. Quapropter sic sponsus effari credendus est. Comprime speculationis auiditatem, spiritales oculos moderare, ipsi enim noua luce cœlesti illustrati, qui me ante quasi sine alis depressum in humiliore notitia tenebant, nunc extulerunt me, & me altius cognitum auolare, hoc est alis additis in altiorem cognitionis gradum eleuari fecerunt, vbi ego maior, quam olim, & minus comprehensibilis agnoscor. In hac autem illustri noti-

tia moderatione opus est: nam si quis immoderatius oculos in me intendat, lædit ur, sicut quando temperanter agit, illustratur. Hæc enim vis lucis est, vt quemadmodum oculum illustrat, sic etiam lædat, si nimia sit. Bimẽbris igitur est explanatio hæc; duo enim verbo, auolare, exprimuntur. Primum quidem, Auolare, idem est, ac in altum notitia sublimiore volare. Deinde Auolare, idem est, ac incomprehensibilem, & captum nostrum fugientem apparere. Ex quo fit, vt duabus efficacissimis rationibus, sponsa debeat oculos auertere, ne opprimatur à gloria, nimirum & quia satis illustrẽ cognitionem adepta est, quod ad primum explanationis membrum spectat (ac si homo ex paupere dives satis effectus, moneatur, vt ea forte contentus sit) & quia incassùm conatur, quicunq; Deum cognoscere gestit, nisi iuxta metas ab eo definitas, cum eo maior appareat ille, ac

Quid sit auolare.

nostro

nostro captu superior, quo luculentius agnoscitur.

Alij pro verbo, Auolare, vertunt, superbire, quo quidem verbo notissimus quidam exprimitur amoris affectus. Solet enim amans quampiam fœminam egregiæ formæ, cuius pulchritudo in oculis præsertim eluceat, illam sic monere, auerte, vel certè claude oculos, quia incredibili venustate nitent, cum nihil minus interea optet, quam oculos eos auerti. Solet etiam eiusmodi amans se de amasiæ iactare, tanquam de propria pulchritudine, ac eum effectum notat verbum superbire, quasi dicat ille, obstrue oculos, quorum ego pulchritudine efferor atque superbio, vtpote, dictitans mihi esse amasiam, cuius oculi sint insignes venustate. In hunc modum Deus clementissimus, suam in sponsam commendat charitatem, vtens ea phrasi significantissima proximè declarata, quasi

dicat

dicat ironicè, cohibe spiritales oculos tuos (ô sponsa venustissima) auerte illos, quia dum eos intueor, quasi superbio, & iusta quadam elatione me iacto, dictitans mihi esse sponsam, cuius oculi eximia venustate me capiunt. Hæc interpretandi ratio ad ardentissimi amoris affectum exprimendum opportunissima est. Sed quid de capillis sponsæ sponsus dicat, est impensè animaduertendum.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Sicut capræ Iacob è Mesopotamia in Canaan per montem Galaad tendentes celerrimè cluosa loca transiliebant; sic ego (o sponsa) qui sum coma tua, quam gestas in capite, capræ, hoc est, peccati tectus imagine, viam passionum asperam, & scabrã nullo peccati pondere pressus transiliui, & ad terram viuentium properaui.

PRo capillis, alii comam, septuaginta verò Interpretes, in eundẽ

sen-

sensum, cæsariem verterunt. Cæsaries igitur asseritur esse similis gregi caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Priusquam huius similitudinis vim expendamus, animaduertere oportet, Verbum, Apparuerunt, hic positum, idem significare, ac verbum, Ascenderunt, quod habetur cap. 4. vbi hæc ipsa similitudo exposita fuit. Vtroque autem verbo tangitur historia Iacob ex Mesopotamia in terram promissionis reuertentis, secumque greges multiplices, ac inter eos, capras ducentis, Ideo verò caprarum grex de monte Galaad ascendisse, apparuisseue dicitur, quia per eum montem Iacob suos greges ducens transijt, ibique illum Laban consecutus est, antequam terram promissam esset ingressus. Nunc verò similitudinis vim perpendamus, cur nempe Cæsaries sponsi caprarum gregi comparetur. Porrò ex oraculo Pauli, gloria mulieris est coma, quod ingenuè fatentur

Apparuerunt id est ascenderunt.

Gen. 31.

Coma ornatus mulieris.

tur fœminæ forma præstantes, quæ incredibili sedulitate cæsariem curant, tanquam suæ gloriæ, hoc est, pulchritudinis partem non vulgarem. Sicut autem gloria, ornatus, seu pulchritudo mulieris coma est, ita sponsæ ornatus & gloria est sponsus. Non est infirma, nec verò mediocris ornatus pars, sed est ornatus potissimus, qualem vxor gestat in capite, illi videlicet supposita, & coniugali iure subiecta. Non est autem coma hæc, ex earum genere, quæ à capite fœminarum exoriuntur, sed earum potius, quas ascititias nuncupamus, quibus vtuntur eæ mulieres, quibus ob alopeciam excidit capillus, vel ex natura horret, & ad ornatum ineptus est. Tunc enim eæ cupientes suam turpitudinem obuelare, & insignem, quam natura non attigit, præferre venustatem, cæsariem curatam, lucentem, promissamque conquirunt, quam capiti naturæ æmulo inserunt artificio,

toti

toti mundo muliebri præsidentem. Sic profectò sponsa, cui ob peccatum sua gloria, suusque ornatus, qui sponsus est, turpi quodam velut alopeciæ morbo defluxerat, incredibili studio, laboreque diuturno, cæsariem lucentem, productamque quæsiuit, quæ caput obtegeret, defluensque inde, totius corporis nuditatem operiret. Cæsaries hæc capiti imposita, vt imperet, vt præsideat toti mentis ornatui, sponsus est, mira sedulitate à sponsa perue-stigatus. Hæc est gloria sponsæ, hæc arcana cæsaries, quæ si defluat, vxor turpissima apparebit. Hæc igitur coma, caprarum gregi, ex Galaad in terram promissam ascendenti asseritur esse persimilis, cùm ob pernicitatem, & saliendi expeditionem, tum ob imaginem peccatoris, quam capra præfert. Enimuero spõsus, quando peccatoris imagine, velut mystica pelle capræ contectus, ex hoc exilio, velut ex Mesopotamia

qua-

quadam, in terram viuentium, per cliuosa passionum loca, tanquam per quendam Galaad montem gradiebatur, non fuit à cursu peccati cuiuspiam pondere retardatus, sed more capreæ, saliens, & expeditè currens, viæ asperitatem superauit. Hanc comam studiosè curare debet quicumq; veram optat pulchritudinem. Cui meritò eæ laudes tribui debent, quas apud antiquos capillitium adeptũ est. Fuit quippe libertatis argumentum, & à Lycijs capillorum studiosissimis tanti coma fiebat, vt mulctam subire mallent, quã comam præcidere, vnde emersit, vt Lycia coma dicatur, hoc est, compta & promissa. Verùm pergamus ad dentes, quorum candor, & concinnitas faciem mirificè honestat.

Prouerbiũ Lycia coma.

Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

Cogi-

Cogitationes meditationesque tuæ erga scripturæ sacræ intellectum (o sponsa) similes sunt dentibus corticem fructuum concerpentibus, ac nucleum eruentibus, sic enim eæ meditationes historici sensus corticem concerpunt, indeque sensus multiplices eruunt. Et sunt tanquam oues ablutæ, ac fœcundæ, quando ex orationis balneo mens abluta, & pura ascendit ad sacri textus interpretationem.

ALLVDITVR in hac similitudine (sicut de proxima dictum est) ad greges ouium Iacob, tempore, quo tondebantur, & ascendebant de torrente Iacob, quæ, vt ait Chaldaicus paraphrastes, omnes similes mutuò erant, pariebant gemellos omni tempore, & sterilis, & orbata non erat in eis. Quod verò attinet ad sensum arcanum, ex 4. cap. vbi fusè verba sunt exposita, petatur. Modò verò nonnihil addere consentaneum est, vt oratio sua serie cõtexatur. Porrò fructus corticem habentes

Allusio ad greges ouium Iacob tempore, quo tondebantur.

Gen. 30.

bentes, priusquam nucleum eruamus, medullaque vescamur, dentibus concerpere solemus, quos ideò natura exacutos, & ad sectionem idoneos videtur effinxisse. Verba verò sacri textus (vt apud spiritalis anatomiæ peritos constitutum est) & corticem, & nucleum habent. Sensus enim historicus, quem vulgò literalem appellamus, corticis instar continet sensus arcanos. Qui verò studet medullam, nucleumque istum eximere, sensum historicum quasi dentibus atterat, & dirumpat, necesse est. Hi verò dentes cogitationes, seu meditationes sunt Spiritus sancti munere exacutæ, & ad scindendum historiæ corticem aptatæ. Quæ rectè dicuntur similes gregi ouium fœcundarum, quales erant oues Iacob gemellos edentes. Eiusmodi quippe meditationes Spiritus sancti afflatu fœcundatæ multiplices fœtus interpretationum emituntur, populo Christiano mirifi-

Sensus historicus.

Dentes sunt cogitationes.

cè

cè congruentes. At impendiò animaduertendum est, eos arcanos dentes, nõ cuicunq; ouium gregi, sed de lauacro ascendenti similes nuncupari. Lauacrum autem ea virtus est, quam sancti Patres, Orationem mẽtalem appellarunt, quę (vt quotidiano patet experimento) est balneum quoddã spiritale, quo animus eluitur, ac sordibus peccatorũ vi lachrymarũ profusa repurgatur, ac si parat mentis puritatem, quæ ad sacri textus intellectum plurimũ confert. Quamobrem sancti patres, qui arcanos scripturæ sensus vberius tradidere, hoc spiritali balneo se prius abluebant, indeq; tanquam oues de lauacro ascendentes, mentis puritate velut alba lana candentes, non gemellos tantũ, verũ & innumeros sensus planè diuinos euulgabant, quemadmodũ de D. Thoma Aquinate clarissimo huius libri interprete scriptum est, solitũ fuisse, in sacræ scripturæ difficultatibus, orationis

D. Thomas Aquinas in sacræ scripturæ difficultatibus.

Orationis se lauacro eluebat.

se lauacro eluere, & ieiunij, (quod ad id lauacrum maximè conducit) meritum adhibere. Iam autem superius enunciatam, modoque ad energiam repetitam genarum laudem contemplemur.

Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis.

Genæ tuæ (o sponsa) crescentibus, quæ meditata es dogmatibus, subleuantur, & oris claustrum ad sermonem abrumpitur, quemadmodum cortex punici maturi acinis maioribus dirumpi solet.

Cortex mali punici vi acinorum crescentium abrumpitur.

PROFECTO cum sponsa tam insigniter creuerit, & quasi maturuerit, æquum est credere illam, non cortici mali punici adhuc acerbi, sed æstate percocti, ac maturi comparari. Punici verò maturi cortex, vi acinorum crescẽtium, qui iam corticis angustijs capi nequeunt, abrũpitur. Hac sub imagine mysterium latet minimè prętermittẽdũ. Sanè,

cum

cum mens diù meditata est sacri textus dogmata, iamque referta est, & afflante Deo, sermonem conceptum retinere non valet, tunc ad erudiendum cæteros diuinitus impellitur. Sic, cum cœlestiũ scripturæ dogmatum, ac sensuum meditatio in sponsa sit proximè dentium similitudine à sponso laudata, concinnè satis genarum decor commendatur. Qualis autem sit hæc genarum laus, ex ijs, quæ de punico maturo notauimus, cogitandũ est. Quemadmodum enim granis, quæ ad iustam magnitudinem creuerũt, cortex dirumpitur, ita genæ sponsæ, quæ silentio copulatæ, atque commissæ erant, adeò vt vnus tantum cortex videretur, sensibus arcanis, diuinisque dogmatibus, multa meditatione crescentibus, subleuantur ac dissuuntur, & oris claustrum, ad ea dogmata euulganda, Deo sic agente, perrumpitur. Quapropter, qui spiritalẽ internamq; sponsæ fa-

ciem introſpicit, malum punicum, dirupto cortice, granis ſe prodentibus, & inde velut exilire geſtientibus, cernere ſibi videbitur. Ex quo patet, quã cordate, ac parcè ſe ſponſa geſſerit, quæ tamdiu ſiluit, nec, quamuis prouecta, magiſterium affectauit. Verum eius prouectio ſpiritaliſque proceritas, & dignitas ex mox exponenda laude, clarius elucebit.

Sexaginta ſunt reginæ. Octoginta concubinæ. Et adoleſcentularum non eſt numerus.

Pauci perfecti. Plures proficientes. Plurimi incipientes.

Mos antiquorum patrum in ducendis vxoribus.

AGIT Salomon iuxta patrum antiquorum morem. Conſtat nimirum priſcis patribus conceſſum olim fuiſſe vxores plures ducere, ex quibus quædam arctiſſimo illis fœdere copulabantur, nam præterquã quod liberis operam dabant, toti etiam domui præerant; alteræ

verò

verò à scriptura concubinæ nuncupatæ, ad torum dumtaxat admittebantur, vtpotè, quæ verè vxores erant, domui tamen minimè præficiebantur, ac exinde primis erant existimatione, ac dignitate posteriores. Præter has duas quasi classes, tertiam adolescentularum classem in aulis regum antiquorum fuisse literis sacris consignatum est. Sic enim ex vnius Assueri liquet historia, Virgunculas plurimas fuisse accersitas, & ad regiam perductas, vt in delitijs habitæ, indulgentiusque educatæ, & ex aulæ regiæ more, comitatem, & vrbanitatem edoctæ, ad regis se torum compararent, & maturo tempore demum accederent. Cernimus itaq; fœminas illas, regũ voluntati omnes addictas, meritis tñ. ac dignitate fuisse discretas. Primæ quippe illæ, quæ pręter coniugalẽ dignitatẽ domui præerant, si regi cuipiam nupsissent reginæ nuncupabantur; Concubinę nõ ita,

sed ad torum tantùm pertinebant; puellæ tandem neutram dignitatẽ assecutæ, ad vtramq; se nihilominus comparabãt. Hisce tribus classibus, tres animarum ad amplissimam regis ac sponsi nostri domum spectantium gradus graphicè significantur. Profectò, vt à capite exordiamur, sunt quædã animæ regio planè diademate dignissimæ, quæ per multa prælia, palmamq; multiplicẽ, velut ad regiam pertinuere dignitatẽ, inter quas sua sunt etiam discrimina, vt quandam perpulchram syderum, stellarumq; varietatem in firmamẽto tibi cernere videaris. Porrò his, tanquam Ecclesię luminibus, sponsi luce completis, domus cura credita est, vt eæ animæ satis iam diuites, alias studeant locupletare. Minimus autem, sed tamen perfectus numerus est illis assignatus, sexagenarius nempe, senario decies recurrente conflatus, diuinorum operum sex diebus perfectorum notat

sacra-

sacramentum, ità vt senario opera, denario operum perfectio commẽdetur. Quo sanè numero innuitur, perfectorum regias velut coronas gestantium numerum, licèt (si alijs gradibus conferatur) minimus; si tamen seorsum expendatur, esse nequaquam exiguum. Cõcubinæ, quæ ad domus œconomiam parùm adhuc idoneæ, & voluptati, (cui ferè soli destinatæ videbantur) nimis erant addictæ, tametsi verè vxores essent, secundam proficientium classem adumbrant. Hæ scilicèt animæ, etsi matrimonij spiritale fœdus cum sponso inierint, nondum tamẽ ingenuo prorsus affectu ducuntur, sed voluptate allici, ac permulceri gestiunt, qui est nondum purgati animi apertus index. Propterea nec corona regia insigniri, nec domui sponsi præesse, sed in seipsis expurgandis, & regia dignitate promerẽda operam ponere debent. Quia igitur imperfectionis notis proficientes

entes aſperguntur quadrato numero rectè cenſentur, hoc eſt, octogeſimo, qui bis quater ducto denario perficitur. Quaternarius autē minimè caret imperfectionis nota, cum ob quatuor anni tempora fluxa, & varia, ſibiq; vix conſentientia, quibus huius vitæ varietatem metimur, tum ob elementa quatuor, quæ licet corpora miſta conflent, ac ex eo capite nonnihil perfectionis impertiri videantur, at ſanè in ea ipſa corporum miſtorum compactione, imperfectionis, hoc eſt, corruptionis ex diſcordia interna profectæ ſemina condunt. Puellæ demum illæ, ſeu adoleſcentulæ in aulam regiam acitæ, quæ nec reginarum, nec verò concubinarum erant ſortē adeptæ, incipientes ſignāt animas, quæ paulo ante patrati ſceleris motibus infeſtantur, nec ſe pugna domuerunt, nec vero radices peccatorum altè fixas reuellere ſtuduerunt, ſed gratias euocatæ, nunc mundo muliebri

gra-

gratis sibi dato, se comere, ac honestare incipiunt, vt nõnullis postmodum venustatis accessibus ad regis ac sponsi thalamũ queant ꝓpinquare. Etsi enim, ex quo diuinam gratiã adeptæ sunt, spiritale coniugij fœdus cum sponso percusserint; at ille (tametsi eis lac non neget interdũ) non se gerit erga ipsas, tanquã cõcubinas, nedum reginas, quas alio prę-stantiore interne voluptatis genere, non iam lacte, solet delinire. Hunc autem mirum ordinem diuina excogitauit sapientia, non patiens, è culpæ cœno non perfectè elutas animas ad suum thalamum conuolare, sed expurgari prius ac erudiri, vt temporis fluxu, & exercitatione perdiscant, quanti fieri debeat, ad excelsam sponsi maiestatem vxorio affectu propinquare. Harũ verò animarũ in tyrocinio agentiũ numerũ arithmeticos canones docet Spiritus sanctus superare hyperbole pereleganti, quę, ad significationis augmẽ-

tum,

tum, sermoni sacro sæpè solet intexi. Relinquitur ergò planum ac manifestum, initia virtutis capessentium numerum maximum, proficientium, minorem, perfectorum verò esse minimum. Nimirum auspicari non ità est arduum, ac proficere, nedum perficere. Hæc autem longa excursio eò tendit, vt recensitis pluribus animabus, quæ laudem merentur, tantò sponsa appareat laude dignior, quantò cæteris probatur esse maior. Propterea sponsus ait.

Vna est columba mea, perfecta mea.

Sponsa mea vna, hoc est, sola est suis absoluta numeris, quæ cæteras anteit, quasi constantissimo columbæ volatu. & quamuis plures etiam perfectæ sint sponsæ, hæc tamen antonomasticè perfecta, filiaque mea vocatur.

DIximus, cùm proximè reginarũ dignitatem ediſſereremus, ſua etiam in perfectorum ſtatu reperiri

discri-

discrimina. Et quidē, si in patria cœlesti, vbi nihil nisi perfectū nitet, inter purissimos illos cœlites discrimina plura cernuntur, vt alij alijs antecellant, omninò certum erit, in hac valle, inter ipsos etiam perfectos à sanctis patribus in tertio gradu repositos, sua pariter intermicare discrimina. Vt igitur inter hos egregios animos, non qualemcumq; perfectionem, sed singularem, ac propè diuinam sponsa monstretur adepta; ideò sponsus eam velut in quarta classe constituit, non sanè quòd regina non sit, est enim regina, sed inter eas animas, quæ his meritis, & nomine censentur, est tāquàm principatum consecuta, propter quod, vna, hoc est sola, quasi phœnix asseritur esse. Etsi enim plures fuerint animæ ac fortasse modò nonnullæ sint, quæ hac insigni dignitate, velut cœli lumina, alicui vel prouinciæ, vel monastico cœtui prælucent, eæ tamen adeò rarò proueniunt, eò

quòd

quod terra fructifera versa est in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea, vt meritò singulari numero, immo sine numero, ipsa vnitate, vel monade debeant significari. Vt autem sponsus hanc inter reginas præstantiam declararet, columbam suã & perfectam suam nuncupauit. Columbam sanè, propter constantissimum volatum, quo ea volucris pollet, vt vltra fines aliarum animarum conuolasse sponsa credatur. Perfectam verò antonomasticè dixit, vt præ cæteris eam doceat suis esse numeris absolutam. Quod verò non columbam & perfectam, sed colũbam meam, & perfectam meam appellauit, emphasi minimè vacat. Innuit enim hac appellatione sponsus singulare quiddam & excellens, propter quod sponsa dicenda sit sua, quemadmodum pater plures habẽs filios, ad commendandam eius, qui cæteris prudentia, gratiaue præcellit, præstantiam, suumque in eum

Sponsa cur columba vocetur.

Emphasis.

amo-

amorem singularem, suum filium dictitare solet. Maximè autem sponsæ perfectio claret, per ea verba, quę sequuntur.

Vna est matri suæ, electa genitrici suæ.

Sola est sine dubio matri suæ cælesti Hierusalem quam simillima, ea enim perfectione nitet, quæ cælitibus est proxima.

VERBA hæc bifariè interpretari possumus, iuxta duplicem matris, genetricisue significationem sacro textui familiarem. Porrò illa, quæ sursum est Hierusalem, mater est nostra, ex qua ducit originem iustitia nostra, illucq; recurrit. Sic enim Ioannes vidit militantem Ecclesiã, cuius nos mẽbra sumus, è cœlo descendentem, velut ab ea genitã Ecclesiã, quæ triumphet. Huic ergo Ecclesiæ triumphum in cœlo agenti sponsa dicitur esse vna, tanquam matri vnigenita filia, vel certè

Hierusalẽ quę sursum mater nostra.

Apoc. 21.

pri-

primogenita, si enim vnigenita dicatur, erit vnica matri suæ, si verò primogenita, erit inter cæteras filias, electa genitrici suæ. Hæc autem excellentia, ob quam vnica, electaq; nuncupatur, nihil est aliud, quàm exactissima similitudo cum matre, & tam eximia vitæ puritas, vt beatorum statui sit sponsa finitima. Eiusmodi verò puritatem perquàm raro quæpiam anima adipiscitur, ac proinde, singulari cũ energia, vna, electaque vocatur. Hæc prima est interpretatio.

Secunda eruitur ex altera matris significatione, arcana magis. Profectò in scriptura sponsus humanissimus, matris proprietates sibi tribuere solet, nec enim ipse qui alios parere facit, vel non pariet, vel infœcundus erit, vt enunciauit Esaias. Et quidem, tametsi, vt matrem se ipse gesserit, in mũdi creatione, ibi enim spiritus eius, ac proinde ipse etiam ferebatur, seu incubabat super a-

Esaiæ 45.

quas,

quas, more gallinæ pullos calfacientis, ac fouentis, in redemptione tamen generis humani (quæ est altera cosmopæia) multò luculentiùs matris propalauit ingeniũ, subijt enim acerbissimos dolores partus, & sic plures filios regenerauit, ac peperit in salutem. Est ergò spõsus ipse mater, nec verò, qualiscumque mater, sed tenerrimè, ac fortissimè amans. Quin verò etsi mater oblita fuerit filioli, quẽ genuerat, ipse tamẽ spõsæ minimè obliuiscetur, vt olim pollicitus est. Huic ergò matri, ac genitrici suæ, ex cuius vberibus lac sugit, & sanguinem, spõsa dicitur esse vna, & electa, vna, ob singularem perfectionem phœnice rariorem, electa ob præstantiam, qua cæteris animabus facilè antecellit. Explanatio hæc, præterquam quòd ex media amoris natura promitur, est ad permouendum affectum efficacissima. Quid enim ad cor permulcendum efficacius, quàm sponsum de seipso,

Cosmopæia.

tanquam de matre erga nos, agentem audire? Verùm enim quod sequitur, ad hunc amoris affectum ardentissimum exprimendum est valde accommodatum. Cupiens enim sponsus insignem nobis sponsæ persuadere pulchritudinem, testes inducit locupletes, omnique exceptione maiores, quasi parum ei fidendum sit, dum de sponsa loquitur, ob nimiam suam, qua flagrat, charitatem. Agit humano more. Apud homines nimirum, nec matri, nec sponso, nec verò amanti fides habetur, cum de filia, sponsa, amasiaue periculum fit. Tametsi ergo illum à recto iudicio amor nequeat vllo pacto flectere, leges tamen hominum, ad maiorem sponsæ laudē subire maluit. Quapropter subdit.

Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt reginæ & concubinæ; & laudauerunt eam.

Suspe-

Suſpexerunt eam cœlo propinquam animæ incipientes, & dixerũt eſſe beatam. Proficientes etiam & perfectæ animæ id ipſum dixerunt, & omnes certatim laudauerunt eam.

IN tres ſponſus diſtribuit claſſes, teſtes accitos, iuxta tres paulò ante deſcriptos, incipientium, proficientium, perfectorumque ſtatus. Porrò reginæ & concubinæ in arcano ſermone, quænam ſint, explanatum eſt. Filiæ verò ſunt, quas nuper Salomon adoleſcentulas appellauit. Tres hi chori animarum ad ſponſi aulam ampliſſimam ſpectant, ac proinde à vulgo peccatorum illuſtri charitatis diſcrimine ſecernuntur. Iam verò, quempiam à vulgo laudari virtutis argumentum non eſt; at à ſapientibus, etſi paucioribus, commendari, egregiè virtutis eſt perſuaſio. Cum enim ſapientum oculus, veræ philoſophiæ puritate clareſcat, nec patiatur, vulgi more, ſe quopiam humore noxio ſuffundi,

quo intuitus obturbetur, fit, vt ſua perſpicacitate, ſynceram rerum naturam, qualis ea eſt, cernat, & interneſcat, & exinde ita iudicet, quēadmodum ipſa veritas non fucata depoſcit. Propter hoc ſponſus induxit, non adoleſcentulas tantum, eæ quippe, licet nonnihil ad laudem proſint, conuincere tamen non omnino valerent, cum in iuſtitiæ tyrocinio verſentur, è vulgo paulo ante ſelectæ. Concubinæ etiam, quæ affectum voluptatis, in profectu, ac progreſſione ſua non prorſus repurgarunt, conducere ſanè poſſunt, verùm nec omnino videtur eſſe teſtes omni exceptione maiores, poſſet enim excipi contra illas, voluptatis affectatio, quæ iudicij puritatem obturbat, rectitudinemque detorquet. Oportuit ergo, eas, ſicut & adoleſcentulas, à teſtimonio ferendo, ob altiorem vulgo ſtatum, non repelli, neceſſe autem prorſus fuit, reginas in teſtimonium probatiſſi-

mum

mum adduci, quæ cum ob eximiam mentis puritatem, ad perfectionis fastigium pertinuerint, nihil eis obijci potest, quod laudis vim queat eneruare. Sic ergo sponsus eloqui cẽsendus est. Nolo protinus mihi soli fides habeatur, ne quis dicat, me impotenter amare, cum sponsam effero. Ecce alios testes adduco incorruptos. Animæ quippe incipientes, ac proficientes, & quod est laudis fastigium perfectæ illam non vtcũque perfectam, sed inter perfectas, vt beatissimam prædicauerunt, & eo genere laudis, quo nullum est sublimius, laudauerunt eam. Profectò viderunt eam cœlo iam proximam, & inter beatos eam collocarunt, Huius methodi, quam sponsus graphice hic depingit, prius sponsam commendans, postmodumque animarum perfectarum laudem adiungens, huius inquam methodi, seu viæ rationem, & confirmationẽ illustribus exemplis, nostra etiam æ-

Testes debent esse incorrupti.

tate notissimis afferre possumus. Constat nimirum, animas egregias, quarum sanctitas, & miraculis, & corporis incorruptione obsignata est, dum adhuc nobiscum agerent, cœlesti lumine sæpè perfusas, à Deo, in contemplationis arcano fuisse identidem probatas, quas nihilominus ad perfectos viros discretionis spirituum donum adeptos mittebat, vt illorum purgatissimo iudicio ac testimonio laudarentur, & quasi beatæ prædicarentur. Hic animaduertendum est, sermonem haberi de beatitudine, qualem in hoc exilio perfectæ animæ comparare solent, cum iam interna virtutũ structura velut ad vmbilicum perducitur. Eiusmodi verò beatitudo multiplex est, vt ex textu constat Euangelico. Eius verò natura non est à virtutum natura diuersa, sed potius eadem, solaque à communi virtutũ gradu, perfectione actuum dirimẽda. Enimuerò ipsemet virtutis actus

egre-

egregius, quemadmodum, si, vt delectat, expendatur, fructus sibi nomen vendicat, ita, si, vt perficit, spectetur, appellatur beatitudo. Et quia iuxta rationem hanc, is virtutis actus, beatorum heroicos æmulatur affectus, merito beatitudinis nomenclatura insignitur, iureque ij beati nuncupantur, qui eiusmodi actum expromunt. Dixit sponsus ab illis tribus velut classibus animarũ, sponsam ad probitatis persuasionẽ efferri. Nunc appositè triplex ille chorus in scenam introducitur & sic effatur.

Qui beati nuncupentur.

Adolescentulæ, concubinæ, ac reginæ.

Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens?

Quam sublimis est ista, quæ nec iacet, nec verò sedet in tenebris, vt reliquum genus humanum, sed erecta graditur, & procedit vt aurora, noua capiens diuinæ lucis incrementa, ac proinde semper in altiora consurgens.

RECTE admirari incipiunt, sponsam, quam peccati caligo peruaserat, adeò illustrem conspicatæ. Propterea, non quod ignorent, sed significationis ergo, interrogant, Quænam est ista, quæ progreditur, quasi dicant, tota fere Adæ posteritas, vel sedet, vel certè iacet in tenebris & vmbra mortis, hæc autem, cum ex eodem parente ducat genus, quomodo non sedet, aut iacet, sed incedit erecta, rectoque itinere progreditur? Contemplantur hi tres animarum chori sponsæ à recente iustitia, vsque in præsentem gradum progressionem, vt totius vitæ cursum exactè commendent. Propterea sic aiunt, Quænam est ista, cuius initia nobis contemplantibus, videtur aurora quædam pulchra oboriri, & solis ortum præcurrere? Aurora nihil est aliud, quam prima diei lux, qua sub solis aduentum aer illustratur, & accipi solet etiã, pro ea diei parte prima, quãdo lux adhuc du-

Tres animarũ chori.

Aurorę designatio.

bia

bia est. Hac verò sub imagine iustitia recens adumbratur, quæ in eo primordio, cum adhuc perfectè nō claruerit, tenebrarum ex paulo ante admissa culpa relictarum, nondū vestigia prorsus abiecit. Est autem eximia illius laus, esse auroram surgentem, hoc est lucis incrementa capientem, ac in illas tenebras prævalentem. Sunt enim nonnulli, qui auroræ quandam præferunt similitudinem, ad gratiam euocati diuinam; at verò quia torpent, & prauis consuetudinibus retardati, ab incepti itineris progressione tepescunt, non imitantur auroram consurgentem, sed crepusculum noctis, adeò vt simul eis lux oriri, occidereque videatur. Verum tres chori laudare pergunt.

Pulchra vt Luna.

Sicut Luna tunc est pulcherrima, cum in plenilunio eam recto Sol complet aspectu, ita hæc, diuini solis ac sponsi sui, eam

per lineam rectam aspicientis luce plena, longè pulcherrima apparet.

Luna cum est plena pulcherrima est.

TOTA sanè Lunæ pulchritudo, lux solis est. Quamobrem quò rectiùs soli opponitur, & quasi per lineam rectam solis ad eam radij perferuntur, eo pulchrior apparet, vnde & in plenilunio pulcherrima videtur. Contra verò, quò magis oblique solis lucem excipit, deformior conspicitur; quapropter, si omnino caret solis aspectu, vt in eclipsi perfecta, turpissima, videtur esse. Hæc est pulchritudinis sponsæ natiua effigies. Porrò, si sponsi luce velut recto solis aspectu sponsa compleatur, egregia forma, perfectaque venustate nitebit; Si verò obliquè illam diuinus hic sol intueatur, parte saltem pulchritudinis quapiam ea carebit. Si denique acciderit eclipsis, terra, hoc est, affectu terreno inter solem illum, sponsamq; interposito, interna tunc deformitas,

men-

mentisque caligo sponsam obducet, ac obtenebrabit. Nunc autem sponsa pulcherrima est, quia recta linea sponsi lux illam complet, vt nocti præluceat, & illustrare valeat eos, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent. Qua quidem imagine, satis patet, quam fœliciter sponsa ab auroræ luce dubia progressa fuerit. Ibi enim nec dum ipsa plenè lucebat, hic verò in plenilunio existens, noctem vertit in diem, vt errantibus quasi viam lacteam commonstrare queat. At hic minime conquiescunt illi chori, sed quod est laudum fastigium, & quasi structuræ coronis, apponunt aientes.

Electa vt sol.

Elegit eam Deus, vt solem, nam propter eximiam perfectionem, natiuaiam illi lux, non aliunde hausta videtur. Et eius sanctitate ac doctrina fulget Ecclesia, vt Sole Luna.

HAc pulchra similitudine propalat spiritus Sanctus excelsum il-

lum

lum perfectionis gradum, in quem sponsa conscendit. Vsque eò enim progressa est, vt sit viua quædam sponsi ac spirans imago, vt quicumque illam aspexerit, (si tamen aquilinos oculos adeptus fuerit) Solem ipsum diuinum sibi cernere videatur. Propterea iam non vltra cõparatur ijs luminibus, quæ luce lucent aliena, vt aurora, & Luna, sed Soli, qui propria luce, natiuaque lucet, ac fons luminis est. Enimuerò, etsi rarò, nonnunquam tamen aliquot animæ adeò illustres Ecclesiæ militanti præluxere, (quod in rebus gestis Apostolorum, aliorumque patrum, qui sunt eorum æmulati claritatem, licet animaduertere) vt natiuo lumine splendere, alioſque illuminare viderentur, ac proinde huc spectat, quid de ijs canitur. Quorum doctrina fulget Ecclesia, vt Sole Luna. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, ecce, quopacto sunt electi,

quan-

quando verò apponitur, Quorum doctrina fulget Ecclesia, vt Sole Luna, facile declaratur, eos esse electos, instar Solis. Hoc vero sic accipiendum est, vt Ecclesia, cuius distincta sunt membra, in duo tanquam lumina discriminetur, quorum alterum ijs viris clarissimis, qui solis funguntur officio, tribuatur, alterum verò, quod non est adeò illustre, eis adscribatur, qui sunt in Ecclesia merito, ac sanctitate posteriores, qui ab illis primis, tanquam à Sole Luna, lumen mutuantur. Illorum ergo clarissimorum luminum dignitatem sponsa ostenditur assecuta, cum tanquam Sol nuncupatur electa, quæ tametsi à sponso lucem receperit, tot tamen illa creuit accessibus, vt iam lux non aliunde hausta, sed natiua videatur. Ex hoc sponsa electa videtur, vt præsit diei, quæ ante, cum nondum solis esset claritatem adepta, nocti dumtaxat præerat. Minus nimirum erat peccatoribus

Ecclesię membra in duo lumina distincta.

nocte

nocte signatis illustrandis esse illam præpositam, quam iustis, quorum dies gerit imaginem, esse prælatam. Hanc nunc insignem dignitatem nacta est, vt iustos rudes adhuc ad perfectionem perducat & multiplici actu hierarchico, tanquam superior angelus inferiorem, purget, illuminet, ac perficiat. Allatæ similitudines aurora, lunæ, ac Solis, suauitate refertæ sunt, qua perfectarum animarum affluit ingenium, ex quo, qui sanctitati student, eximiam voluptatem eliciunt. At interdum expedit, hac suauitate posita, sponsã sceleratis animis terribilem apparere, vt eorum coerceat petulantiã, vt in harum laudum primordio spõsus innuit, sub istorum verborum tunc inducta metaphora. Nunc verò repetitur, quia, cum ad præfecturam sponsus cupiat sponsam erudire, & velut ad prælium armare, nihil impensius illi commendari debuit, quam alterna terror cum suauitate

per-

permistus. Propterea iterum inducitur à tribus illis animarum choris aciei ordinatę translatio.

Terribilis vt castrorum acies ordinata.

Terribilis sponsa, vt Sol, radios in tenebras peccatorum emittens, apparet, sicut acies hastas præferratas ac lucentes in aduersum agmen intendens.

A DEO sapienter sponsus connexuit sponsæ dotes egregias, vt tametsi videantur longe dissimiles, alias tamen ille miro artificio deducat ex alijs. Enimuerò lux auroræ Lunæ, ac Solis, quæ foue: animantes, oculisque grata est, eadem tenebras pellit, nebulas, & caliginem discutit, & fugat. Quamobrem si tenebræ, nebulæque sensu essent præditæ, nihil magis vel execrarentur, vel formidarent, quam lucem. Sic oculi nebula, caligineue obducti lucem fugiunt & oderunt, sicut dictitari solet, oculis ægris odiosa est lux. Oculis ægris odiosa est lux.

Pecca-

Peccatores autem in tenebris iacēt, & illorum animi, quemadmodum & angeli tenebrarum, caligine obruti sunt, vnde nihil est illis luce odiosius, & qui cum iis certaturus est, non est alijs armis, quam luce induendus. Quapropter scriptura nos hortatur, vt induamur arma lucis.

Rom.13.

Sponsa igitur splendidissima circūsepta luce, velut aureo clypeo, à quo iustorum eam imitantium montes resplendent, prodit armata, & tenebrarum principibus, eorumque ministris sit sanè terribilis, quod quam sit propriè dictum, ex castrorum acie repręsentata liquebit. Profectò, vt constat ex militari prudentia, cū exercitus ad prælium disponitur, acies vna, contra hostium obfirmatur impetum, quæ acies hastariorū est, qui tanquam murus ferreus tela intendunt infesta. Tela verò præferrata cuspidibus exacutis ac lucentibus oculosque hostium impetentibus, imitantur radios solis, qui

à sole

à sole ipso erumpentes, sicut infestæ hastæ lucentes, & cuspidatæ aduersam impetunt, pelluntque caliginem. Patet ergò, quam sit elegans, rerumq; ingenio cõsentanea translatio, cum sponsa nuncupatur terribilis vt castrorum acies ordinata. Sic ergo tres illi chori rogare existimandi sunt. Quænam est ista, quæ Dæmonum, peccatorumque tenebris terribilis & infensa est, Solis more radios in caliginem intendit aduersos, quemadmodum acies hastariorum, tela in hostem intendit præferrata, radijsque lucis è lucente ferro emissis, aduersi agminis oculos armata præstringit. Tribus his choris in scenam accersitis, ac interlocutis, sponsus, qui tantisper, dum illi spõsam commendabant, siluit, sermonem repetit, sponsamque mulcere festinat. Perpendere autem operæpretium fuerit, morem mutuò amãtibus familiarissimum esse, si qua ratione alter possit de altero conque-

Elegans translatio.

Mos amãtium.

ri, nihil non agere, vt excusationem saltem vmbratilem prætexant, & se ipsos à læsi amoris noxa compurgent. Hanc amantium philosophiã non aspernatus sponsus, cum visus esset sponsam diu derelictam nimium torsisse, suumque nimis reditum prorogasse, repente apparens, quasi pulchritudine sponsæ captus ab illius laude sibi temperare nequiret, laudauit illam. Postquam verò laudi velut coronidem adiecit, tanquam sedato amoris motu, quem sponsæ intuitus excitarat, sic excusationem affert.

SPONSVS.

Descendi in hortum meum.

Cum à te recess: (o sponsa) descendi ad permulcendam & voluptate capiendam congregationem nuper conuersorum, qui hortum nucum imitantur, habent enim cor multis callis obtectum, ex prauis consuetudinibus anteactæ vitæ, sicut nucleus multis operculis septus est. Et ideo illos

crebro inuisere, & delinire debeo, vt mihi præbeant cor, & sinant me illos callos excindere.

IN primordio huius capitis sponsa dixit, Dilectum descēdisse in hortum suum, cum se subduxit, & ad recentes iustitiæ fœtus leniendos properauit. Hoc ipsum sponsus causatur, & velut excusationem affert, cur abfuerit. Excessus ergo à sponsa, quæ iam est charitate sublimis, & accessus ad tyrones recens Deo genitos, ipso quidem iustitiæ primordio humiles, eleganter descensus appellatur. Ipse verò tyronum cœtus, hortus nucum arcana significatione rectè nuncupatus est, quod ex naturali nucis structura facilè patebit. Porrò fructu, nucleoue iuglandium vesci perdifficile est. Nucleus enim ille multis est tectus operculis, calyce nempe puluinato, ac putamine, vbi obduruit, firmissimo. Est prętereà ille lignea intercursāte mēbranavelut

Tyronum cœtus hortus nucum nuncupatus.

Difficultas nucem edendi.

implexus, quamobrem vix vllus est fructus, qui vt edi possit, tantum negotij, quàm nux vna faceſſat. Conterenda quidem est, & ab ea nucleus non tam eximendus, quàm illata vi extorquendus videtur. Hæc est imago Christo parere auspicantium expressa. Profecto hi peccatis assueti, longo anteactæ vitæ procursu multiplices callos obduxere cordi, qui est arcanus ille nucleus, quo vesci sponsus impensè cupit. Quapropter cum sponsus eos animos contuetur, hortum certè nucum sibi videtur cernere. Laborandumque illi est, seduloque incumbendum, in eos callos excidendos, qui cor ambiunt, vt optato cibo frui queat. Sanè cum sponsus Samaritanam alloqueretur, & eius cerneret cor, instar nuclei, multis callis obtectum, ab eius colloquio nullo suasu diuelli poterat, vtpote ad excidendos callos magnoperè intentus, vt ijs amputatis suo cibo vesci valeret. Ij verò

Ioan. 4.

cal-

calli, cum arctè nimium inhæreant cordi, nõ ita facilè excindi possunt, sed adacto scalpro opus est, multiplici videlicet virtutum actu, quià peccatore ad gratiam susciato, exercendus est. Non enim, si quis peccator ad iustitiam vno excitetur impulsu vt plurimum, continuò cordis calli resecantur. Experitur quippe legem membrorum menti improbè reluctantium, & cordis ad terrena procliuitatem, ex ijs callis nondum exsectis exortam, quæ multa nauitate, ac exercitatione iustitiæ eleuanda, & si fieri potest, procul omnino arcenda est. Quoadusque enim cor illis callorum septis sit exemptum, spõsus cordis nucleo symbolico vesci nequibit. Quia verò fames illum vrget, in hanc enucleationem totus incumbit. Sic ergo cẽsendum est, sponsum effari. Quod à te recesserim sponsa, cum mihi tota patebas, rationi consonum fuit. Habeo enim hortum nucum, cœ-

tum videlicet nuper conuersorum, quorum corda vix suis queo claustris extrahere, ac proinde ad illa eximenda, quorum fame premor, neruos intendere, hortumq; ipsum frequentare debeo. Tuum cor iam possideo, & eius fidem expertus cõsultò abeo, meritumque cumulo; at si teneros tyronum animos ita vellem experiri, & non creberrimè adessem, ac solarer, illorum fructu minimè potirer. Sed sponsus pergit.

Vt viderem poma conuallium.

Descendi ad hortum nuper conuersorum vt inspicerem, & solarer illos. Solatio enim, ac voluptate nunc alendi sunt, ideo enim dicuntur poma conuallium, in quas cõfluit voluptatis aqua, vel gemmina torrentis. Torrente quippe voluptatis nunc potantur, vt fructum referant.

MVLTIFARIAM, recẽter Christo sociati, nuncupari solent. Nuces nimirum arcano sermone (vt proxime dictum est) appellãtur.

Nunc

Nunc poma dicuntur conuallium. Pulsat autem mentem dubitatio, quomodo sermo cohæreat. Nam si sponsus descendit in hortum nucũ, ideo proculdubio descendit, vt videret nuces, cur ergo quasi nucum oblitus, ait se descendisse, vt videret poma conuallium; Verum hæc vocum, non rerum est diuersitas, constat enim apud classicos, autores, nuces pomorum genere contineri, sic quippe de nuce Plin. ait l. 15. c. 22. Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. Et ita dum sponsus ait, se descendisse in hortum nucum, vt videret poma, tantundẽ agit, ac si diceret, descendi in hortum nucum, vt nuces, quæ sunt poma, viderem. Vel certè si poma hic, non nuces, sed mala sint, quibus est mollis cutis, sponsus ait, Descendi in hortũ nucũ, vt viderẽ poma, ac si diceret, vt poma mollia ex duris nucib. aduẽtu meo facta viderẽ. Ad hãc n. trãsfigurationẽ efficiendã spõsus

Recenter conuersi nuncupãtur poma conuallium.

Vocum nõ rerum diuersitas.

Quomodo sponsus corda visitat.

corda visitat, vt nouas cordibus formas inducat, & lætus inductas videat. Nam & ad hãc metamorphosim mundum visitauit, oriens ex alto. Dicuntur autem poma conuallium hoc est, locorum humilium. Exigua enim est illorum mensura, & propterea in humilibus locis figurato sermone pinguntur. Sic quippe ait septuaginta Interpretum versio, Vt viderem in genimine torrentis, qua sermonis forma, quædam loci cauitas notatur, in quam pluuia cõfluit, efficitque torrentem. Est autem mira diuinæ sapientiæ harmonia, dum recenter conuersos, in humili loco, & velut conualle quadam statuit, vbi tantò vberiorem percipiant voluptatem, quanto recentiores sunt, vt & ipsa voluptatis copia fiant fructuosi. Enimuerò, quemadmodum è montium culminibus, inter quos conuallis iacet, aqua in conuallem ipsam vberrimè confluit, ita, in animas iniustitiæ primordio, tanquam

in

in conualle, agentes, copiosissimè fluit diuina voluptas. Et hac agriculturæ peritia, plantæ illæ tenerrimæ, fœlicius crescunt, amoris fortitudinem nondum adeptæ. Propterea Septuaginta sic inducunt sponsum loquentem. Vt viderem in genimine torrentis, hoc est, Descendi in hortum nucum, qui meæ præsentiæ voluptate colendus est, vt viderem, an sit fructus quispiam in genimine tortentis, id est, in germine, quod torrente voluptatis alitur, & crescit, quæ nota est apertissima nouorum iustitiæ fœtuum, qui torrente voluptatis à sponso leniuntur; sic enim inducuntur sensim, vt aspera subire possint experimenta, quibus, tanquam ferro exacuto, vetustas illis excidi possit, & cordis nucleus erui. Hæc igitur sunt poma conuallium, seu genimina torrentis. Porrò, qui perfecti euaserunt, in terra deserta, inuia, & inaquosa, hoc est, vbi voluptatis torrente non potatur a-

nimus, apparent Deo firmissima fide subnixi, ac si essent in Sancto, vbi Deus sua præsentia suauissimè solatur animam, vt regius psaltes de seipso canebat; verum, qui expertes sermonis iustitiæ sunt, qui exercitatos ad boni & mali discretionē non habent sensus, in terra inaquosa fructus minime reddunt, sed in conualle, in quam vndique confluit aqua, vel (in eundem sensum) in torrente, cuius genimina satis apposite dicūtur esse. Vlterius verò sponsus ait.

Et inspicerem si floruisset vinea.

Recessi à te (o sponsa) tanquam à forti & adij imbecillem amare incipientium cœtum, quem flos vineæ notat. Est enim is flos velut initium vini, quo significatur perfectus amor.

PROFECTO si de perfecta, seu perfectioni proxima iustitia haberetur sermo, non de flore vineæ, sed

de

de maturis vuis sponsus cogitaret. Cum ergo ait, se descendisse in hortum, vt inspiceret, an floruisset vinea, de tyronibus se agere perspicuè prodit. Sunt nimirum certæ charitatis periodi, quæ tempus humanæ vitæ imitantur. Est sua charitati infantia, est sua pueritia, adolescentia, iuuentus, virilitas, & pro senectute maturitas; non enim deficit vt senectus, sed matureſcit. Hæc autem elegans temporum discretio, gemma, flore omphacio maturitati proxima, maturaq; vua, & maturitatis perfectione notatur. Nunc igitur, cum animæ nuper de vite sponsi propagatæ, & in eadem satæ vinea pinguntur, floris mētio significantur facta est, ad innuendā charitatis pueritiam. Inquit ergo sponsus. Recessi à te (ô sponsa) quæ solido cibo veſceris, ad inspiciendam, & mea præsentia alendam, eorum, qui nuper me amare cœperūt, quos flos vineæ ex quo vua concreſcit, & vi-

temporum discretio.

Flos charitatis pueritiam designat.

& vnum denique exprimitur, eleganter notat pueritiam. Tu velut vua matura me reficis lassum, hos ego, vt vuas ferãt, sollicitè colo. Huic tyronum descriptioni manum spõsus vltimam admoturus, ait.

Et germinassent mala punica.

Abij ad inspectanda prima punicorum germina qui est tenellus incipientium amor.

Malum punicum imago charitatis.

NON ait, Vt inspicerem, an maturuissent mala punica; sed germinassent, vel pullulassent. Porrò, malum punicum esse expressam charitatis imaginem, ex rubore, cũ corticis, tum acinorum; tum verò maximè ex illa vltronea ruptura, qua cum maturuit, velut viscera prodens inflammata dehiscit, & ex corona, quam gestat, satis ex se liquet. Rubet charitas diuino igne genita, viscera incensa celare nequit, vt regina virtutum coronata incedit.

Habet

Habet autem suas malum punicum periodos, & velut humanæ vitæ signata discrimina, vt de vinea proximè dictum est. Partus quippe mali punici primus, cytinus appellatur, in modum scyphi rubei à natura cõformatus. Ex hoc ipso cytino flosculi quidam erumpunt, quibus balaustium nomen est. Postmodum flos ille concrescit in acinos, punicumq; augescit. Grana deinde intra corticem gliscunt, ac rubent. Exinde punicum iustam crescit ad magnitudinem. Demum maturum ac percoctum punicum integra perfecti amoris significatione dehiscit. Cytino infantia, balaustio pueritia, acinorum concretione adolescentia, granorum incremento ruboreque iuuentus, iusta magnitudine virilitas, sciſſura punici dehiscentis, non senectus, (nec enim senescit) sed charitatis maturitas mirifice signatur. Cum igitur de gerimne, & quasi partu punici primo sponsus loquatur,

Mali punici discrimina.

Gradus ætatis.

tur, de noua illum charitate agere neceſſe eſt; & in hunc morem effari. Receſſi à te, ô ſponſa, nec enim tu mea præſentia tantopere indigebas, ac illi, qui ſunt in amoris incunabilis. Hi cytinos punici, tu punicum patens, ac acinorum flagrantium quaſi viſcera retegens imitaris, propterea veni vt inſpicerem, an hi germinaſſent, te verò iam ſciebam maturuiſſe, tota enim, cum mihi pulſanti aperire feſtinabas, vt punicum maturum patuiſti. Hæc poſtquam ſpōſus effatus eſt, ſic ſpōſa reſpōdet.

SPONSA.

Neſciui.

Non animaduerti (o ſponſe) quamnam ob cauſam receſſiſſes. Neſciui an ex culpa mea fugiſſes, ideo dirè torquebar.

Neſciui, id eſt, non animaduerti.

NESCIVI, tantundem hoc in loco pollet, ac non animaduerti. Rectè ſponſa callebat artem amandi. Probè norat, DEVM ſolere

volu-

voluptate negata, proceram charitatem experiri. Sciebat incredibilem Dei erga recenter iustos indulgentiam, qua illos creberrimè solatur, experta enim est sponsi dignationem, cum esset infans, vt patuit in huius cantici exordio, tunc quippe sine meritis vbera sponsi mira voluptate sugebat. Nouerat hæc sanè, ac proinde videtur potuisse animaduertere, hanc sponsi absentiam tyronibus, quam sibi magis necessariam, nec inde torqueri, cum sine culpa subtractio voluptatis illi contingere potuisset, sicut verè cõtigisse videtur. At sæpè solet euenire, vt, præ doloris magnitudine, quis, ea scientia, qua pollet, vti nequeat, quod sponsæ in descripta contigit repulsa. Maxime autem hoc verum habet, vbi culpæ suspicio, vel timor obrepsit, sicut in spõsæ animam se insinuauit. Etsi enim ipsa non peccarit, extemporanea tamen, contra spem, sponsi

fuga, in cordis eam coniecit anxietatem, ne forte sponso quampiam vel ignara irrogasset iniuriam. Anxietas igitur intellectus vim obtundebat, & sic non considerauit, non animaduertit, quod sciebat. Potest etiam propriè intelligi, quod ait, Nesciui. Verè enim etsi culpa fuisset immunis, nesciuit tamen id ita esse, ac proinde sola illam suspicio acerrimè vexauit. Sic nimirum persæpe conspicimus, viros charitate præstantes à Deo interdum derelictos, in luctu iacere, non sanè, quod ipsa derelictio peccati persuasio sit; nec verò, quod ipsi norint, se peccasse, sed quia id nesciunt, & propterea vel sola suspicione torquentur, & Deum, ac si peccassent, placare, & exorare contendunt. In vtroq; igitur allato sensu rectè sponsa dixit, Nesciui. Et vt exprimat, ex hoc ipso, quod nescierit, totam sui animi perturbationem, anxietatemque manasse, quandam inducit ex hi-

storia sacra similitudinem, ad eam perturbationem declarandam peropportunam.

Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

Et dum te absentem quærebam fluctibus ingruentium malorum videbar obruenda, vt olim Aminadab, qui currus suos ducebat per alueum rubri maris, vbi perturbatus est prodigij magnitudine, licet fortitudo præualeret.

EXPLICATVRA sponsa, in quam ex sponsi recessu anxietatem inciderit, quàm fuerit animo perturbata, cum se exercens à Doctoribus, quos mœrore confecta adierat, explosa, & vexata fuit, tangit historiã Aminadab, qui fuit abnepos Iudæ. Porro postquam Moyses rubrum mare Deo imperante diuisit, & aquę instar montium elatæ fuerunt, via per maris alueum patefacta, per quam sicco vestigio filij Israelis graderentur, omnes tunc tribus timore

Aminadab nepos Iudę. Num. 1. 2. 1. paral. 2.

concussæ, viam maris aperti ingredi formidabant. Aminadab verò, tribus Iudæ tunc princeps ac ductor, audacter Moysen gradientem secutus est, cæteris constantiæ, & magnanimitatis exemplũ tribuẽs, quo in præclaro facinore, dignitatem regiam tribus Iudæ promeruit. Huius inuictissimi viri animum sponsa contemplata est, & illius expendit affectus, quos in se figuratè traduxit. Sanè in eo egregio facinore Aminadab animus quandam agoniam, motuumque conflictum passus est, tametsi animi magnitudo præualuit. Pars quidem inferior, quam inferiorem rationem appellamus, prodigio illo diuisi maris conturbata est; erat enim id spectaculũ, quod fortissimis etiam pectoribus terrorem incuteret. Quis enim per maris alueum incedens, & hinc inde aquarum montes elatarum cernens, non concuteretur, cum facillimè gens illa videretur aquis obruenda,

si na-

si naturali fluxu, aquæ sinerentur excurrere ? Verum princeps mentis pars, quam rationem superiorem nuncupamus, in illo viro fortissimo, nunquam è sua magnitudine & cõstantia deturbata est. Hac velut imagine graphicè picta, labor, quem sponsa repulsa pertulit, apertè mõstratur. Enimuerò ei⁹ anima, si principem illius partem spectemus, in repulsa ferenda, & probris, quibus vexabatur audiendis constantissima fuit; at verò eadem anima, si eius inferiorem partẽ perpendamus, maximo tunc mœrore, ac luctu, maximaq; perturbatione commota est, vt in eo loco liquidò perspeximus. Et in hac animæ diuisione agonia, & affectuum conflictus positus est, quem viri etiam perfecti crebrò patiuntur. Inquit ergo spõsa. Cum aberas, ô sponse, ac te per vicos & plateas excurrens inuestigabã, videbar mihi ipsi similis quadrigis Aminadab per rubri maris alueum

gradientis. Sicut enim illius anima turbata est cernens elatas, & ruinam minantes maris aquas, quibus operienda videbatur, ita ego calamitatum, & conuiciorum fluctus, à Doctoribus excitatos, & tumentes, quibus tumulanda videbar, intuens, efficere non potui, quin anima mea conturbaret me, tametsi princeps animæ ipsius pars, vt contigit Aminadab, prævaleret, & me vt constanter per medios fluctus incederem, permoueret. Quod verò attinet ad loquendi formam, dum ait, Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab, idem est, ac si diceret, Anima mea conturbauit me propter imaginem quadrigarum Aminadab, quam ipsa mea anima conceperat, & tunc anxia repræsentabat. Vocat ergo illum conflictum internum nomine quadrigarum Aminadab, propter similitudinem, quæ certè loquendi ratio vulgatissima, & notissima est, nihil enim fre-

quen-

quentius, quam rerum nominibus imagines in animo existentes insignire. Quadrigæ verò, vel, vt in Hebræo, Chaldaica paraphrasi, & septuaginta Interpretum versione habetur, currus, pro vniuerso apparatu tribus illius accipiuntur. Credendum enim est, ad exportanda onera, Hebræos ex Ægypto, vbi erat innumera curruum multitudo, proficiscentes, curribus vel proprijs, vel conductis vsos fuisse.

Quadrigæ vel currus pro vniuerso exercitu accipiuntur.

Non est silendum hoc in loco, plurimos Hebræos nomen Aminadab, non hominis illius ex stirpe Iudæ proprium, sed appellatiuum in duas sectum voces arbitrari, ita vt currus aminadab, seu, quod alijs placet, nadib; sit idem, ac, quadrigæ, vel currus populi mei munifici vel spõtanei. Sed editio nostra vulgata præferenda est, quæ vnum dumtaxat nomen legit Aminadab, & fortasse in textu Hebraico ita olim habebatur sine interpunctione, aut diuisio-

ne: nam & septuaginta Interpretes vnum tantũ nomen habẽt ἀμιναδάβ.

Animaduertere oportet, ex quo sponsus ad sponsam redijt, suauissimum vltro citroque dialogum fuisse contextum, sponsamque fuisse ecstasi correptam, vbi Deus illi blãdiebatur, & quasi tessam de via recreabat. Soluta verò ea videtur ecstasis fuisse, per accitos tres illos animarum sponsam laudantiũ choros. At sanè rectius, & accommodatius videtur, sponsam eas sponsi superiùs descriptas laudes quasi pro concione audisse, vt alij eas non ignorarent, quod interna illustratione fieri potuit, Deo alijs animabus lumen infundente, vt perspicerent quibus ille modis sponsam vexatam solaretur. Sic enim cohæret sequens ille actus comicus, quo tres illos choros, quasi coram concione, vt testes inducit, ad sponsam commẽdandam. Si enim in ecstasi mera, & velut consorti experte, cuius videlicet

licet nemo conscius esset, sponsus sponsam laudasset, nõ videretur ad rem agere, cum testes perfectionis sponsæ inducit, excludens quodãmodo à laude semetipsũ, velut nimis amantẽ, cuius audita laus fidẽ facere nõ posset. A quo n. audita fuisset, si seorsum (nemine conscio) cũ spõsa verba fecisset? Hæc itaq; sic se habere videtur. Verũ vbi ad afferendã absentiæ causá ventũ est, cum sponsus eam quasi seorsum affatur, aiẽs, Descendi in hortum nucum, ipsaque respondet, se id nescisse, & perturbatam fuisse, secretius quiddam esse videtur, & altius. Et in hoc loco æquum est, sponsam cernentem Dei excusationem afferentis dignationem, & indulgentiam erga se incredibilem, voluptatis amnemaduisse, & raptu ad diuina fuisse sublatã. Hic verò Spiritus sanctus animas tribus illis choris distributas, vno velut agmine in scenã nouo introducit actu, precãtes, nõ verò inter

pellantes sponsam, vt scilicet, eo somno soluta, vitam cum ipsis ducat, quam possint æmulari. Talis autem est deprecatio.

Adolesc. Concub. Reginæ.

Reuertere, reuertere Sulamitis.
Reuertere reuertere, vt intueamur te.

Sponsa perfecta, quæ quatuor rerum mundi gradus ecstasi absorpta excessisti, excitare & ad nostrum conuictum reuertere, vt te perfectè vitam agentem, admitationem, intueamur.

PRECANTVR obnixè, vt ad sensuum redeat functiones, quò eam fœliciter procedentem, actusque vniuersos ad rationis diuinæ amussim emetientem intueri, hoc est ad imitationem spectare possint. Et tametsi, eam, quamdiu abstracta est, vim precum percipere nō posse norint, est tamen illis exploratum, ad sponsi aures illas perlatum iri, & ex hoc fo-

re, vt

re, vt sponsæ innoteſcant, quam ijs votis ſperauere flectendam. Nunc verò vocum proprietatem perlibremus. Sanè, cum quis incipit ſopiri, experitur, ſenſum, qui rebus vacabat externis, ab rebus eiſdem ſenſim pedem retrahere, & alio quaſi pedetentim abire; ſic enim, quo magis ſe ſopor inſinuat, ſenſus à rebus externis longius recedere, & quæ geruntur eminus, quaſi per nebulam audire videtur. Contrà verò, quando incipit expergefieri, velut à remoto quopiam loco, ſenſus qui abierat, in hominum conuictum, externaque officia videtur reuerti. Sic nimirum, quo magis ac magis ſomnum excutit, eo videtur magis rebus externis propinquare, & quaſi coniungi. Conſtitutum eſt autem ecſtaſim pereleganti metaphora ſomnum appellari; quemadmodum enim ſomnus animum à rebus auocat externis, & cõtrahit ad ſeipſum; ita profecto ecſtaſis ab externis tu-

Simile.

Ecſtaſis per metaphoram ſomnus appellatur.

multibus mentem soli Deo vacaturam auertit. Sicut autem, expensa similitudine allata, mens arcano ecstasis somno ab hominum conuictu recedit; ita è contrario, cum ecstasi soluitur, ad humanam societatem dicitur pulchrè reuerti. Cum ergo tres illi animarum chori sponsam reuerti precãtur, ecstasis depoſcũt, ad sua lucra, solutionem. At, cur quater reuerti precentur, edisserendum est. Profectò, quatuor in mundo rerum gradus esse, corpora, animantia, hominẽ, angelũ omnino liquet. Fieri autem potest, animam, in vnoquoque illorum graduum contemplando absorberi, & quandam ecstasim pati. Memoriæ quippe proditum est, philosophos aliquot egregios, naturæ secreta speculantes, à sensuum functionibus alienatos fuisse, toto animo ad veritatis naturalis, è qua eximia voluptas emanabat, speculationem intento, internorũ dũtaxat sensuum admisso

Quatuor rerum gradus.

mini-

miniſterio. Vt ergo Spiritus ſanctus innuat, ſponſam quatuor illos retũ gradus, in quorum contemplatione poteſt ecſtaſis fieri, exceſſiſſe, & ecſtaſi vna nobiliſſima, qua ad ſponſũ perlata eſt, quatuor ecſtaſes velut amplecti, ideo animas illas quater precantes ſignificanter inducit, ac ſi in hunc morem loquerentur. Excitare, & ad nos reuertere, ô ſponſa, quæ aſpectabilẽ corporũ pulchritudinẽ, animantiũ miras proprietates, hominũ naturam corporati mundi principem, angelorũ, qui ſunt tanquam in veſtibulo diuinitatis, nobilitatem, vno quaſi volatu tranſcendiſti. Volatus hic ſponſæ animam, velut in perfectionis apice paceque potentiarũ collocat, cũ eã ſpõſo ſociat quã arctiſſimè, quapropter, rectè Sulamitis, hoc eſt, perfecta, integraue, ſeu pacifica nũcupatur. Sulamitis verò, p quo Sunamitis legebatur, legendũ eſt, vt patet ex noua editionis vulgatę correctione, auctoritate

Sulamitis id eſt, perfecta, pacifica.

pon-

pontificia recens in publicum data. Denique, quod animæ illæ poſcunt, dum aiunt, Vt intueamur te, ad imitationem, æmulationemque pertinere videtur. Quod enim in ijs tribus choris, reginæ, quæ perfectæ ſunt animæ, recenſeantur, non eſt abre. Nam & inter perfectos viros, ſua etiam internoſcuntur diſcrimina, & frequens imitationis occaſio.

S. Antonius vir perfectus.

Sanè Antonius vir planè perfectus, qui confectis etiam ſtipendijs coronam promeruerat, cum Pauli Eremitarum principis, cœleſtem vitæ rationem contemplatus eſſet, acerrimè ad illius æmulationem incenſus eſt, vt mirandum minimè ſit, ſpõſam charitate inſignem, in alijs etiam ſponſis perfectione vitæ conſpicuis, imitationis ſtudium excitare. Nunc ſponſus probaturus, hoc à tribus illis choris conceptum ſibi placere deſiderium, pro ſponſa conſopita reſpondet, & quam ſit rationi conſentaneum illam imitari, ipſa

loquen-

loquendi ratione patefacit. Accersit autem quandam è re militari satis pulchram, & arcanam similitudinem, qua, velut effigie quadam natiua, sponsæ, quem fecit in charitate progressum, exprimere possit. Similitudo verò hæc ab Hebræis sexto in capite legitur; nostræ tamen editionis sectionem secuti, septimum caput ab illa exordiemur.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

SPONSVS.

Quid videbis in Sulamite, nisi chotos castrorum.

Recte studetis sponsam æmulari, studiosæ animæ. Imitatione quippe digna est, cum in ea nihil, nisi pacem bello partam, & victoriæ de hoste sæpè relatæ signa cernere positis. Castra nimirum vertit in choros, tripudians, & exultans pro victoria.

ALLOQVITVR sponsus tres illos animarum choros in vnum cœtum sociatos, aiens. Quid videbis, vel vt ex Hebræo vertitur. Quid videbitis, in sponsa, cui ex perfectione ac pace Sulamitis nomen est, nisi choros castrorum? ac si planius hoc modo effaretur. Iure contenditis sponsæ perfectionem imitari, nihil enim in ea perspicere potestis, quod non sit affabre structum, & certis ve-

lut in

lut in ſtationibus militari prudentia diſpoſitum. At verò ſtatim pulſat animum inſolens loquendi ratio, Si enim ex re militari ſimilitudo petita eſt, cur ſponſus choros, vel vt alij tranſtulêre ex Hebræo, choreas cõmemorauit? Profecto caſtra ſuis agminibus, cohortibuſue diſtribuũtur, tãquam partibus, quibus cõflatur exercitus; quibus ſanè in partib. velut in eiuſdem corporis membris diſtinctas cernimus functiones; omnes tamen eas ad prælium comparatas; verum in choris nulla belli ſpecies, ſed ſodalitij, tripudijque percipitur. Chori ſanè vulnera non infligunt, ſed ſaltandi peritia riſum excitant, quamobrem à caſtris tantum chori, quantum à vulnere ſanitas, à morte vita ſecerni videntur. Hæc quidem, ſi extimam vocum ſuperficiem ſpectemus, parum cohærere quiſpiam arbitrabitur; verum ſi in ſenſum arcanum, ſpiritu ductore, nos inſinuemus, mira noſtris

Chori non ad conflictum ſed ad riſum excitant.

men-

mentibus insonabit harmonia. Porrò, non modo, cum, parta victoria, exultat exercitus, vt olim mersò Pharaone, cum Moyses & filij Israel carmen cecinerunt, & Maria soror Aaron choros mulierum duxit, verum & cum spes victoriæ firma concipitur, castra, positis armis, vertuntur in choros præ lætitiæ magnitudine. Sic enim olim, bello inter Iudæos, ac Philistæos flagrante, cum arca fœderis in castra importata fuisset, non quod Israel victurus esset, sed quod Deus in castra venisset, & spem dumtaxat victoriæ excitasset, populus bellici discriminis oblitus, agmina choris quasi permutauit, & ob spem gaudio imbutus vociferatus est, adeò vt Philistæi, qui gentis fortitudinem non adeo formidabãt, choreæ, seu sodalitij exultationem horrerent, metuq; concuterentur. Si autem populus ille velut in choros castra conuertit, spe sola concepta, quæ postmodum euanuit, quã-

tò po-

to poterit æquius, ſpe victoriæ altè defixa, cœlituſque roborata ſponſa gaudere, & interna virtutum ad prælium accinctarum caſtra in choros lætiſſimos, fauſto quodam præſagio conuertere? Enimuerò ſuperius aſſertum eſt, eam eſſe terribilem, vt caſtrorum aciem ordinatã. Formidabilis enim eſt hoſtibus anima, cuius virtutes ſecum mutuò conſertæ, & ad certamen armatæ, aciei rectè diſpoſitæ imaginem referunt. Nunc verò ſponſa terrore hoſtibus incuſſo, triumphoque ſæpè reuecto, multis victorijs eam ſpem vltimi cõcepit triumphi, vt quadam diuinitus immiſſa ſalutis ſecuritate, quam vera virtus generat, caſtra conuertat in choros, hoc eſt, non iam tam ſit ſollicita de certamine, quam de victoria læta. Hic ſtatus beatorum fœlicitati propinquus pleriſque viris perfectis concedi ſolet, cum iam ſenſum edomuere, & crebro conflictu de hoſte reuexere triumphũ.

Concedi etiam solet velut quædam prælibatio fœlicitatis æternæ, cum stipendijs confectis ad patriam redeunt, tunc enim Deus morte paulò post disoluendis, vel reuelatione futuri prę̃mij, vel pacatissima cordis tranquillitate, talem ingerit animi lætitiam, vt aspectum aciei castrorum qui in animæ partibus ad prælium armatis cernebatur, in choros quasi tripudiantes, mira cordis suauitate, & alacritate conuertat. Tũc enim partes sensuum, principibus animę partibus minimè renituntur, sed procul acto conflictu, cor, & caro in Deum exultant, & choros simul lætantes imitantur. Hoc autem spectaculum iucundissimum est, Deique oculis planè dignum; duo nempe olim inimica carnis ac spiritus castra, quibus erat cruentum quotidianis ictibus bellum, in choros simul lætantes, & consentientes esse conuersa. Hoc est paradoxon, ad quod intuendum animas spon-

sus

sus inducit, vt eum statum contuẽtes, sponsam studeant æmulari. Nũc verò quasi pro concione, sponsam laudare iterato pergit encomio, & eam ad prædicationis opus, cui iam est idonea, perurgere.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.

Sponsa ac filia mea quàm speciosè graderis? Pedes affectuum, animalium mortuorum corio, hoc est, mortificatione calceasti, & sic à cœno mundi affectus non inquinantur. Sed tanquam pedes ad iter expediti gradiuntur, dum quæ retro sunt, tradunt obliuioni, & ad ulteriora se extendunt. Ideo pulchri sunt gressus tui in calceamentis.

INTER alia nomina, quibus sacri vates sponsum præsignauere venturum, Princeps pacis, repositum nomen est. Huius ergo Principis filia sponsa nuncupatur, quod planè verum est, ac sententiæ mirificè cõcinnum. Vnus quippe Dei filius

carne obtectus sponsæ pater, mater, filius, frater, sponsus, ac Princeps est. Qua in re nihil vel nouum, vel mirum debet accidere. Si enim iuxta sponsi ipsius effatum, qui æterni Patris voluntatem facit, sponsi frater, soror, & mater est, & in eo plures propinquitatis arcanæ gradus, quos natura conciliare nequit, gratia sociauit, quantò facilius in sponso Principis ac patris nomẽ, cum spõsi nomenclatura consentiet, cuius gratia nullis est metis definita? Spõsa ergo sponsi filia commendatur à pulchritudine gressuum in calceamentis. Concipienda est imago fœminæ pulcherrimæ, ac nobilissimæ, quæ mundo muliebri ornata incedens, pedes habens sandalibus contectos gradiatur, suam pulchritudinem, ac nobilitatem ipsa incessus venustate commendans. Est autem sedulò animaduertendum, non hic pedes nudos, sed calceatos, neque verò immotos, sed gradientes, & in

Matt. 12.

Imago fœminæ pulcherrimæ.

vlteriora proiectos laudari. Quæ quidem omnia sensus arcanos suggerunt. Profectò affectibus, quibus anima graditur, pedes notantur, vt ex superioribus patet. Hi verò, quãdiu in terra hac cœnosa pedes inquinante versamur, calceati, hoc est, contecti debent esse, ne si velut nudi inter mundi ferantur illecebras, fluxarum cœno voluptatum inficiantur. Integumenta verò istorum pedum, ex corio debent esse censuta. Corium enim, quod ex animalium mortuorum pellibus aptatur in calceos, arcano sensu mortificationem innuit, qua sunt affectus contegendi, hoc est, reprimendi, & velut iniecto stragulo operiendi, ne ab huius vitæ cœnosa terra, quam calcant, inquinentur. Hi tum affectus mortificationis corio contecti, non ab itinere torpescere, sed in vlteriora debent impelli; ideo enim non pedes, sed gressus significantissimè sponsus commendauit,

ac si luculentius diceret. Quam speciosi sunt pedes affectuum mortificatione calceatorum, qui gradiuntur, qui gressibus, hoc est nouis in perfectione progressionibus, quæ quidem retrò sunt obliuiscentes, in vlteriora se extendunt, fœliciterq; procurrunt. Appositè satis hæc verba sponsus enunciauit, postquam eximiam sponsæ perfectionem, allata chororum in castris similitudine extulit. Cum enim eam ibi significarit cœlitibus proximam, ne quis suspicaretur, ab itineris progressu in hac vita cessandum, vel ad eum posse sponsam perfectionis conscendere fastigium, vltra quod tendendum non sit, mox gressuum mentionem attexuit, qua omnem prorsus dubitationem expunxit. Et quidem in hoc encomio à pedibus exorditur laudem, cum in superioribus à capite orsus fuerit, cuius ordinis inuersi ratio est non parum arcana. Enimuero superius, cap. quarto, ac

sexto,

sexto, bis Deus egregiam spōsæ sanctitatem à sua ducturus origine, & vnde processisset ostensurus, ab ijs, quæ sunt capiti proxima, & velut adnata auspicatus est. Ex ipso quippe sponso, qui caput est sponsæ, omnis ea sanctitas emanauit. Nunc verò, quia sponsam, ad ipsum peracto virtutis quasi curriculo reuertentē depicturus est, à pedibus incipit, & in cæteras pulchritudinis partes inde procedit, vt sit egressus à capite, ac regressus ad caput idem. Hic est mirus diuinæ ordo sapientiæ, ea, quę partu quodam emisit, ad seipsam reducentis. Postquam igitur pedes sponsus laudauit, ad femora conscendit, in quibus significationis arcanæ plurimum inest.

Iunctura femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.

Societas in charitate filiorū spiritaliū, qui à tuo velut femore propagantur, & mutuo amoris nexu vinciūtur, similis est monilib⁹

seu catenulis, quarum orbiculi mutuo conserti sunt.

PRÆ oculis habendum est, sponsam, vt pro Christo legatione fũgatur, ad aliorum iam salutem curandam à spiritu sancto impelli, non enim alio, quam diuino impulsu hæc legatio est obeunda. Iam ergò femina, seu femora generationis in sacro textu sunt vulgatissima signa, vnde illa loquendi formula orta videtur. (Hæ sunt animæ, de femore huius, vel illius egressæ. Sic Abraham suum famulum, quem ad deligendam Isaac vxorem destinabat, adiurauit in femore, ac si adiurasset in Christo, qui, qua homo est, ex eo femore genus duxit. Est enim figuratus hic per metonymiam sermo, quo per causas designamus effectũ, sacræ paginæ familiaris, præterquã quod est etiam vulgo frequentissimus. Hoc ergo sermone figurato per femina hic, proles ab ipsis femi-

Fœmina seu femora generationis signa.

Gen. 24.

per femina proles notatur.

nibus

nibus propagata notatur. Huius autem prolis iuncturæ monilibus asseruntur similes, sicut enim monilium ansulæ, vel orbiculi mutuo sunt sibi connexi, & ea connexione monile, quo collum solet ornari, perficitur, ita proles sponsæ iam perfectæ, generatione spiritali; exemplo, verboque facta, salutaribus monitis propagata, mutuæ charitatis nexu secum ipsa conseritur, & ex multis filijs in iustitia procreatis ac sociatis, vnum quasi monile conficitur, quo sponsæ collum iugo assuetum, hoc est, labor coronatur. Sic quippe Paulus filios à suo symbolico femore spiritus fœcunditate genitos, ac si essent catenarum iuncturæ, vel orbiculorum connexiones, sibi mutua charitate sociatos, coronam suam appellabat, sicut torquem, vel monile appellare potuisset; nam & in corona plures laminæ aureæ vel argenteæ committuntur, & coniunguntur. Verum quia spiri-

talis hæc liberorum procreatio, non ſponſæ prædicantis merito, ſed ſpõſo tribuenda eſt, ideo iuncturæ liberorum aſſerũtur ſimiles monilibus, quæ fabricata ſunt manu artificis, qui eſt Hebraiſmus tantundem valens, ac ſi diceretur opus manuum egregij artificis. Hanc quippe mirã omni aurificum operæ elegantiorem, filiorum genitorum in charitate iuncturam, non alius, quam ſponſus, qui antonomaſticè artifex nuncupatur, efficere poteſt. Quod vt ſignificantius propalaretur, adiectum eſt (manu artificis.) Solent enim aurifices artis ſuæ peritis vti miniſtris, quos docuêre, ad aurea monilia effingenda, & conſerenda, & ſatis ſe præſtare arbitrantur, ſi diſcipulos opus elaborantes ſpectent, nequis error obrepat, licet vix operi expoliendo manum admoueant. Sponſus verò non ita ſe gerit, ſed omnia opera noſtra in nobis operatur, nec manum ab opere dimouet,

donec absoluat. Ipse est, qui concionatur, qui liberos generat, qui velut catenulas charitate conserit. Et tãetsi sponsa operetur, eam tamen sponsus ciet, ac permouet, idem opus præstans, quemadmodum scribentis pueri manum magister propria tenens manu lineas ducit in papyro, vt scribere ipse potius, quã puer asserendus sit.

In hunc sensum expositum recurrit, quod ex Hebræo verti potest. Vertebræ femorum tuorum sicut monilia. Sunt autem femorum vertebræ, quæ coxæ, seu coxendices appellãtur, duo videlicet ossa caua, quibus ossium femoris capita inseruntur. Enimuerò sicut ossa illa sua cauitate femoris ossa excipiunt, ac proinde ad corporis constructionem os ossi naturæ sociatur opificio; ita spiritu geniti sponsæ filij femoribus significati, nõ naturæ, sed gratiæ miro copulantur artificio, dum ex charitate alter alterũ excipit, &

Vertebræ coxæ seu coxẽdices.

amplexu

amplectitur, vt sic membrum membro coniunctum totius mystici corporis conflet structuram. Ex hoc textu patet, sponsum polliceri spõsæ prolem numerosam femorum typo signatam, ac si in hunc modum eloqueretur. Iam satis tibi studuisti sponsa, egredere tandem, dirigam enim tuos gressus speciosos in calceamentis. Et tuus labor infœcundus non erit, nam multitudo filiorũ maxima à te generabitur, manu mea eam generationem patrante, ac perficiente, vt filij tui sint mutuo connexi, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Pergit autem sponsus liberalitatem suam propalans, & quæ ad generationem hanc necessaria sunt, sponsæ se largitum esse manifestans.

Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis.
Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.

Intellectus tuus (o sponsa) sapientiam vt fœtum continens, quia potum propinat sitientibus, crater rotundus est, ad potum euertendum aptissimus, & quia escam porrigit esurientibus, similis est aceruo tritici. Quia vero mentis puritate & castitate corporis à contagione custoditur, est lilijs vallatus.

Vmbilici significatio.

TAM vmbilicus, qui per synecdochen ex parte totum notat, quam venter ipse ad generationem significandam pertinet, quod & ex se patet, & in sacris passim occurrit. Et ex psalmo centesimo nono constat, vbi Pater æternus sponsum alloquitur, aiens, ex vtero ante luciferum genui te. Quo ex loco textus istius arcanus sensus eruendus est. Porrò in diuina Theologia constitutissimum est, vterum, ex quo Pater ait se filium genuisse, esse ipsius Patris intellectum vniuersarum rerum cognitione fœcundum. Intellectus nimirum rerum speciem vt

Vterus intellectum notat.

semen

Similitudines.

Intellectus sponsæ crater tornatilis nuncupatur.

Sapientia potus nuncupatur ab effectu.

semen concipit, ac exinde elegantissimè dicitur esse prægnans, quoadusque parit notitiam. Iuxta hunc igitur sensum sponsæ vterus commendatur, duabus appositis similitudinibus, altera crateris, altera verò acerui tritici. Primæ nunc vim trutinemus. Sanè cum sponsa ad alios destinatur erudiendos, non tempus anteuertit, nec verò id optauit, quoadusque impleuit eam Deus spiritu sapientiæ, & intellectus, vt de suo thesauro dogmata diuina proferens, salutari ignaros imbueret disciplina. Intellectus ergo sponsæ diuina sapientia perfusus, pulchra metaphora crater tornatilis nuncupatur, nunquam indigens poculis. Crater quidem est, seu vas potu cœlesti plenum, quia videlicet sapientia, qua imbutus fuit spōsæ intellectus, est potus, ac proinde intellectus vas, seu crater debuit nominari. Sapiētiam verò esse potum, patet ab effectu, quia sitim sciendi à

natu-

natura insitam extinguit, & animum ab æstu rerum fluxarum refrigerat. Patet etiam ex oraculo, sicut scriptum est, aqua sapientiæ salutaris potauit illum, scilicet, iustum. Eccli. 15.

Hæc autem sapientia, quia & pro se, & pro alijs hoc nectare potandis, sponsæ tributa est quàm largissimè, dicitur crater eius poculis nunquam indigere; etsi enim semper propinet pocula, non propterea sapientia illius exhaurietur, quod est diuinæ bonitatis encomium. Ex hoc iam liquet, cur crater tornatilis, vel vt alij transtulêre, rotundus, appelletur. Quod enim ad externa pertinet, ventris pulchritudo à figura sphærica commendatur; tunc enim vterus pulcher est, cum extumescit moderatè, instar rotundi vasis tornatili opere confecti, vel ex argento ducti, læuoreq; nitentis. Ex hoc verò ad interna migrandum est. Notatur nimirũ figura circuli, intellectus sponsæ

Ventris pulchritudo vnde commendetur.

Figura circuli intellectus.

per-

Sponsæ perfectio notatur.

perfectio, quæ illi contigit ex sapiẽtia. Notatur etiam quædam ad motum, potumque propinandum opportuna facilitas, qua, qui Doctor aliorum instituitur, pollere debet. Frustra enim sapientiam videretur accepisse, si ægrè illam cum alijs cõmunicaret. Debet igitur sphæras cœlestes imitari, quæ ad motum facillimè, dum cientur, perennem influxum euergunt. Et hanc habet emphasim crater tornatilis seu rotundus, vt à crateribus alijs triangulis, vel quadrangulis, vel alijs id genus discriminetur.

Vmbilicus ventris cẽtrum. Vmbilici effectus.

Si vero vmbilicus non figuratè per synecdochen, sed propriè pro illo velut ventris centro accipiatur, satis erit ad rem sensus accommodatus. Vmbilicus quippe ad hoc, naturæ prouidentia, factus videtur, vt per eum fœtus, dum est in vtero, nutriatur. Animaduertendum verò est maximè, sponsam ad generationem, ac exinde nutritionem spiri-

talium

talium filiorum directam, sua conceptui, sua partui, sua educationi habere præstituta tempora. Porrò, Paulus aiebat, quasi gestans in vtero quosdam liberos, iterum se illos parturire, donec in eis Christus formaretur. Ex quo liquet, prius eum fœtus illos concepisse. Quomodo enim pareret, quos non concepisset? Quando verò hic fiat conceptus, inuestigandum est. Profectò cum peccator ad cor reuertitur, & conatur ad iustitiam, necdum tamen iustus est, tunc intra viscera sponsæ illum excitantis, & intimo cordis affectu amplectentis quasi absconditur, nec tamen per partum emittitur, donec in eo Christus charitate formetur. Eo vero tempore, cum potu cœlesti careat, nec enim gratiam adeptus est, in sponsæ corde velut infixus, & vtero matris conditus, eleganter dicitur per matris vmbilicum nutriri, quia sponsa, quæ victitat esca potuque gratiæ, chari- Galat. 4.

tate sua illum alit, & sustinet, donec tandem per gratiam illum enitatur. Hoc sane tempore vmbilicus sponsæ fit crater tornatilis, nunquam indigens poculis, quia humore cœlesti, quo affluit ipsa, potat peccatorem. Enimuerò sic Deus peccatoribus ignoscit, & eis vitam impertit, quia cernit eos à viris sanctissimis intra affectum, velut vterum quendam charitate latissimum gestari. Dum enim iustos pascit potat & amplectitur, cum in eorum vteris lateant peccatores, pars illius potus, & escæ ad eos etiam permeat, quasi per arcanum quendam vmbilicum. Sic sanè, si inter Sodomitas, & Gomorrhæos, vel pauciſſimi iusti vixissent, qui immensa spiritalis vteri capacitate peccatores celassent, cernens eos Deus iustorum vtero conditos, iram continuisset, & quasi per vmbilicum matris esca, & potu fœtus aluisset illos, quos extra vterum in scelere deprehensos horribili cõ-

sum-

sumpsit incendio. Hæc de vmbilico, & cratere dicta sint.

Ventris verò cum aceruo tritici similitudo expendenda modò est. Sanè si extimam rerum speciem cõtueamur, aceruus tritici tumens, & in latius à minus lato se fundens, ventris, qui, iacente homine supino, ab vmbilico, vsque ad costarum cratem se dilatat, repræsentat effigiem. Interna vero si contemplemur, cum venter, vt paulo ante explicatum est, notet intellectum, appositè satis sponsæ sapientia fœcundissimæ intellectus, aceruo tritici comparatus est. Quemadmodum enim, vt patuit sub crateris pleni symbolo intellectus sponsæ, sitientibus potum propinat, dum eos erudit, ita panem porrigit cor imbecillimum confirmantem, qui non minus, quam potus, eiusdem sapientiæ nota velut hieroglyphica est. Animus videlicet sponsæ, iam ætate prouectus, & experimentis pruden-

Aceruus tritici.

Luc. 12.

tiam nactus, est ille fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mẽsuram. Quippe, cum tyrones sponsa erudit, sapientiæ sibi ad salutem proximorum collatæ, ceu panis verè cœlestis naturæ imbecillitatem stabilientis, quasi partes incidit, & pro captu audientium eas erogat, ex quo patet, cur intellectus aceruo tritici, hoc est, per metalepsim pani conferatur. Sic ergo sponsus loqui credendus est: Intellectus tuus ventris symbolo expressus (ô sponsa) rerum sapientia fœcundus, ac velut prægnans, imitatur tritici aceruum, ipsa quidem figura extantem ac elatum. Et sicut ex aceruo Dominus familiæ mensuram impendit, ita tu ex vberrima tua sapientia, pro discipulorum captu, modios tribuis, ac metiris, paruulisque petentibus, ne, vt olim clade Hierosolymitana, deficiant, panem humanissimè frangis. Cur autem a-

Intellectus cur aceruo tritici cõferatur.

ceruus

ceruus hic lilijs vallatus asseratur, modo dispiciendum est. Certè acer-
uo tritici sapientiam innui, more Psal. 103.
panis cor hominis, qui ceciderat, confirmantem, proximè patuit. Lilijs verò virtutes candore insignes, puta corporis castitatem, mentisq; puritatem significari, ex superioribus constat, & ex se omnino planũ est. Nunc ergo tãetsi sapientia Christiana, qua sponsa imbuta est, quæ diuinorum est maximè conscia mysteriorum, suo quidem ingenio, & candida sit & illustris, ex contagione tamen, & quasi cœno corporis, cui anima est aduincta, solet nigrescere, ac obtenebrari, nisi virtutes eæ adsint, quæ corpus à luto voluptatum coerceant, & animam à corporis illuuie seruent immunem, quales sunt castitas, & cordis puritas lilijs significatæ. His ergo lilijs symbolicis sapientiam continens sponsæ venter, qui est intellectus, vallatus, & custodia septus est. Pro-

pter hoc, qui diuinæ sapientiæ compotes esse cupiunt, & sacræ scripturæ arcana callere, castitatis, ac cordis puritatis vallum intellectus arci, in qua est sapientia, circumdare debent, quemadmodum sponsam feciſſe, sponsus eius encomiastes refert. Post ventris laudem, vberum pulchritudinem sic effert.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

Ex te, quæ scripturæ arcana toto pectore à me fonte hausisti, duo testamenta, ad prædicationis functionem, quasi duo vbera, ad animas lactandas, erumpunt. Et quia ex vno intellectu tuo, velut ex vtero exeunt, gemellos imitantur. Hinnulos vero capreæ, quæ est animal mundum, visu acerrimum, & vngulam findens, imitantur, quia ipsa testamentorum doctrina munda est, vt argentum examinatum, visum animæ acuit, & discernendi vim quasi vngulæ fissura impertit.

Pro-

PROFECTO si encomium, quod nuper sponsus cœpit texere, mente repetamus, & ad quem scopum ab illo dirigatur animaduertamus, horum verborum interpretatio facile patebit. Excitata fuit spõsa. Gressus eius, quibus venustè incedens, veræ virtutis alijs præberet exemplum, commendati sunt. Prolem illi numerosam, & charitate concordem illi DEVS pollicitus est, allata femorum laude. Venter eius arcanus, qui est intellectus, diuina est locupletatus, & grauidatus sapientia, vt rudes erudire, ac expurgare valeret. Effecta est quædam arca testamenti, non veteris tantum, sed & noui, quod fœlicius est, vt hinc inde diuina oracula promens, prædicationis legatione possit rectè perfungi. Duo igitur testamenta, quæ in seipsis spectata duo vbera sunt, ab vnius Dei vtero, instar gemellorum, egressa, ex quibus lac semper haurit Ecclesia,

Duo vbera duo sunt testaméta.

effecta sunt vbera sponsæ, postquam intellectu suo diuinitus illustrato illa concepit, probeque intellexit. Intellectus igitur sponsæ ad prædicationem destinatæ est vterus, ex quo iampridem cõcepta prodeunt duorum testamentorum vterinos fratres imitantium vbera, quæ tyrones auidissimè sugunt. Hæc autem arcana vbera hinnulis capreæ sunt quàm simillima. Caprea quippe mundum est animal, visus perspicacitate, cursuque plurimum valens, vngulamq; findẽs, quod ad boni & mali discretionem spectat. Nunc autem rectè spectato verborum contextu, effici videtur, vt quandoquidem vbera dicuntur esse sponsæ, sicut hinnuli asseruntur esse capreæ, ita quemadmodum hinnuli notant vbera, caprea quoque sponsam repræsentet. Quapropter Capreæ proprietates sponsæ concinere necesse est. Ipsa nimirum, quæ olim sorduerat, nunc purgatissima, mundum animal sa-

Caprea animal mundum.

crifi-

erificio euasit aptissimum. Quæ olim caligauerat, insignem visus perspicacitatem diuina luce perfusa nacta est. Quæ olim peccati pondere pressa vix valebat incedere, nunc incredibili pernicitate currit, & salit. Quæ bonum à malo secernere nesciebat, vngulam findit, comparata spirituum discretione, ad suam legationem opportunissima. Easdem proprietates habent hinnuli, vtpote capreæ filij, quæ vberibus, hoc est, duobus testamentis mirificè quadrant. Scriptura nimirum sacra hiscè testamentis constans, munda est, ac argentum igne examinatum, visum acuit, ad cursum ab exilio ad patriam impellit, vngulam dirimit, disertè enim verum à falso, bonum à malo discriminat. Sunt igitur testamenta duo illa symbolica sponsæ vbera, sunt hinnulis similia, hinnulis inquam capreæ, quæ est sponsa eius animantis ingenio luculenter expressa. Expleta vberum laude,

Hinnuli easdem proprietates habent vtpot capreæ.

colli elegantiam contemplemur.

Collum tuum sicut turris eburnea.

Fides tua, quæ per dilectionem operatur, quæ te membrum mihi capiti Ecclesiæ copulat, vt collum, non est ieiuna, & inermis quasi à charitate aliena, sed ob charitatis societatem, est fortis & erecta, vt turris vel arx. Est eburnea ob castitatem, nescit enim adulterium fides, quæ per dilectionem operatur, similis denti elephanti animalis casti, Et albet luce candoreque charitatis, quasi ebur dolatum, & candidum, sine charitate quippe nigresceret.

Collum imago fidei.

COLLVM est vinculum quoddam à natura effictum, ad corpus capiti conciliandum, quæ viua quædam est imago fidei, qua membra corporis mystici capiti suo Christo iunguntur, tametsi charitate excidant. Verum hæc exigua laus est. Cõstat enim, plurimos collo isto capiti Christo sociatos passim perire, non enim fides sola ijs salu-

tem

tem afferre poteſt. Quamobrem, cum ſponſus de arcano ſponſæ agit collo, non fidem ieiunam, & à charitate ſemotam, ſed eam, quæ per dilectionem operatur, proculdubio innuit; ac proinde ea ſimilitudine vſus eſt, quæ ad charitatem fidei copulatam propalandam eſt maximè idonea. Ait nimirum, Collum tuum, ſicut turris eburnea. Duo autem hic aſſeruntur, quæ ſunt charitati natiua, eſſe videlicet turrim, & eſſe eburneam. Turre verò ſeu arce, quæ ad præſidium, & munimentum conſtituitur, non fides ſola, quæ ſine charitate inermis eſt, & facile ab hoſte proſternitur; ſed fides charitate fulta, & roborata notatur. Enimuerò Paulus ad Hebræos ſcribens, fidei laudes auſpicatus, cum plurima illuſtria heroum geſta, quæ fide patrarant, recenſuiſſet, attexuit illa vulgata verba, hominum cordibus ad memoriam inſculpta ſempiternam:

Turris eſt fides charitate fulta.

Sancti per fidem vicerunt regna, & quæ sequuntur ijs simillima inuictissimam fidei fortitudinem innuētia, quæ de fide (vt schola loquitur) charitate formata, palam enunciata sunt. Hac igitur vi stabilita fides, est collum membra capiti annectens, non collum infractum & languens, sed erectum & excelsum instar turris, inexpugnabile instar areæ arcis. Hoc autem ipsum planius fiet, si, nō qualemcumque turrim, sed ex ebore constructam expendamus. Ebur os est elephanti animalis castissimi, cādoreque nitet eximio. Fides verò animæ, quæ charitatem abiecit, velut in crimine adulterij deprehenditur, cum charitate, quæ torum sponsi violare nescit, orbatur. Etsi enim fides etiam mortua elicere nequeat actum, qui spiritalis coniugij sacramentum temeret, in adultera tamen manet anima, ac propterea ea sola sine charitate labem adulterij minime purgat, sed cum eo crimine, tan-

Ebur os elephantis significat fidem castam.

quam

quam sub eodem tecto diuersatur. Cum non possit crimen arcere, ac vincere, non erit arx, seu præsidij turris, cum adulterium non expungat, nec ipsa seorsum matrimonij iura seruet, non erit eburnea, hoc est, casta. Quam sanè doctrinam satis adstruit dentis elephantini candor. Fides videlicet sine charitate obnubilata est, & caligine obducta, non inquam ea caligine, quæ illi natiua est, eò quod sit lucerna lucens in caliginoso loco, hæc enim etiam cum charitate perseuerat, quamdiu exulamus, sed caligine alia, quæ fidei accidit, ex charitatis absentia. Cum enim charitas, iuxta Theologorum pronunciatum, sit forma virtutum, quemadmodum lux calorũ, fit inde, vt sicut color extincta luce iacet in caligine, ita fides, quę in hoc reliquarum virtutum eclipsim patientium subit legem, recedente charitate caliginosa nigraque sit, sociata verò charitati candida, vt

Charitas forma virtutum.

dens

dens elephanti. Charitas nimirum ſicut lux virtutum, ita & earum candor, ob affinitatem inter lucem candoremque vocatur; conſtat enim candidum colorem, plurimum lucis habere. Sic igitur ſponſus effatur. Fides tua (ô ſponſa) quæ per dilectionem operatur, excelſa, & inexpugnabilis eſt, vt turris, ſeu arx præſidij, caſta, & candida eſt, vt dens elephanti, ac perinde, velut ex ebore conſtructa. Hæc etiam virtus, ſicut reliquæ recenſitæ, ad prædicationis munus quod ſponſa obitura eſt, valde accommodatur, cum ſit paſſim cum mundo confligendum, hæc eſt autem victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra, ea nempe, quæ per dilectionem operatur. Poſt collum, oculorum ſubijcit mentionem, functioni ſponſæ apprime conſentaneum.

1. Ioan. 5.

Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Tuus intellectus, (o sponsa) multiplici tua scientia ad cernendum oculorum more collata, similis est aquæ piscinarum vrbis Esebon, sicut enim illa aqua quiescens, & pura reddit veras spectatorum effigies, ita tuus intellectus per eas scientias illustratus, veras rerum concipit imagines, ac, dum intelligit, eas sine decepitone reddit.

LAVDATVR VS sponsus oculos sponsæ pulcherrimos, ab omni nebula purgatissimos, quales decet esse internos præfectorum alijs oculos, qui corda sinuosa peccatorum perspicuè cernant, attingit quandam priscam historiam. Esebon vrbis vltra Iordanem sitæ, quæ fuit Seon regis Amorrhæorum; propè cuius quandam portam ab

Esebon vrbs vltra Iordanem sita.

homi-

hominum concursu, filiam multitudinis nuncupatam, erant piscinæ vrbem insigniter ornantes. Hebræi tamen volunt, Esebon esse hic, non vrbis illius vltra Iordanem nomen proprium, sed appellatiuum, quod computationem æstimationemue significat, &, iuxta hunc sensum, hunc locum de piscinis, quæ erant in Hierusalem interpretantur, quæ filia multitudinis dicitur, ob innumeram illuc confluentium nationũ multitudinem. Verum vtraque explanatio nominis Esebon, rationi consona est, & in eundem sensum recurrit, non enim ab Esebon, nomine, sed à piscinarum aqua, quæ vtriusque eandem laudem meretur, oculorum sponsæ laus arcana depromitur.

Aquæ piscinarum natura.

Est igitur animaduertendum, in piscinis aquam quiescere, extersisque sordibus non infici, quemadmodum amnes, coemo, sordibusq; alijs aquæ decursu aduectis inquinan-

nantur. Ex hoc efficitur, vt piſcinarum aqua ſordibus, motuq; immunis, ſpeculi more, ſpectatorum concipiat, & reddat imagines integras, rectas, & id quam clariſſimè. Amnes verò, quantumuis pura ſit aqua, ob fluctuum, vndarumue procurſum & inconſtantiam effigies non reddunt, niſi fractas, obliquas, & obſcuras. Ex hoc igitur diſcrimine aquarum, eruitur oculorum ſponſæ laus. Eximia nimirum in oculis, qui non nictant, non properè cientur, ſed tranquillè ac ſedatè ac ſine trepidatione rerum ſpectra concipiũt, venuſtas elucet. His videlicet oculis non accidit crebra illa deceptio, quam patiuntur trepidantes oculi, qui vix conceptas rerum imagines concitato motu intercidunt, atque permiſcent, vnde & recta iis videntur obliqua, magna ceu parua, rectè conſtituta corpora, vt monſtra cernuntur. Sub hac pulchra ſimilitudine intellectus ſponſæ, eiuſque mul-

Diſcrimen inter piſcinas & Amnes.

Venuſtas oculorum elucet, ſi nõ nictẽt, ſed ſedatè rerum imagines concipiunt.

tiplex scientia multorum oculorum symbolo notata commendatur. Cum enim mentis puritatem adepta fuerit, quam non inconstantiæ motus, non sordidæ fluxarum rerũ perturbant effigies, non cœnosi mundi affectus inficiunt, pacatissimo quodam statu fruitur, & rerum sinceram veritatem, integram, non obliquam, non infractam, sed qualis ea est, contuetur. Non illi fucata virtus pro vera, non vitium pro virtute præsentatur, non trepidant oculi, non caligine suffunduntur, sed sunt, ob infusam cœlitus perspicacitatem, ab omni prorsus deceptione immunes. His certè oculis sponsa, quæ aliorum curam gestura est, bona malaque prospiciet, & in omni euentu, quid facto sit opus, vt oportet, aquilæ more speculabitur. Expleta nunc oculorum laude, nasi elegantiam sensus arcanos vbertim suggerentem contemplari, iucundum erit.

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

Discretio spirituum tibi collata, nasoq; odorem à fœtore discernente notata, est similis turri, quæ in Libano in extremo terræ promissionis est constructa, ex qua Syrorum insidiæ explorabantur. Tu quippe discretione hac, dæmonum exploras incursus, & eludis, dum spiritum sanctum à maligno secernis.

SYROS, quorum metropolis Damascus erat, vastitatem in Iudæos persæpè machinatos esse, ex sacra liquet historia. Iudæi ergo in monte Libano ad terræ promissionis extrema, constructre præsidij turrim, ad Syrorum machinamenta exploranda, & eludenda. Turris verò ea recta Damascum spectabat, adeò, vt ex ea, quemadmodum nonnulli Hebræi tradiderunt, vrbis ipsius Damasci domus cerni possent. Turris celsitudine, ac statu recto, nasi

Damascus metropolis Syriæ.

Per naſum vis diſcernendi exprimitur.

naſi notatur elegantia, quæ moderata longitudine, & quaſi perpendiculari rectitudine conſtat. Arcanè verò ea Libani turri Damaſcenis oppoſita, vim diſcernendi, naſo apud authores etiam profanos ſignificatam, exprimimus. Sicut enim naſo fœtorem ab odore ſecernimus, ipſiuſque naſi conſtructio exacuta, & in aciem deſinens, ad ſectionem quandam videtur à natura deſtinata; ita ea vi, quam Patres ſpirituum diſcretionem appellarunt fœtorem peccati à virtutis odore, ſpiritum ſanctum à Sathanæ angelo ſponſa ſecernit, & velut quadam acie ad ſectionem opportuna diſcriminat. Hac autem diſcernendi vi ſponſa pollens, velut in excelſa quadam turri ad explorandos hoſtes erecta conſiſtit. Ex qua proculdubio turri in terra noſtræ promiſſionis ædificata, domus Syrorum, hoc eſt, latebræ, vbi ad inſidiandum Dæmones latitant, à viris perfectis explo-

Diſcretio boni à malo.

Latebræ Dæmonũ.

ran-

rantur, & tempore obseruato frustrantur. Sic igitur sponsus ait, Nasus tuus, ô sponsa, hoc est spirituum discretio, qua, meo munere polles, est tibi opportuna, ad hostium insidias eludendas, technasque discernendas, & spirituum discrimina expendenda, sicut olim Israeli, ad Syrorum strategemata exploranda, & subseruanda turris in Libano constructa è regione Damasci sita proficiebat. Hæc prima est interpretatio.

II. interpretatio.

Secunda, nec minus idonea, nec minus arcana est ea, quæ nasi trãslatione iram, in ea corporis parte maximè se prodẽtem, intelligit. Enimuero cum irascimur, euestigiò nasus tumet, ac flatum spirat calidiorem, æstuat, & quasi fumat. Est autem in hac à philosophis appellata passione, quod laude, quodq; vituperatione sit dignum. Solet nimirum ira adeo interdum efferuescere, vel rationem anteuertens, vel rationi per-

Nasus iræ index.

Iræ vis.

turbatæ contingens, vt intellectum velut quædam breuis ebrietas occæcet, quæ propterea modum seruare nequit, nec culpa vacare proinde potest. Solet verò alias ira quasi consultò excitari, simulque, ne modum excedat, coerceri, & cum iuxta moderationem hanc suscipitur virtutis actus egregius esse solet, puta, cum zelus Dei animum impellit. Tunc quippe, necesse est, vt animus excandescat, & in DEI hostes acriter inuehatur, & hoc modo diuino est oraculo parendum, aienti: Irascimini, & nolite peccare. Et quidem sponsus ipse, in quo nihil, nisi rationis ad lineam gestum est, huiusmodi ira per Zelum excanduit, cum, plexo verbere, templi violatores eiecit. Huic igitur iræ, nec rationem præuertenti, nec perturbanti, sed ad legis normam susceptæ, sponsa interdum indulgere debet. Nec enim hostis malignitatem persequi, & abigere, ex mystico

Psalm. 4.

Luc. 19.

tem-

templo, cui præerit, vllo modo poterit, si lenitatem tunc præferat, sed acriter incensa, & velut armata hostem cæsura est verbi gladio, sicut sponsus homines scelestos funium verbere cæcidit. Hoc planè modo nasus respiciet contra Damascum, vrbem Hierosolymis inimicam, hoc est sponsæ zelus iram suscipiens tartarum infestabit, Hierusalem supernę sæuissimum perduellem. Aliqui, pro naso, vertunt, frontem. Et quia, cum quis coram hoste non cadit animo, sed audacter constat, fronte non contracta, sed extenta solet audaciæ specimen exhibere, ideo satis aptè per frontem audaciam intelligimus. Quæ cum hoste spiritali pugnaturis perquam necessaria est. Sic igitur frons eleganter comparatur turri, quæ respicit contra Damascū. Audacia enim rectà opponitur impendēti malo, q; pellit, ac profligat. Hanc frontē spōsa cōtra Dæmones obfirmat, eosq; lacessit ad prælium.

Notandum est, accuratè, quàm prouidè sponsus sponsam muniat, & ad prælium pro salute proximorum gerendum accingat. Omnia quippè, quæ nunc exprimit, sponsæ dona, ad legationem eam obeundam, sunt consultò collata, Sed caput cũ sponso intueamur.

Caput tuum vt Carmelus.

Ego sponsus tuus tibi vt caput corpori iunctus, Carmelo monti excelso fertili, spinis carenti similis sum. Efferor super omnia altitudine, omnibus escam do fertilitate, accedentes ad me non pungo, sed quasi molli herba reficio, ob spinarum immunitatem.

Caput mulieris vir est.

SPONSÆ caput sponsus est, caput enim mulieris vir. Gloria autem & ornamentum insigne vxoris est, viro pulchro nobilique sociari, quẽadmodum corporis est ornamentũ egregium, caput benè constitutum, ac firmum habere, quod toti præest

cor-

corpori, idque totum sua honestat dignitate. Sic ergo ostensurus Spiritus sanctus ornamentum sponsæ potissimum, caput illi appingit, pulchritudine, ac nobilitate insigne. Porrò Carmeli montis laus ex multis capitibus peti potest, nempe à magnitudine, à fertilitate, ab aculeatarum plantarum immunitate. Altitudine conspicuus est, protoparentis nostri Helię habitatione clarissimus. Fertilissimus est, pascuis abundans. Spinetis carere dicitur. Altitudine sponsum, qui erectus est super omnem creaturam, fertilitate illum, quà oues suas semetipso pascit, spinetorum immunitate illum suauem, mansuetum, non pungentem, sed suaui pastu pecudes admittentem notat: licet enim eius caput spinis rigeat in passione, eas tamen spinas nec ipse genuit, nec verò eas aliunde sibi infixas vsurpat, vt lædat, immò vero puncturas ipse tulit, vt eas nobis adimeret. Hic est mons

Ornamentum sponsæ.

Laus Carmeli montis.

Puncturas spinarum in passione sua sponsus pro nobis tulit.

herba perenni opertus, à scriptura sacra ob decorem commendatus. Hic datus est sponsæ, vt caput corpori, & sicut paulo ante collata est ei gloria Libani, sub turris Libani symbolo, ita nunc ei datur decor Carmeli. Arcanè autem, cum sponsæ caput Carmelo simile asseritur, notandum est, per hoc innui, non modò decorem sponsi ad sponsam ceu capitis influxu perlabi, sed fertilitatē, pascuorum vbertatem, & cætera vniuersa à quibus Carmelus commēdatur. Inquit ergo sponsus. Ego, qui sum caput tuum, ô sponsa, ero tibi sicut Carmelus, decorus, ferax plantarum, pascuis abundans, ac proinde ij, quos mihi vt capiti, tibique tāquam huius capitis membro sociare curaris, ex me, vt tu recepisti, decoris, fertilitatis, pascuorumque vbertatis influxum recipient. Hic annotare oportet Carmeli nomine insignes montes esse duos. Vnus est Tyriorum Ptolemaidi imminens,

Duo montes Carmeli nomine.

ex-

excurrens in mare mediterraneum, vnde Carmelus maris appellatur, de quo hūc locum interpretati sumus. Alter est mons in Iudæa, qua itur in Ægyptum ad meridionalem plagā, in quo ciuitas eiusdem nominis exstructa fuit, hic verò scribitur cum aspiratione Charmel. Post caput, comæ à capite fusæ sponsus meminisse debuit. Ideo ait.

Discrimen inter duos montes Carmeli.

Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.

Ego caput tuum habeo comas, hoc est cogitationes purpuratas, amore rubentes, super te, velut super meum corpus effusas. Cogito enim semper de te ornanda, & operienda. Vnde cogitationes meæ purpura tua sunt, qua tu ornaris; nec vero qualiscumque purpura, sed colorem suum apertè monstrans, vt fila ad purpureas telas contexendas infecta, & in canales aquæ, vt eluantur, & coloris viuacitatem prodant, coniecta.

COMARVM à capite originē ducentium, indeque fluentium

in

Per Comas cogitationes depinguntur.

in humeros, corpusque regentium similitudine, cogitationes sponsi ipsius (quas videlicet ipse sponsus, qui est sponsæ caput, concipit, & super sponsam effundit, eam ijs circũuallans custodiens, & quasi contegens, dum de illa ornanda, perficiẽdaque cogitat) eleganter exprimuntur. Est ergo sponsus concipiendus sub quadam corporei capitis effigie, sponsaque sub corporis illi capiti subiecti imagine. Illud igitur caput comas pulchrè dicitur super corpus effundere, cum cogitationes suas ijs comis delineatas, ad corporis custodiam, ornatumque producit, ꝙ sponsus, à cuius animo sponsæ memoria non recedit, egregiè præstat. Et quia ob has, quas sponsus concipit, promitque de sponsa cogitationes, illa verè, vt principis filia incedit ornata, comæ asseruntur esse similes purpuræ regis, hoc est, purpuræ regali, quæ videlicet regiæ maiestatis est nota, vt ex communi totius antiqui-

Comæ similes purpuræ regali, quæ regiæ maiestatis est nota.

tiquitatis consensione patet. Hæc verò purpura dicitur vincta vel, quod alij legunt, iuncta canalibus, quia videlicet postquam vellera vel fila, ex quibus telæ cõtexendæ sunt, saniem, succumue, quo tinguntur hauserunt, eluuntur, vasis aquę ad id comparatis, vt color ipse, sordibus elutis, se prodat, & clareat. Canales autem hoc loco, sunt illa vasa, crateresue lapidei, qui propè puteos statui solent, vt, hausta puteorum aqua, crateres ij pleni potum animantibus præbeant, vt patet ex historia Geneſis, vbi legitur Iacob virgas posuisse in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt greges eam biberent. Idem autem nomen Hebraicum habetur ibi, ac in hoc loco, pro canalibus רהטים. Dum ergo sponsus ait suos cogitatus super sponsam effusos, esse purpuram regalem, nõ obscuram & sordidam, sed canalibus iunctam, idem agit, ac si diceret, purpuram lucentem, elutam, vi-

Canales vasa lapidea quæ propè puteos statui solent.

uum-

uumq; ablutione colorem prodentem, ad significandos cogitatus velut ex amoris fornace depromptos, & ignitos, quos ille ad sponsæ bonum sedulo conuertit, quibus etiam viuum purpuræ colorem æmulantibus eam exornat. Hæc eximia spōsæ gloria est, vt sponsus cogitatus suos effecerit sponsæ capillos, quibus illa vt regina purpurata incedit. Hæc prima est explanatio.

II. Interpretatio.

Secunda petitur ex Hebræo, & Septuaginta Interpretum versione, qui sic habent. Cæsaries, vel coma capitis tui, sicut purpura. Postmodumque discretè additur. Rex ligatus in transcursibus. Commendantur sponsæ cogitationes à mente, velut à capite comæ, exortæ, & dicuntur esse similes purpuræ, hoc est, rubentes, amorisque incendio flagrantes, quia licet color hic purpureus actibus voluntatis, potius quam intellectus quadret, illi enim sunt amoris, isti notitiæ actus, nihilominus

nus cum ex impulsu & quadam velut exundatione amoris intellectus tingitur, & quo amor impellit, suos omnes dirigit cogitatus, ardentior significatur amor, qui ob æstum intra voluntatem se nequiuerit continere, sed ad intellectum permeãs, cogitationes etiam suo colore, seu ardore affecerit. Sic igitur comæ capitis sunt sicut purpura. Quod verò additur, Rex ligatus in trãscursibus, energia plenum est. Vocantur enim ipsi capilli, transcursus, petita metaphora canalium, seu tubulorũ, per quos aqua deriuatur, atq; transcurrit. Sunt enim illi oblongi, & aqua, dum per eos labitur, vndat, & crispatur, vt capilli à capite per humeros defluentes, & artificiosa quadam contortione vndas imitantes. Trãscursus ergo idem q; comę significãt, & dum Rex in transcursibus ligatus asseritur, perinde est, ac si comis vinctus diceretur. Quo quidem sensu indicatur, sponsum cogitationibus

Transcursus idem quod comæ significant.

spon-

sponsæ purpuratis, & ab amore impulsis ligari, & ad sponsæ vota ijs vinculis inflecti. Hic verò loquendi modus inter amantes frequentissimus est; nihil enim ij crebrius dictitant, quam pulchris se fœminarum vinciri capillis. Hæc de secunda interpretatione ad Hebraicum, & Græcum textum expensa.

III. Interpretatio.

Verum ad nostram vulgatam editionem, quæ pluris facienda est, reuertentes, tertiam interpretationem allaturi, de purpura nonnulla præmittamus, quæ in priscis authoribus purpuræ infecturam describẽtibus obseruata sunt. Oportuit sanè veræ ac natiuæ purpuræ tincturam ex antiquis haurire scriptoribus, nam illius vsus iampridem in Europa cessasse, & pro ea, quorundam florum purpureorum, qui passim leguntur infectura substituta esse videtur. Sic quippe conspicimus, nouum purpuræ genus serico tingendo accommodum, nouis excogitatum

Tinctura veræ purpuræ in Europa cessauit.

tum moribus, ex vermiculo, quem Pœnorum lingua Carmen appellat, vnde in officinis Carmesini nomenclatura vsurpatur. Hac ergo tinctura substituta prætermissa, Tyrij olim veræ purpuræ laude claruérunt, qui viuas purpuras (sunt quippe pisces) capere contendebant, eò quòd eum vita succum illum euomerent ad tingendas lanas expetitum, vno quippe ictu viuens purpura conterebatur, & sic in mortis agone pretiosiorem saniem euomebat. Quæ sanè omnia in sponsum Iesum Christum mirificè quadrant. Immanes quippe illi purpurarij Iudæi, à quibus Tyrij non longè aberant, sponsum, quasi purpuram viuentem è mari traxere captura horti, velut hamo quodam, Tunc viuentem adhuc contriuere, verberibus, clauis, spinis. Illo autem attritu arcana ea purpura in agone mortis constituta emisit sui sanguinis copiam, ad tingendas, quin & abluendas animas,

Nomenclatura Carmesini.

Purpuræ sunt pisces in Tyria.

Iudæi purpurarii.

Accõmodatio ad sponsi passionem.

à mundo vniuerſo expetitam. Pretioſiorque nobis fuit illa myſtica ſanies, quam viuus emiſit, ea, quam mortuus cæſo latere fudit. Licet enim ſanguis, quem è latere effudit, in ſe quidem pretioſiſſimus eſſet, erat enim vnitus verbo; at quod ad tingendas lanas ſpectat, hoc eſt, ad animas merito ac ſatisfactione per illum ſanguinem redimendas, & ita eluendas, ſanguis à ſponſo viuente fuſus nobis pretioſior fuit, illius enim profuſione meruit, ac ſatisfecit, non verò iſtius; morte enim, meriti, ac ſatisfactionis tempus concluſum eſt. Hæc verò ſymbolica purpura, cuius ſanie nos, vt genus Dei electum, regaleque ſacerdotium purpurati incedimus, verè purpura regis immortalis eſt, ea enim natura humana, quæ attrita emiſit ſanguinem, purpura regis, hoc eſt, ſponſi, eſt, quæ rectè dicitur vincta iunctaue canalibus. Illa enim crucis foramina, vel terebro, vel clauis effecta

cle-

eleganter appellantur canales, seu transcursus, à sulcis, per quos aqua deriuatur, petita metaphora. Passim quippe fiunt canales, vel sulci lignei, qui nihil sunt aliud, quam ligna excauata, ad aquam ex puteis deriuandam, quod Italis vsitatissimum est. Cum igitur foraminibus crucis iuncta, & clauis per ea foramina immissis vincta fuit humana Christi natura, tunc verè fuit purpura regis vincta canalibus. Hoc verò mysterium clarius liquet, si alia satis consentanea versione vtamur, quæ ait (Rex ligatus in tignis) duobus enim crucis tignis, altero recto, alteroq; trãsuerso ferreis vinculis seu clauis Rex noster ac sponsus alligatus est. Hucusque descripta est purpura regis vincta canalibus. Nunc verò est elucidandum, quanam ratione, comæ seu cogitationes sponsæ similes huic purpuræ sint. Profecto mira est in oratione cõcinnitas. Spõsa enim adeo iã spõso crucifixo similis euasit, Alia versio.

Sponsa sponso crucifixo similis euasit.

eiusque mortis similitudinem adeò affectat, vt nihil aliud cogitet, quam quo pacto Christo configatur cruci. Ex quo patet, eius cogitationes comis notatas, esse similes, immò & iuxta veram philosophiam naturales imagines sponsi eis repræsentati, qui est illa mystica purpura vincta canalibus, vt proximè explanauimus. Huius ergo interpretationis proprietas ex naturali petitur imagine rei, quæ in cogitationibus lucet, dum concipitur. Et vniuersim verum est, conceptiones rerum esse illarum natiuas imagines. Itaq; dum quis de leone cogitat, sine vlla metaphora dicimus, eius cogitationē similem esse leoni, & sic, quia sponsa de sponso crucifixo, quem purpura vincta canalibus exprimit, sine intermissione cogitat, sine metaphora dicimus, eius cogitationes esse similes purpuræ vinctæ canalibus. Enimuerò quod sponsus appelletur purpura, metaphora est, quod eò

huic

huic purpuræ sponsæ cogitationes similes nuncupentur, non est metaphora, sed proprietas. Excursu longo per partes sponsæ pulchritudinem sponsus depinxit, & à pedibus ad caput vsque procurrit, quamobrem cum totius pulchritudinis partes congesserit, & contexuerit, rectè infert, eam esse venustissimam. Propterea inquit.

Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delicijs.

Quam perfecta præstas pulchritudine, quæ interna est virtutum concinnitas, & quam exacto excellis decore, quæ est externarum actionum moderatio. Mira est sanè hæc pulchritudo, & decor suo quidem ingenio; mirabilior autem fit, quia conseruatur in delicijs internis, in quibus multi nesciunt tenere modum.

HÆc loquendi ratio ad affectũ propalandum peropportuna, amãtibus est familiarissima. Ij enim

cum fœminas, quibus addicti sunt, contemplantur, in medio solent exclamare sermone, pulchritudinem efferentes, & verbis huius textus alia similia enunciantes. Sponsus ergo ait, quam exacta es pulchritudine, ô sponsa, quod ad interna pertinet, & quam es absoluta decore, quod ad externas spectat functiones. Profecto pulchritudo, cuius superius meminimus, in arcano sermone, virtutũ notat consensionem, ac concinnitatem, sicut corporalis pulchritudo partium debita constat proportione. Decor verò externarum actionum moderationẽ significat, quæ etiam, cum ex interna prodit harmonia, est laude dignissima. A pulchritudine igitur ac decore sponsa commendatur, vt per hoc sponsus innuat, sponsæ non modò animam, in qua lucet interna pulchritudo, verum & corpus, in cuius moderatione cernitur decor, iam seruire iustitiæ. Et quidem bimembris

Pulchritudo interna virtutum notat consensionem.

Decor externarum actionum moderationem significat.

Bimembris laus.

bris hæc laus erat per se magna, illã tamen auxit magnopere, quod appositum est in delicijs. Porrò cum Deus animam delicijs mulcet, non multum elucere solet pulchritudo, non decor. Plerumque enim, qui sponsæ non attigere perfectionem, dum internis delicijs permulcẽtur, vltra rationis metas exiliunt, animoque efferuntur, plus æquo sibi placentes, ac tribuentes, perfectè quippe se nesciunt moderari atque metiri, & ipsas delicias perfectionis argumentum esse credunt, longè in hoc à vero aberrantes. At qui veræ virtutis cognitione pollent, non ob delicias internas modum à ratione præscriptum excedunt, non sibi nimium placent, aut tribuunt, ac perinde nihil turpe, nihil à moderatione alienũ admittũt, quo pulchritudo ac decor forte decrescãt. Hãc ergo emphasim habent hæc verba, quibus sic sponsus loqui credẽd⁹ est. Quàm pulchra internè, quã decora

externè perseueras, ô sponsa charissima, in ipsis, quibus tibi blandior, delicijs. Non eas tuo merito tribuis, non tumes, nihil à virtute interna, vel externa moderatione geris alienum, quemadmodum ij, qui parum mei capaces, si quid cœleste gustarint, temerè euulgant, sibi tribuunt, & externis actibus immoderatis ostentant.

Deliciarũ nomine contemplatio intelligi potest.

Potest etiam deliciarum nomine intelligi contemplatio, quæ miram ingerit animæ voluptatem, in qua mirificè charitas exardescit, ac proinde crescit pulchritudo, & decor. Et iuxta hunc sensum, sic spõsus loquitur, Quam fœliciter, ô sponsa charissima, tua crescit pulchritudo virtutũ societate cõflata, tuarumq; actionũ moderatio ex interna prodiens perfectione, in contemplationis suauitate, qui est deliciarum paradisus. Hæc est eximia sponsæ laus, quæ non effertur prosperitate, Deũ sibi indulgentissimum experiens,

quem-

quemadmodũ nec aduersitate deiecta fuit, cùm illum velut auersum experiebatur. Hanc ergò animi adepta magnitudinem, sequentem palmæ similitudinem meritò audit.

Statura tua assimilata est palmæ.

Palmæ caudex scaber & asper est, super quem coma in coronæ figuram se fundit, victoriæque symbolum exhibet, ramisque reflexis terram despicit. Huic imagini similis est statura tua, o sponsa. Vitæ quippe austeritate, vt caudice scabro, conscendisti ad coronam, cuius imaginem præferunt palmæ rami. Et ne tibi nata solùm videaris, peccatores humi repentes, quorum curam geris, ex tua respicis altitudine, te ipsam, vt palmæ comam ad proximorum lucra curuans.

VIDETVR sponsus motibus humanis omninò cieri, cùm amoris legi obtemperandum est. Concipi quippe debet in hoc loco, sub imagine cuiusdam hominis fœminã exactè pulchram contemplantis, &

ex ea contemplatione in hæc verba prorumpentis. Statura tua, vel quod Hebræa cum energia dicunt, Ista statura tua assimilata es palmæ. Profectò septuaginta Interpretes hunc sponsi affectum significanter expresserunt quodam epiphonemate. Cum enim sponsus sponsæ laudes percensuisset, summa est vsus acclamatione, aiens. Hæc magnitudo tua. Hic clauditur periodus. Postmodumque noua laus ex palmæ similitudine affertur, in hæc verba, similis facta es palmæ, quorum sensus est idem, qui à nostræ editionis verbis redditur. Statura tua assimilata est palmæ. Sanè, vt hæc similitudo percipiatur, palma nunc cogitatione concipienda est, vt eius imago sponsæ nobis referat staturam. Est igitur palma multiplex; ꝙ autẽ ad rem attinet, genus hic earum palmarum, quæ sunt proceriores, intelligi debet, vt sponsæ magnitudini celsitudiniq; cõsẽtiat.

Epiphonema.

Palma est multiplex.

Hæc

Hæc est autem palmæ structura, vt stipes sit scaber, quasi gradato, cõpactoque cortice, seque squammatim subeunte, supernè autem effundat se in coronæ circulum coma, palmitibus inter ramos enascentibus. Rami sunt in terram reflexi, nec ob id oneri succumbunt, sed natiua quadam ingenuitate contrà pondus nituntur impositum. Hæc est statura sponsæ, nota velut hieroglyphica expressa. Porrò priusquàm in coronæ fastigium palmæ coma recurua significatum, victoriæque symbolo ascriptum sponsa conscenderet, & inter reginas vna, coronæ insigni redimita, & victoria de hoste potita fuisset, stipitem palmæ scabrum, asperumque subijt, & per eam scabritiem quasi repens, ad coronæ altitudinem, quasi ad palmæ comam erexit. Corporis nimirum domitu, sensuumque recessu, quasi stipite scabro, mira pernicitate,

Palmę structura.

Statura sponsæ.

in

in perfectionis apicem ascendit, & ea manibus contrectata vitæ asperitas, ad fructum & coronam palmæ sponsam prouexit, quæ fuit omnibus egregijs certatoribus, vt patet ex sanctorum rebus gestis, protrita philosophia. In hac autem vitæ austeritate sponsa non succubuit oneri, non est animo deiecta, sed inuicto, & pœnis obfirmato pectore, contra pondus nisa est. Iam verò postquam ad comam palmæ, ob insignem vitæ perfectionem conscendit, non sibi se solùm natam existimauit, sed palmæ comam recuruam imitata, ex illa sua celsitudine quasi ramis reflexis, & ad proximorum salutem curandam repandis, terrã, in qua iacent peccatores, respicere videtur. Ad hoc scilicet palmæ statum adepta est, vt alijs prodesse studeat, quæ satis creuit. Et propter hoc, postquám sponsus dixit, statura tua assimilata est palmæ, attexuit, &.

Sponsa vitæ austeritate non succubuit.

Vbera

Vbera tua botris.

Duplex amor tuus palmæ racemis similis est, ex quibus vinum confici solet. Hūc amorem velut expressis vberibus vinum reddentibus fugunt discipuli, qui amore tuo ad amorem incenduntur, & velut esca igni iuncta ignem ab igne concipiunt.

VBERA in arcano sermone, (vt sæpè dictum est) amoris sunt symbola. Sic sponsæ vbera geminus est illius amor, ab vno velut pectore erumpens, amor inquam Dei, ac proximi, quo eam nunc aliorum saluti studentem flagrare oportet. Duplex verò hic amor, non botris acerbis, quos si quis edat, eius dentes obstupescunt, sed maturis, soleque percoctis quàm simillimus est. Duo quippe amoris actus, qui ab vna voluntate, vnoque charitatis habitu, tanquàm ab vno pectore extumescunt, iam in sponsa maturos botros imitantur, quos tyronibus porrigit edendos, fœcunda quædam

Vbera amoris sunt symbola.

Amor Dei & proximi

arbor

Vites quomodo vinciantur.

arbor effecta. Ex hoc loco aliqui suspicati sunt, vites in Palęstina palmis maritari vincireque solitas, vt in Italia vlmis salicibus, alijsue id genus arboribus alligari solent. Ac proinde vites, postquàm creuerunt, & caudicem palmæ superarunt, racemos inter palmæ comam ramosuè credunt spargere, qui per mediam comam se prodentes vbera ex procera quadam fœmina, cuius palma refert imaginem, extumentia pulchrè notant. Pulchra sanè imago; at res incerta est, quæ, nisi ex alio Scripturæ loco, vel alia probata constet historia, ex hoc dumtaxat libro, qui totus est symbolicus, firmum argumentum ad id asserendum duci non potest. Verius multò videtur, botros, de quibus hic mentio fit, non esse vitium racemos, sed palmarum. Ipse enim palmæ fructus racemum imitatur, aiente Plinio, Coma omnis in cacumine, & pomum est, non inter folia,

vt

vt in cęteris, sed suis inter ramos palmitibus racemosum, vtraq; natura vuæ, atq; pomi. Sic ergò palma suapte natura fert dactylos racematim confertos, ex vno palmite, instar botri, enascētes. Cum palmā botrosq. simul, tamquàm vnam integram ex arbore, fructuq; conflatam similitudinem sponsa commemorarit, ęquius profecto erit, botrorum nomine, non vitis, sed palmæ racemos intelligere. Nec obest, arcanam botri significationē vino, q, ex vitis botris exprimitur, aptius congruere, vino enim amor apertè signatur. Non (inquàm) obest, quia ex eisdem palmę botris Orientis populos conficere solitos vina, prodit idem Plinius in eodem capite. Hæc de botris asserta sint. Quoad sensum verò arcanum vbera botris similia, hoc est geminos amoris actus extumentes, & iam charitate grauidam spōsam indicantes, recentes iustitiæ fœtus, quos sponsa curat, exsugunt,

Palma fert dactylos racematim confertos.

Vino amor signatur.

cùm

cùm se ab illa amantissimè recipi, fouerique cernunt, & ex hoc amplexu, & fomento illi incensi, diuinum amorem, sicut esca ignem attingẽs, igne sponsę ardere incipientes, quasi ex botris expressum vinũ bibunt, & concipiunt. Possunt hæc vbera secunda huic sponsæ statui, opportuna interpretatione intelligi scientia, & prudentia, quæ riuos quosdã fundunt, quos pro captu suo sponsæ magisterium adeptæ discipulæ hauriunt. Scientiæ lac velut ex altero vbere sugunt, vt norint quid eis sit agendum. Prudentiæ lac ex altero trahunt vbere, vt quomodo sit agendum intelligant. Nec enim scientia sine prudentia prodesset. Hæc autem vbera palmæ racemis similia sunt, ex quibus vinum exprimitur, farinaq; confici solet, vt apud Aethiopes, quia videlicet doctrina sponsæ scientia prudentiaque constans, paruulis est potus & esca. Nunc, vt sermonis se prodat ener-

Secunda interpretatio. Per vbera intelliguntur scientia & prudentia.

gia,

gia, animo informare debemus quãdam sponsæ elegantissimam effigiem, qualem palma procera dactylorum racemos fundens exhibet. Sponsus verò concipiendus est, tanquam fame incitatus, palmæ proceritatem contemplans, & captans, quanam ratione illam conscendat, & inuento demum ascensu eam subire decernens. Sic enim ait.

Dixit, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.

Dixi sponsam meam visitabo, qua palma procera est, & apprehendam, seu amplectar cor eius totum molle ac carneũ, quasi Dactylum sine ligno.

TE sponsam palmæ statura proceram contemplatus sum. Et fructu dulcissimo vesci cupiens in te conscendere decreui. Porrò tametsi sponsus, quando cum hominibus agit, semper descendat; à sua enim celsitudine, ad nostram se deijcit

humilitatem; nihilominus, si viam, quam terit, dum per hominum terrenis hærentia corda graditur, contueamur, quædam discrimina satis nota cernemus. Cum enim alia corda sint alijs humiliora, terræuè propinquiora, dum per ea sponsus transit & alia excelsa charitate corda visitat, pulchrè dicitur ascendere. Sic ergo accipiendum est, quod ait. Dixit, ascendam in palmam, ac si hoc modo loqueretur. Viam humilem cæterorum hominum protriui, & postquam longa sum mensus spatia, dixi, sponsam adibo, quæ cùm instar regiæ palmæ procera sit, ascendendum mihi est. Cui loquendi phrasi satis fauet alia versio Græcorum patrum, non pro eo quod nostra editio habet [Apprehendam fructus eius] aiunt illi [Apprehendam altitudines eius] sed nostram versionem exploremus. Profecto, inquit sponsus, cum palmæ fructu vesci cupiam, de conscensu est mihi

Quædam corda humilia, quædã excelsa.

Versio Græcorũ.

co-

cogitandum. Videtur ſponſus alludere ad palmas quaſdam in Oriente proceras, & teretes, quæ denſis, gradatiſq; corticum pollicibus, vt orbibus, faciles ſe ad ſcandẽdum homini præbent, miraque pernicitate per caudicem, quaſi per ſcalam à natura conſtructã homo arborem ſubit. Explicatum ergò cum ſit, quanam ratione ſponſus palmam conſcendat, quorſum conſcendat expendendum eſt. Et quidem ipſe luculenter ait, ſe velle palmam ſubire, vt apprehendat fructus eius. Porrò autem fructus palmæ, qui eſt dactylus, meretur laudẽ, ſi eius caro ſpectetur, ex ea enim vinum confici, farinaq; friari ſolet, vnde fructus duntaxat vnus potum præbet ac eſcam. Verum ex vno capite landari non debere videtur is fructus, quod lignum carne illa tectum, prædurũq. habeat, à quo, poſtquã quis edit carnẽ, dẽtiũ læſionẽ, vel certè effractionẽ pati poſſet. Minus autẽ laude dignus eſt, ſi fruct⁹

Palmæ in oriente proceræ.

Laus fructus palmæ.

expendatur ſtructura. Lignum quippe illud carne obtectum, cordis corpore ſepti refert imaginem. Ligneum verò cor, & adeo durum habere, vituperatione dignum eſt, cum tantummodò cor carneum, hoc eſt molle, ac cauſæ primæ impreſſioni recipiendæ aptum in Scriptura probetur. Præſtaret ſanè, carnem, vt in nuce, latere; ac eſſe in ligni medio cordis figura concreatã, vt effracto ligneo operculo, corde ſpõſus carneo veſceretur. Hæc profecto rationi conſentanea ſunt, & niſi dactyli eſſent nonnulli oſſe lignoue carentes, fructus palmæ non eſſent adeò pretioſi, non adeo ſuaues, vt pro illis, ſcabrum ſpõſus caudicem conſcendere tentaret. At in Cypro, Syria, & Ægypto palmæ nõnullæ eſſe feruntur, quæ per aliquot annos, nullum habent in pomo lignum; quas reſpexiſſe ſponſus videtur, cum ſponſam palmæ ſimilitudine laudauit. Enimuerò quando ſpõ-

Palmæ quales in Cypro, Syria & Ægypto.

ſus corda recenter conuerſorum tractat, carnem quaſi externam ſibi contrectare videtur, efficaci enim conuerſionis motu tantillum emollita ſunt, verum ſi cordis centrum ſpectemus, quod longo malè actæ vitæ obduruit abuſu, quaſi lignum quoddam dactyli carne contectum inueniemus. Etſi enim, propter iuſtitiam, nonnihil laborent illi, & à ſe nonnulla, quæ placebant, quæ nõ adeò intimè cordi erant inſculpta, relinquant, at ea, quæ in cordis ſunt centro defixa, vix longo annorum excurſu, longaque exercitatione relinquunt. Si tamen eò ſua nauitate peruenerint, vt totum omnino cor carneum efficiant, nihilq; in eo durum, quod veſcentis dentes lædat, ſuperſit, quod ſponſa eſt aſſecuta, tunc ſimiles erunt palmis fructum ſine ligno ferentibus, & in eos ſponſus fructus amore conſcendet, quẽadmodum erga ſponſam ſe facturũ pollicetur. Hic perfectionis gradus

Perfectionis gradus, & beatitudinis imago.

est excelsus valde, & quædam beatitudinis imago, quando videlicet sponsa cor tam perfectum assecuta est, vt nihil in eo, nisi tenerũ, ac molle, & carneum Deus inueniat, vt dicere possit, inueni hominem iuxtà cor meum. Et tametsi hæc cordis perfectio ad alias etiam functiones expetenda sit, ad prædicationem, & aliorum curam capessendam est omninò necessaria. Cum enim sponsa diuinis assueta colloquijs, ac solatijs, vt aliorum saluti prospiciat, ab ea requie optatissima auocatur, eget profectò corde omninò molli, nullamque duritiem patienti, ne in ea prouincia Deo renitatur, ne Deus durum quippiam, cum cor experitur, offendat.

Secunda huius loci interpretatio.

Secunda huius loci interpretatio, ex cantici processu deducitur. Cum enim sponsa sit iam alijs præfecta quos vt paruulos, humique repentes fructu suo vt palma debeat alere, sicut illi debent se erigere ad sponsæ

doctri-

doctrinam concipiendam, ipse etiã sponsus dicitur elegãter seipsum attollere in illis, & in illis palmam cõscendere, fructusque colligere. Est enim ipse infans dum spiritali conceptu formatur in anima, posteaq; nouis charitatis crescit augmentis ac perinde quibusdam quasi gradibus palmam conscendit, dum in discipularum cordibus latitans, eas ad sponsæ imitationem incendit. Constructa enim iam sponsa est in scalæ figuram, ideoque pingitur vt palma, cuius caudex asper est, & gradatus, ita vt conscendi in aliquibus regionibus possit. Per hanc autem scalam discipulæ sponsæ imitatione conscendunt, & fructus, vnde pascuntur, colligunt, ipseque sponsus ascendere, pasciique in illis asseritur, quia eas ascendere pasciq; facit; quemadmodũ spiritus Sanctus pro nobis postulare gemitibus inenarrabilib. dicitur, quia ijs gemitib. nos facit postulare. Perpẽdendũ est maximè,

Sponsa instar scalæ.

sponsum animas sponsæ discipulas impellere, vt illi coniungantur, & per eam subeuntes, illam fortiter apprehendant, vt eius contactu spiritali palmarum more concipiant, nam & ipsæ discipulæ, ob iustitiæ altitudinem, & robur inuictum euasere palmæ, minus tamen in eo genere perfectæ. Sanè iustis omnibus palmæ quadrat similitudo, iustus enim vt palma floret; at verò plura sunt palmarum genera, in quibus iustitiæ discrimina innuuntur, & hæc quonampacto sibi consentiant, ex Aquilæ versione nunc explanandum est. Porrò Aquila, pro eo, quod nos habemus [apprehendam fructus eius] vertit, [Apprehendam elatas eius. Sunt autem elatæ marium palmarum fructus, qui fœminis palmis impositi, & firmos, & maturos earum fructus efficiunt. Sponsus igitur optans prolem numerosam per sponsam iam prouectam suscipere, cernens eam vt palmam verè

Similitudo palmæ iustis conuenit. Psalm. 91.

Versio Aquilæ.

Mirabilis vis palmarum.

ma-

masculam, virili sanè mente præditam, impellit animas parum prouectas, palmis quidem, sed fœminis palmis similes, vt palmam marem conscendant, & quasi caudice conscenso fructus amplectantur, qui spiritali velut vtero impositi, fructus illarum vi sua perficiant. Iuxta versionem hanc satis arcanam, sponsus prodit, se spiritalem generationem expetere, quodam quasi castissimo sponsæ masculum animum adeptæ, discipularumque congressu, palmarum, in quibus est vterque sexus, coniunctione signato. Quod satis declarat verbis proximè adiunctis, aiens.

Impulsio animarū, vt palmam conscendant, & fructus amplectãtur.

Et erunt vbera tua sicut botri vineæ.

Erit geminus amor tuus, vel etiam scientia, & prudentia tua erga filios spiritales, quos ijs velut vberibus lactas, sicut duplex amor meus, scientiaq; & prudentia mea, quibus ego filios meos vt vberibus nutrio.

Spiritalis generatio hic agitur.

MANIFESTE hic sponsus de spirituali generatione agit, & nutritione. Sæpè nimirum pollicitus est sub corporatis rerum imaginibus fœtum multiplicem; huic verò fœtui figuratè nunc pollicetur alimoniam. In hunc autem modum eum agere concipiendum est. Postquam tibi, ô sponsa, liberos me daturum promisi, dixi, me susceptos ex te liberos impulsurum ad palmæ conscensum, vt quos per te genero, per te pariter alam. Et sic fies mihi quam simillima. Sicut enim ego me gero erga meos, ita tu erga tuos liberos te geres. Hanc similitudinẽ sub horum verborum cortice sponsus sponsæ promittit, vt nempe illi futura sit similis in filiorum educatione. Quod vt percipiatur, statuendum est, vineam, hoc loco, pro vite poni, vt patet ex Hebraico, vbi botri vitis pro vineæ botris leguntur, nec sanè in sensu vlla est differentia, quoniã botri nõ ob aliã rationẽ sunt botri vi-

Vinea pro vite ponitur.

neæ,

neæ, nisi quia sunt vitis botri. Nunc verò vulgatum est illud, quod de se sponsus enunciauit, Ego sum vitis. Cum autē sponsus se vitē esse testatur, nō vitē infœcundā, arentemue intelligit, sed fructuosam, & botris maturis onustam. Hi verò botri vitis, sunt illa vbera, quibus sponsus huius epithalamij initio præditus apparuit, quæ sunt amor sponsi geminus, vel in alio sensu, sciētia, prudentiaq; illius, quibus lactentes tyrones imbuere solet. Tantundē ergò significant botri vineæ, seu vitis, ac vbera Iesu Christi. Ex quo via pāditur, ad similitudinis huius vim percipiendam. Cum enim sponsus ait, Erunt vbera tua, ô sponsa, sicut botri vineæ, idem agit; ac si diceret, Erunt vbera tua ad liberos spiritales alendos, sicut vbera mea, quib⁹ ego illos indulgentissimè alo. Quemadmodū n. ego amore gemino quasi gemino vbere foueo, delecto, & voluptate instillata permulceo recentes in-

Vbera sunt amor spōsi geminus vel scientia & prudentia illius.

chari-

charitate fœtus, ita tu gemino amoris vnius actu, quasi duplici vnius pectoris vbere, dum me in illis, & eos propter me amas, filios spiritales fouebis, delectabis, & lacte instillato enutries. Et sicut ego veræ sapientiæ ignaros ad me accedentes, scientia rerum mearum, & prudentia imbuo; ita tu scientiæ ac prudentiæ istius accessibus proiecta & prægnãs, duplici velut ex vbere lac teneris filiolis instillabis, & illi, dum hæc tua vbera sugent, vbera profecto mea, ob similitudinem disciplinæ, sibi exsugere videbuntur. Experientur nimirũ in semetipsis affectus eosdẽ, ab eodem lacte, quod vino melius est, promanantes. Huius similitudinis vis in Paulo, cui spõsa satis similis iam euasit, & in cæteris Apostolis perfecta fuit. Illorum enim arcana vbera, tam erant Iesu Christi vberibus similia, vt meritò quisquis ea sugebat, vbera se sponsi exsugere, arbitrari posset. Et ad eandem simi-

Sponsus scientia & prudentia ignaros ad eum accedentes imbuit.

litu-

litudinem spectant hæc verba subtexta.

Et odor oris tui sicut malorum.

Erit odor oris tui, cum sapientiam loqueris, sicut odor meus. Similis enim sapientia effecta es mihi, qui sum malus inter ligna syluarum, & sum pomum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.

PROFECTO halitus odoratus totius corporis pulchritudinem maximè commendat, sicut è contrario oris fœtor etiam pulchra corpora nos facit horrere. Halitus verò benè olens, ex bona partium corporis constitutione, humorumque debita permistione procedit. Sic odor spiritalis ex interna partium animæ consensione, virtutumque debita connexione promanat, & internã pulchritudinem magnopere commendat. Odor autem oris non percipitur inspiratione, sed expiratione, & halitus emissione, & ita odor

Halitus odoratus oris hominem commendat, sicut fœtor eundem infensum reddit.

spiri-

ſpiritalis, quo anima Chriſtum olet, minimè hauritur ab alijs, cum intra priuatos quaſi parietes, charitas, & ſcientia iuſtorum contegitur; quãdo ſibi dumtaxat viuunt, chariſmata ſibi cœlitus collata velut inſpirãtes, & intra cellarium condentes; ſed cum halitum effundunt, & hiãt, oreque ad prædicationem aperto ſponſi dogmata inuulgant, tunc eis congruit iſta eximia laus, vt oris eorum odor ſit ſicut odor malorum. Cõſtat enim ex ſuperioribus, ſponſum appellatum fuiſſe malum inter ligna ſyluarum, & mali cum illo ſimilitudo expenſa tunc fuit. Malorum igitur nomine, plurali pro ſingulari accepto, ob rationem ſæpè allatam, ſponſus exprimitur. Ex quo planè conficitur, vt ſponſæ doctrina ex eo potiſſimum commendetur, quod ſponſo ſimilis ſit, & illum exinde oleat. Sic ergo ſponſus ait, Doctrina tua odorata ex ore tuo ô ſponſa, eſt, ſicut doctrina mea,

Sponſus malus inter ligna.

pro-

procedens à me, qui sum malus inter ligna syluarum, & sum pomum visu pulchrum, & ad vescēdū suaue. Hic annotare oportet, parùm interesse, malorum nomine arbores poma ferentes, vel poma ipsa signari, tam enim arbore, quam eius fructu sponsus apertissimè significatur. Et hęc prima est huius loci explanatio.

Sponsus idem pomum visu pulchrum.

Secunda promitur ex Hebræo, & septuaginta Interpretum versione, vbi sic legitur. Et odor naris tuæ sicut mala. Enimuero parum apta videtur hæc translatio, si eius spectetur cortex. Nares enim natura finxisse videtur, non ad fundendum, sed ad trahendum odorem. Non solum autem odorem, sed & fœtorem trahunt, in quo laus nulla valet inesse. Verum in arcano sermone, internæ nares etiam odorem exhalāt, & suaueolentia commendabiles sunt, quod ex corporeis naribus leui saltem possumus coniectari vestigio. Profecto, cum verba nō facimus

Secunda versio.

Natura narium, trahentiū odorem & fœtorē.

Internæ nares odorem exhalant.

vel

vel alia ex causa habemus commissa labia, naribus flatum inspiramus, ac fundimus, & in hoc pręter alias functiones, satis naturæ seruiunt, quod ex se notissimum est. Iam autem, si halitus, qui ore fundendus esset, naribus interdum effunditur, odorem nares reddant, si flatus benè olet, necesse est. Quapropter, nec abre loquitur sponsus de naris odore, etiam si ex corporeis naribus translatio ad internas fiat. Sensus autem ex allata naris bene olentis similitudine in hunc modum educitur. Cõtingit sæpè, animam sapientia diuitem, qualem hic spõsam pinxit Spiritus sanctus, à prædicatione, cui destinata est, prudenter interquiescere, & quasi labia committere; tũc verò, coniunctis labijs, non feriatur ab opere, nõ cessat odorem suauem spirare, nam quasi per nares flatum odoratum emittit, cum à concione desistens, spiritum discretionis exercet, quem nares apertè significãt,

vt su-

vt supra explanatum est, cum nasi elegantiam describeremus. Est enim non minus propria sponsæ alijs præditę functio spiritu discretionis subditorum mores affectusque discernere, quam eos concionibus erudire. Hoc autem ore velut aperto dicitur anima præstare, odoremque tunc sponsi odori persimilem fundere: illud verò tunquam labijs consutis, naribus patentibus asseritur efficere, similemque pariter odorem Christi spirare, vt meritò laudanda sit non minus à naris, quam ab oris odore. His sponsa donis ac promissis gratissima, quam referre nequit, gratiam se habere commonstrat, his verbis.

SPONSA.

Guttur tuum sicut vinum optimum dignum Dilecto meo ad potandum labijsque & dentibus illius ad ruminandum.

Spiritus tuus, o sponse, efflat doctrinam in me existens odoratam, sicut vinum optimum. Quæ quidem doctrina vino notata est digna te Dilecto meo, vt eam bibas, labijs tuis, vt eam custodias, dentibus tuis, vt eam rumines, has in me functiones exercens.

COMMENDAVIT sponsus oris sponsæ suauecolentiam. Quam cum sponsa non ex se, verum ab illo norit emanasse, acceptam illi eam fert, ac si dicat in hunc modum; Quid mirum est, si meus halitus benè olet, cum guttur, quo funditur, tuũ sit? Nemo est, quem lateat, gutture tuo reddi halitum more vini generosissimi fragrantem. Sanè vulgata metonymia guttur pro halitu accipitur, & inde guttur suaue vt vinum appellatur, quia halitus vinum fragrans olet. Halitus autem sponsi Spiritus sanctus est, quia ab eo more halitus spiratur. Ex quo efficitur, vt sub gutturis figura spiritus sponsi intelli-

Guttur pro halitu accipitur.

telligendus sit, qui sanè vt vinum optimum animas afficit, exhilarat, inebriat, vt patuit die Pentecostes, cum chorum Apostolicum afflauit. Act. 2.
Cupiens igitur sponsa suæ doctrinæ laudem sponso tribuere, ait. Ideo odor oris mei, doctrinaque mea ob odorem bonum laude digna est, quia guttur tuum, hoc est, spiritus tuus, qui eam spirat, benè in me olet, vt vinum optimum, quod ego ex te, sponse, hausi. Rectè philosophatur sponsa, dum gutturi, hoc est, spiritui sponsi suam tribuit sapientiam, non enim est illa, quæ loquitur, sed spiritus sponsi ac Patris æterni sui. Quod satis scriptura declarauit, cũ dixit, eos, qui olim cum Stephano disputabant, non potuisse resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, quasi diserte dixisset, Stephano sanè resistere valuissent, si loquutus fuisset ille, at quia non ille, sed Spiritus sanctus, qui erat eius guttur, in illo loquebatur, ideo ei obsistere nequiue- Act. 7.

Guttur; id est, spiritus sponsi.

runt. Iuxta hunc ergo sensum, guttur, hoc est, spiritus sponsi, qui in sponsa loquitur, spirat benè olentē doctrinam, vt vinum optimum, & profectò vt spōsa dicit, dignum Dilecto meo ad potandum. Tam enim sermo ex charitate, ac obedientia promptus, quàm cætera quæuis bona opera Deo digna sunt, quia ab Spiritu sancto ducunt originem: quamobrem dicitur sponsus ea libenter acceptare, edere, ac bibere, seu potare. Sed vt labia prętereamus quibus dignum vinum appellatur, quæ pro ore ponuntur, & ad doctrinam custodiendam, & coniunctione, dum meditamur, claudendam afferuntur (quod mirum dictu est) vinum hoc sponsi dentibus dignum asseritur ad ruminandum, tanquam mutuò dentium allisa conterendū sit, quod sanè à natura vini alieniſſimum est. Hoc quippe si ex natura vini mutuari velimus, est omninò ineptum. Vbi enim terrarum pro-

uenit

uenit vinum adeò natura crassum & solidum, quod sit dentibus atterendum? Quapropter ad rem vino significatam, sponsi nempe sermonẽ seu doctrinam transeundum est. Etenim sicut ruminare pabulum dicuntur animalia, cum postquam illud traiecerunt in rumen, qui est quidam vẽtriculus, reuocant ad os, ibique illud exterunt. Sic doctrinam sponsi ruminare, dentibusque atterere, nihil est aliud, quam semel cõceptam sponsi sapientiam, quam populus nequit integro sensu capere, ex ventriculo quasi ad os reuocare, & illam concerpere, & quasi dentibus comminuere, quod est, eam tanquam in portiunculas partiri dentibus meditationis. Enimuero meditatio, cuius est laborioſe discurrere, ac ratiocinari, dentibus allisu mutuò escas comminuentibus aptè notatur. Hanc igitur doctrinam ruminare dentibusque atterere debet sponsa, vt quod illa

Ruminare pabulum est animalium.

grandis effecta, excelsa iam mente concepit, proterat, & velut in buccellas diuisum pro captu paruulorũ, expendat. Labia verò sponsi, ac dẽtes, eodem sensu, quo guttur intelligere opertet, vt omnia formandæ vocis instrumenta sponso, huius doctrinæ vino notatæ authori tribuantur, & odor doctrinæ sponsæ illi, cuius est spiritale guttur, labia, & dentes, referatur acceptus, licet enim hæc spiritalia labia, dentesq; sponsæ sint, sponsi illa esse ait, quia illius ea munere accepit. Sic igitur sponsa loqui credenda est. Spiritus tuus in me existens (ô sponse) efflat doctrinam odoratam, exhilarantem, roborantem vt vinum optimum. Et hæc doctrina vino notata est digna te dilecto meo, vt eã bibas, labijs meis internis, quæ scientiã custodiũt, & tua dicũtur, quia à te ciẽtur, dentib. meis, qui tui appellãtur, eò q; meditationẽ illis notatã tu excitas, & foues. Hæc est prima interpretatio.

Secun-

Secunda interpretatio.

Secunda, non introducit ſponſam loquentem ſed ſponſum guttur ſponſæ arcanè laudantem, & ſponſam ex illius ore verba quaſi rapientem, hoc modo, ſponſus ait, [Guttur tuum, ſponſa, ſicut vinum optimum] & ſponſa intra eandem periodum addit, [Dignũ Dilecto meo ad potandum, labijſque & dentibus illius ad ruminandum [ac ſi diceret, ſermo meus ad aliorum eruditionem promptus, gutture, vnde prodit, notatus, vinoque fragranti ob bonum odorem ſimilis, quia ex te ducit originem, eſt dignus Dilecto meo, labijs, ac dentibus eius, vt ruminet illũ, hoc eſt, vt tanquã ſapore illius captus in ore gerat illum, nec deglutiat, ſicut qui, ecligmata, bellariaq; ore volutãt, nec ea glutiũt, vt diutius per os volutata liqueſcant, & ſaporẽ diutius ingerant. Alloquitur autẽ ſponſũ, tãetſi tertia vtatur perſona, qui certè loquendi modus etiam vulgò notiſſimus eſt. Ineſt autẽ

mira in ijs verbis energia, qua, per periphrasim sponsa innuit, sponsũ adeo illius sermone delectari, vt fiat similis ijs, qui saccharum, aliumue cibum quam suauissimum ori inditum, ore toto circumagunt, ne si euestigio deglutiant, eximius ille dulcor gustum cesset afficere; hoc enim sibi volunt illa verba, [Labijsq; & dentibus illius ad ruminandum.

III. interpretatio.

Tertia verò interpretatio, ex alia iuxta Hebraicum textum translatione deducitur. Sanè ex Hebræo, pro ijs nostræ editionis verbis, quæ proximè exposuimus, sic leguntaliqui. [Et palatum tuum, sicut vinũ optimum, vadens ad Dilectum meum, ad rectitudines, faciens loqui labia dormientium.] Porrò palatũ, sicut reliquæ oris partes ad vocem formandam comparatæ, doctrinæ ijs vocibus constantis signum est. Hæc igitur doctrina dicitur esse sicut vinum optimum, quia exhilarat, roborat, fragrat odore Christi. Hæc

pul-

pulchrè dicitur vadere ad Dilectum, ad rectitudines, vel, vt Septuaginta Interpretes aiunt in singulari, ad rectitudinem, quia ad amussim diuinæ legi respõdet. Est quippe metaphora ab architectura deducta, in qua ædificium optimè constructur, & laude dignum docet architectum, cum vadit ad rectitudinem, hoc est, cum ad lineam amussimue dirigitur; Et in hunc modum, more sapientis architecti, sponsa doctrinam suam ad rectitudinem, seu lineam, qui est sponsus legislator, emittitur. Tantum abest, vt obliquum quid praui dogmatis, quod non sit ad lineam expensum, ædificet. Quod vero adiungitur, [Faciens loqui labia dormientium] mirum dictu videtur, & ab ædificij rectitudine, cui vigilanter incumbere opus est, satis alienũ. Verum hoc ad doctrinæ pertinet efficacitatem, quæ, quia vino optimo persimilis est, ebriorum linguas facit esse disertas. Sed quia dictum

Metaphorica locutio.

est, labia dormientium loqui, ea vt labia explicata cernamus, ebrietatem corporis ab ea, quæ menti ex doctrina solet euenire, disparemus oportet. Cum quis ebrius est, somno statim arctatur, sensuum functionibus interceptis, & tunc somno sepultus rationis vsu priuatus iacet. Ne quis ergo suspicaretur, vinum hoc spiritale somnum inducere, quo mentis acies hebetetur, & linguæ vsura deliquium patiatur, dictū est, Faciens loqui labia dormientium. Dormiunt sanè discipulæ sponsæ, cum doctrinæ illius vino potantur, nam rebus fluxis, & perituris, moriuntur somno quodam, qui est mortis imago, quem efficit noua, quam deguſtauere, doctrina. At somnus hic, tantùm abest, vt os, obstruat, linguāue liget, vt potius linguæ vincula ad diuinas laudes extemplò relaxet, ac propterea facit loqui labia dormientium. Habet ergo vini similitudinem quà naturæ seruit, quà

Natura Ebrij.

Somnus mortis imago.

verò

verò nocet, minimè. Sicut in verbis paulò ante enarratis ostenditur, [Vinum optimum vadens ad Dilectum ad rectitudinem, seu lineam.] Etsi enim doctrina, vini bonitate notetur, cum spiritalem ebrietatem inducit, in eo tamen, quod vinum efficit, dũ temulentos rectà incedere nõ sinit, vino significari nequit; immò dirigit iustorum gressus ad Deum, ac propterea dicitur, [Vadens ad Dilectum ad rectitudinem. Nunc autem quod ad personæ loquentis distinctionem spectat, in hac tertia enarratione, sponsus cœpit loqui, aiens, [Palatum tuum sicut vinum optimum,] & sponsa periodum absoluit sic aiens, [Vadens ad Dilectum meum ad rectitudines, faciens loqui labia dormientium.] Hic nimirùm verborum raptus lepidissimus est, & hic maximè concinnus, vt postquam sponsus doctrinam sponsæ sub palati figura, & vini similitudine laudauit; illa totum

id

id sponso tribuens, & ad illius gloriam dirigens, attexat verba relata, quibus fatetur, totum illud, quod laudatum est, ad ipsum sponsum vadere, hoc est, sua directione redire.

Cernens iam sponsa se vndique armis septam, & ad prædicationis legationem obeundam benè munitam, iam operi manum admouere adornat, seque ipsam labori subeundo libenter vouet, aiens.

Ego Dilecto meo, & ad me conuersio eius.

Ego obaudiam sponso meo, precor vt cor suum semper ad me conuersum habeat, ne, dum aliis prædico, ipsa reproba efficiar.

Oblatio suiipsius ad laborē.

MVLTIFARIAM hæc verba possunt exponi. Primo quidem, vt sit quædam suipsius ad laborem oblatio, dum sponsa inquit, [Ego Dilecto meo] quasi dicat, Ego sponso meo in alijs iuuandis obtemperabo,

Et

Et id quod mox attexuit [& ad me conuersio eius] sit optantis oratio, quasi dicat, Et precor, vt oculos suos, & cor semper, dum ergo alijs vaco, ad me conuertat, ne mihi contingat quod alijs infœliciter solet euenire, qui, dum alijs prędicant, ipsi reprobi fiunt. Multis enim prælatio ansa ruinæ fuit.

Prælatura multis ansa ruinæ est.

Secundò verba illa intelligi possunt, in formam consequutionis annexa, ita vt scholastico more sponsa præfigat assumptum, seu antecedens, dum ait, Ego Dilecto meo, & confestim inferat, &, id est, ergo ad me conuersio eius. Est enim infallibilis inter illa duo connexio, vt si anima se totam Deo ex singulari prę-uenientis gratiæ dono deuoueat, aiens, Ego Dilecto meo, Deus ipse ad illam conuertatur, sicut scriptum est, Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos, quod non sine emphasi, & infallibili nexu intelligendum est, sicut à contrario, cum ani-

II. interpretatio.

Zach. 1.

ma ab illo auertitur, ipse eam deserit, vt mira sit in auersione, & conuersione proportio. Huic interpretationi fauet paraphrasis Chaldaica, quæ Hierusalem sic introducit in hoc versu loquentem. In omni tempore, quo ego ambulo in via Dominatoris sæculi, habitare facit Maiestatem suam in medio mei, & ad me est desiderium eius, & in tempore, quo ego declino à vijs eius, aufert Maiestatem suam à me, & transfert me inter populos. Et sensus hic quandam continet tacitam Dei pollicitationem, qua se non defuturum sponsæ notat, quamdiù illa Dilecto suo obtemperarit, & fidelis in legatione permanserit.

Sponsus non deest sponsæ obtemperāti.

III. Interpretatio.

Tertiò verba illa interpretari possumus iuxta aliam ex Hebræo versionem, quæ sic ait. [Ego dilecti mei, & super me desiderium eius] qua sanè forma sermonis spōsus pingitur sicut aquila, prouocans ad volandū pullos, & super eos volitans, vel vt ex

Ho-

Hebræo vertitur, motitans se, quod est apertum desiderij signum: Porrò sponsa anteacto tempore contemplationis requie, & diuina suauitate fruens, tanquã in nido cubabat, vbi illam sponsus fouebat, & alebat; verum vbi volare opus est, pennasq. seu alas, quæ iam creuerunt, exercere, è nido ducitur, & sponsus aquilæ ingenio significatus, super illam volitat, & quasi alas in eius protectionẽ expandit, hoc enim sibi volunt illa verba. Et super me desiderium eius. Sic igitur sponsa loqui credenda est. Ego Dilecti mei, quasi addat, filia sum, & ille afflabit me, & super me volabit, seu mouebit se, acuens, & erudiens me, vt tutò prædicationis legatione perfungar. Profectò sermo hic plenus est energia, & amoris in sponsam ostensione. Solet nimirum mater plures enixa filias, aliquam ex ijs, vtpote prudentiorem, ac pulchriorem singulari amore prosequi, & ex amoris ac desiderij ma-

Amor matris ergà filios.

magnitudine nunquam ab illa oculos auertere, sed creberrimè, & auidissimè illam spectare, cuius tũc desiderium super filiam significanter satis dicitur esse, & simili in sponsam affectus amore sponsus concipiendus est, vt verborum sensus penitus hauriatur. His iam sponsa & armorum, & custodiæ fulta præsidijs clauo manum admouet, & sponsum secum ire precatur, in hunc modum.

Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum.

I præ, sponse, & eamus ad gentem inculcam & agrestem tuæ vrbis expertem, vt doceamus vrbanitatem, & eam in ciuitatem tuam traducamus, vt libertatis filiorum Dei gaudeat prærogatiua.

IAM sponsa ad prælationis fuit euecta fastigium, quemadmodum ex superioribus patuit, vbi, cum tres illi animarum chori in sexti capitis

calce à Salomone in scenam introducti, illam, vt ad se reuerteretur gregis facta forma precarentur, spõsus eam laudauit, apertè declarans, nihil illi deesse, quod ad præfecturam optari debeat, quod ex toto istius capitis claret excursu. Sponsa verò hucusque parcè egit, non enim facilè tantum opus audebat adoriri. Nunc autem præsentissimi sponsi ope roborata & proximorum commiseratione permota, quia votum hoc sponso eximiè placere putat, non hæsitat, sed audacter sponsum vrget, aiens. Veni Dilecte mi. Enimuero sicut temeritas est ingens, præfecturam sine meritis affectare, & illam ex Dei manibus velut extorquere, ita est magna pusillanimitas, & infidelitas, illam Deo afflante, ac vrgente detrectare. Rectè autem à Deo auspicatur, quod inter Ethnicorum etiam oracula habebatur. Vnde quidam ex illis cecinit.

A Ioue principium.

Præfecturam sine meritis affectare, ingens est temeritas.

Vocat autem sponsum ad agrum, quasi rei rusticæ peritissimum. Agri verò nomen sensu nõ caret arcano. Quem vt exploremus, sic habendum est, animas ad aliorum curam capessendam diuinitus incitatas, illud prius cogitare, quomodo videlicet alios diuinæ gratiæ, & charitatis exortes lucrari queant, quam quopacto iustos incipientes possint ad vlteriora promouere, magis enim illorum vrget commiseratio. Ex hoc effectum est, vt sponsa ad agrum, de quo primum cogitare cœpit, sponsum inuitarit. Sanè inter agrum & vrbem versatur insignè discrimen. In vrbe enim est ciuium conuictus, est morum expolitio, & vrbanitas, ac proinde vrbis nomine arcanè notantur illi, qui charitatis conuictu sociantur, quorum mores spiritali sunt vrbanitate leniti, omni agresti ac ferino ritu depositio, ex quibus fit ciuitas Hierusalem, quæ nunc vere Deo militat, post-

Discrimen inter agrũ & vrbem.

Vrbis nomine notãtur illi, qui charitatis conuictu sociantur,

modum regnatura, insigni nunc comitatis, & vrbanitatis gymnasio celeberrima. Agri verò nomine, incultæ & velut spinis horrentes peccatorum animæ significantur, quæ iustorum comitatem, & vrbanitatem minimè didicerunt. Quibus totum id, quod agreste, & incultum est, peccati contagione contractum, debet excidi, vt ad iustitiam perfectam traducantur. Hoc autem facinus egregium est, Deique brachio dignum, ac propterea non sola illud aggredi audet, nec qualemcumque sponsi præsentiam, sed singularem optat, qualem poscebat Moyses aiens. Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Dicit igitur sponsa. Veni sponse, præi me, & prodeamus ad animas agrestes, & incultas excolendas, & vrbanitate donandas, efficiamus illas tui consortes, ac tuę vrbis ciues, vt gaudeant prærogatiua libertatis. Profecto si quis hominem in agro

Agri nomine incultæ peccatorum animæ significantur.

spinetis horrido versantem rituque ferino viuentem, ad vrbis opulentissimæ ac nobilissimæ, puta Romæ politiam quam olim tanti fecêre antiqui, vt magna vi pecuniarum eam
Act 22. emerent (vt Tribunus Paulo dixit) ex amore trãsferret, vt ciuitatis illius exemptionibus frueretur, insigniter illum nobilitaret. Ad hoc ergo opus sponsa sponsum hortatur, vt nempe agrestes homines ciuitatis extorres, ad vrbem non Romanam, sed Hierosolymitanam, in qua est libertas filiorum Dei, sua charitate traducãt, vt sanguinis ipsius Christi nobilitate fruantur. At sanè opus hoc non perfunctorie exercẽdum, sed sedulo ac diu curandum est. Non enim hortatu vno, aut altero, non vulgari nauitate, sed repetitis concionibus, & sedulitate diuturna homines rerum diuinarum ignari erudiendi sunt, & ex sua feritate cicures efficiendi. Propterea sponsa subdit.

Commoremur in villis.

Moremur inter peccatores, vt diuturno commercio illorum beneuolentiam capte-mus, & sic eos ad iustitiæ habitationem transferamus.

VILLÆ proximam agro significationem habent, sunt enim domus rusticæ, quas inhabitant coloni, qui etiam vrbis conuictu carent. Et quidem villarum significatio arcanè spectata peius quiddam præ se ferre videtur. Nam qui errat in agro, nec ibi domum exstruxit, ipsa necessitate compulsus vrbis habitationem repetit. At verò, cui adeo agrestis conditio placuit, vt in ea decreuerit habitare domo ad id comparata, nihil de ciuitate, & vrbanitate cogitare videtur, ac proinde minus huius, quam illius correctio sperari debet. Qui autem huiusmodi animas, ad iustitiæ curat vrbanitatem transferre, commercium debet cum ijs inire, & inter eas commorari, vt in eo commercio, & ha-

Villæ significatio.

Modus animas venandi.

bitatione illarum capiat voluntates, & ſtudio diuturniore eas ad benefaciendum permulceat. Hunc modũ feras animas venandi, ac cicurandi ſeruarunt viri multi Apoſtolorum imitatores, qui poſtquam ſatis charitate creuerunt, ad proximorum ſalutem legati, in Ethnicorum regna penetrarunt, vbi mira dexteritate illorum gratiam inierunt, ad illorum ſtudia, & mores honeſtos ſe ſuamque vitam effingentes, vt poſtquam inter eos commorati fuiſſent, & eos ſua dexteritate ad amorem flexiſſent, veram religionem perſuaderent, quod illis fœliciter ceſſit. Hi profectò quamdiu inter homines veræ religionis expertes agebant, verè in villis commorabantur, & idem, proportione ſeruata, de viris apoſtolicis, qui inter peccatores verſantur, illorum feritatem tolerantes, donec illos opportunè conuertant, intelligendum eſt. Ad hoc igitur ſtudium ſalutis conſtans ſpõ-

ſa ſe

sa se comparat, aiens. Commoremur in villis, ac si planius diceret; Ne fiam inconstans, & ab incepto resiliam, dum aliorum incumbo saluti, inter eos commorari tecum (ô sponse) constituo. Nunc autem, quasi quæ in agro habitationem villæ ad captandam prædicationis opportunitatem selegerit, ait.

Mane surgamus ad vineas.

Cum prima lux gratiæ animabus tibi vt viti insitis oboritur, festinemus ad illas excolendas.

HIc, vt sermonis concinnitatem perspiciamus, aduertẽdum est, sponsam animas agrestes in sponsi ciuitatem transferre satagentem, appositè satis vinearum mentionem annexuisse. Nam vbi princeps ciuitatis est vitis, necesse videtur, vt ciuitas ipsa vinea sit, ex ea quasi vite propagata. Distincti verò animarum cœtus vineæ plures

Cætus animarum vineæ appellãtur.

appellantur. Prima autem in ciuitatem ſponſi introductio inſitione fit, vt qui exulabant ab vrbe, in principem vrbis, hoc eſt, ſponſum vitem inſerantur, vt fructū poſſint legis afferre, quemadmodum de oleaſtro in bonam oliuam inſerto ſcriptum eſt. Ad has ergo vineas ex inſitione in illam vitem porrectas, ſponſa mane ſurgere optat, colonorum more, qui ſummo mane ad rei ruſticæ operam excitantur. Mane verò in arcano ſermone primum iuſtitiæ notat exortum, primam nouæ gratiæ lucem animæ, quæ iacebat in vmbra mortis, obortam. Hæc autem prima ſpiritalis diei pars ad vineas pertinere putanda eſt, ad vineas inquā nuper ſatas. Quamobrem ſic cogitandum eſt ſpōſam loqui. Geramus curam (ô ſponſe) nouorum iuſtitiæ fœtuum, quos è villis ad vrbem vitis inſitione traducimus. Agamus, vt agricolæ culturæ ſeduli, qui primo ac ſummo mane, præ cordis ſol-

Mane primum iuſtitiæ notat exortum.

Mos colonorum.

licitudine iam meridiem arbitrati expergefiunt, & lecto ad instrumenta rustica exiliunt, ne vel leuem temporis iacturam patiantur. Sic ergo nos cum lætissimum illud diuinæ gratiæ mane animabus incipit apparere, quæ tibi vt viti sunt insitæ, & in vineas propagatæ, surgamus solliciti ad illas colendas, & ne momenti quidem temporis iacturam faciamus. Si vero quæramus, cur tàm sedulò sponsum ad festinandum hortetur, causam nunc retegit aiens.

Videamus si floruit vinea.

Consideremus an vinea noua de te propagata (o sponse) flores quasi primos charitatis, ac iustitiæ prompserit. Hos enim ne pruna decoquantur tentationis, curare præsertim opus est.

SATIS apertè de noua sermonem iustitia contexit. Porrò in superioribus iustitiæ ac charitatis processum, appensa vineæ similitudine,

trutinauimus. Conſpicimus quippe in vinearum fructu, ſuas velut ætatis periodos, quales in homines conſtat eſſe vita. Tam autem vineæ, quàm humanę vitę procurſus, diuinæ charitatis, ac iuſtitiæ proceſſum ſignat, in quo aliquos infantes, pueros alios, ætate demum alios prouectiore, maturioreque cernimus, iuxta ſpiritalia lucra, quæ illi conquirunt. Nunc verò cum in vite ordo ſit gẽmas emittendi, quæ promunt flores, omphacium, vuas, de floribus, tanquam de primo charitatis proceſſu, ſermo fit. Quod clarius liquet, ſi verſione alia ex Hebræo, quæ ait: Videamus an gemmuerit vitis, vtamur. Enimuerò noua charitas in prima ætatis ſuæ periodo verſatur, cum gemmas emittit, quibus primi actus ab illa ceu vite erumpentes notantur. Creſcit autem vlteriores actus eliciens, donec ex gemmis ad vuas maturas prouecta iam velut ætate perueniat. Inuitat ergo ſpon-

Ordo in vite creſcẽte.

Charitas in prima ætatis periodo.

sa sponsum, vt recenter conuersorum primos fructus iustitiæ obseruet; in eorum quippe custodiam vigilantius, quam in adultorum tutelam incumbendum est, ne quæ illos tentatio ad vitam reuocet anteactam; sic quippe diligentius vitium gemmæ à frigore pruinaque seruandæ sunt, cum citissimè aduerso tempore decoquantur, quam si in vuas concreuissent. Et hæc prima sit interpretatio.

II. interpretatio.

Secunda ex versione iuxta Hebraicum textum allata eruitur. Videamus an gemmuerit, seu gemmas emiserit vitis. Profecto sponsus de semetipso sic effatus est. Ego sum vitis. Sicut autem vitis, gemmas, vuæ initia, flores, omphacium, vuasque maturas promit, sic sponsus, eas animas, quas sibi inseuit, vt palmites illius vitis fiant, ita afficit, vt iustitiæ gradibus distinctis, per eas germinet, non

Ioan. 15.

enim

Vnus iustitiæ fructus à Christo.

enim duo sunt germina diuersa, quæ à vite ac palmite prodeunt. Sed vnũ dumtaxat à vite per insitum palmitem enascens, ac ita vnus est iustitiæ fructus à Christo, & anima Christi ceu vitis virtute prognatus. At quia plura sunt iustitiæ discrimina, fit, vt arcana hæc vitis, per quosdam animarum palmites edat gemmas, per alios, flores, per alios, vuas, iuxta vniuscuiusque mensuram. Modo verò quia de tyronibus agitur, sponsa sic ait. Videamus an vitis gemmuerit, hoc est, an tu (ô sponse,) per animas tibi vt viti nuper insitas primos iustitiæ partus emiseris. Explanatio hæc secunda primæ finitima est, & ad eam penitus intelligendam conducit. Nunc vero quia sponsa cupit ardentissimè plures iustitiæ partus habere, nec enim primi, si mox deficerent, illi omnino placerent, sic loquitur.

Si flores fructus parturiunt.

Videamus, si animæ post primos actus suaues, floribus notatos, edunt altos cum pressura, & labore, qui sint fructus, seu partus cum sensu doloris editi Deo quam gratissimi.

LOQVITVR sponsa de charitatis ac iustitiæ processu, nam, post flores, fructus illis succedentes attexuit, & hoc clarius constat, si aliam ex Hebræo versionem expendamus, quę de gemmis, floribus, & fructibus, hoc est, vuis ordine ac serie obseruata in vitibus, agit. Cum enim præmisisset sponsa, [Videamus an gemmuerit vitis, addidit, aperuerit se vua parua. Obseruatum quippe in vitibus est in nodis seu geniculis gemmas erumpere. Ex his verò gemmis paruum quoddam germen in summi asparagi effigiem informatum enascitur, quod postmodum aperitur, & in vuam concrescit multiplici floris, omphacij, vuæque transformatione. Illud er- Versio Hebræa.

gò ger-

go germen, vuam paruam hæc versio nuncupauit. Siue ergo iuxta versionem hanc vua parua dicatur se aperire, in quo est quædam partus imago, siue iuxta editionem nostram flores dicantur fructus parturire, mirum est cur sponsa eiusmodi phrasi vtatur. Profecto in ipso conatu pariendi seu parturitione fœminæ aperiuntur, & ita illa ex Hebræo translatio aiens, An vua parua aperuerit se, satis est consentanea editioni vulgatæ sic habenti, si flores fructus parturiunt. Vtriusque autem arcanum sensum (qui esse videtur idem) perueſtigemus. Enimuerò cum anima efficaciſſimo impulsu ad iustitiam traducta, primos actus iustitiæ quasi flores promit, facile tunc eos exercet, non propter vim, quam consuetudo genuerit, sed propter præsentiſſimi Dei motum, & indulgentiam. Tunc enim Deus recentes fœtus lacte alit, nihil asperũ obijcit, interna eos

Conatus parturiendi.

ſuauitate permulcet, donec experimento diſcant, quam ſit ille ſuauis; vt poſtmodum voluptate negata ſuauitatis diuinæ memores ardua poſſint aggredi, & propter iuſtitiam aduerſa quæque præferre. Hi ergo primi actus, in quibus nihil eſt, niſi lætum, odoratum, tenerum, florum imagine notãtur. Cũ verò iam animus guſtauit ſpõſi ſuauitatẽ, & credidit omni prorſus mundi illecebra eſſe dulcioręẽ, ſinitur in arenã quaſi deſcẽdere, & aduerſis motib. cõcuti. Hoc autẽ in cõflictu fructus pulchrè dicũtur parturire, quia nõ iam ſuauitate deliniti, ſed hoſtibus ſepti multo conatu, & preſſura ſe nituntur edomare, & virtutis fructum cum dolore parere conari, quod eſt propriè parturire. Quod ergò ait ſponſa, ſi flores fructus parturiunt, ſic eſt intelligendum, ſi animę florentes, fructus poſt flores parere conantur. Gratum ſanè ſponſo accidit, cum vinea floret, gratius

Primi actus iuſtitiæ.

verò,

vero, cum flores fructus parturiunt. Placet illi primus virtutis partus plurimo dulcore conditus. Placet autem magis ille, qui multo conatu, ac lucta à prouectiore anima editur. Nunc autem, nequid intactum videatur omisisse, malorum punicorum mentionem adiunxit.

Si floruerunt mala punica.

Exploremus an charitas ab infantia in pueritiam nouo augmento procurrat, & flores velut punici mali proferat.

Charitas regina virtutum.

PATET ex superioribus malo punico à natura inter alios fructus coronato, acinos suos velut intra viscera seruante, &, vt illi gliscant, dehiscente, charitatem inter virtutes ceu reginam coronatam, eos, quos diligit, imis visceribus condentem, & amplectentem, & ob illorum bonum seipsam dirumpentem seu torquentem significari. In hoc autem pomo ætatum quædam series hu-

In malo punico ætatum series conspicitur.

manæ

manæ vitæ æmula conſpicitur, dum cytinos, flores, acinos profert, creſcit, ac dehiſcit. Et quidem, obſeruata ſerie flores pueritiæ reſpondent, quamobrem, dum ſponſa flores malorum punicorum ſpectare cupit, apertè prodit, optare ſe nouorum in charitate fœtuum ſpectare progreſſum. Propterea ſic ait, Videamus ſi charitas malis punicis notata ſenſim deſerat infantiam, pueritiæque periodum percurrat, vlteriorem excitatura ſpem. Hucuſque ſponſum hortata ſponſa eſt, verum quia more humano agit, & inter homines adhortationes ad laborē propoſito fiunt præmio efficaciores, ſponſo illa præmium pollicetur, quod ille ardentiſſimè cupit. Sic enim ait.

Ibi dabo tibi vbera mea.

Veni mecum, o ſponſe, & in recenter adiuſtitiam natis meam ſcientiam, & prudentiam per illorum ora ſuges.

QVEMADMODVM alias explanatum est, Christus in recenter ad gratiam vocatis formari, suisque deinde quasi definitis augmentis, per charitatis incrementa crescere arcano sermone dicitur. Ex quo planè fit, vt qui in nostris animis has velut ætates, conceptionis, partus, infantiæ, cæterarumque vitæ spiritalis partium subire dignatur, eas pariter subeat proprietates, quæ ijs partibus naturales sunt. In recens ad iustitiam genitis fit ille infans, infantia verò lacte alitur, vnde & ille in eo spiritalis vitæ primordio, lacte proculdubio ali dicendus est. Fit autem hoc, quoties anima paulò ante ad gratiam traducta, iustitiæ sermonis expers, ab eo, cuius est conuersa ministerio, lac doctrinæ cœlestis exsugit, in qua tunc Christus infans latens, idem dicitur lac exsugere, eoque pingueſcere. Sponsa igitur, cuius ministerio per duo quasi vbera scientiæ, iustorumque prudentiæ,

Gradus & discrimina iustitiæ.

ad

ad paruulorum nutritionem Deus vtitur, dum paruulis in Christo renatis lac illud arcanum propinat, eleganter dicitur sponso in renatis partubus latenti vbera porrigere, vt pateat, quam illa sapienter sic loquuta fuerit, Ibi dabo tibi vbera mea. Quæ quidem verba sensum alterum primo satis affinem videntur habere, vt videlicet sponsa dicatur vbera sponso dare, cum illa paruulis sponsi fœtibus porrigit, alludens ad id, quod sponsus enunciauit. Quod vni ex minimis feciſtis, mihi feciſtis. Nunc verò altero sponsum pulsat argumento ex mandragora petito.

Vbera scientiam & prudentiã notant.

Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris.

Recentes iustitiæ partus è belluina ad humanam figuram mandragorarum terra effossarum instar redeuntes, Christi imagini conformes fieri incipientes, dederunt odorẽ Christi, quẽ induerũt in portis

nostris, hoc est, in ingressu iustitiæ, ac proinde, ad illos perficiendos non festinare opus est.

A Beo loco, vbi sponsa cœpit spõsum hortari, aiens. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, varijs similitudinibus arcanis teneram iustitiam depinxit, vt sponsus, qui rudium operum expolitor, & perfector est, suos part⁹ rudes adhuc aspiciens, eos perficere festinet. Nunc verò figurato, eoque satis lepido sermone, efficacius, quàm ante sponsum pro tenellis partubus exorat. Quod, vt à nobis percipiatur, alludit illa ad morem vulgò notissimum, quo pauperes solent, filiolos lactentes, præ foribus nobilium exponere, vt illi vagitu infantum ad commiserationem permoti, eos curent, & alant. Sic quippe sponsa dicit, teneros in charitate partus, ex ipsa à spõso susceptos, mandragoris significatos, in portis expositos fuisse, ex quo

Vulgaris mos pauperum filiolos præ foribus nobilium exponentium.

fit

fit, vt nobilis ac diues vterque coniux, ad commiseratione flecti, & eos curare, nutrireque debeat. Verum quanam ratione mandragoræ sint iustitię recentis symbola, & quibus sint in portis expositæ, exactè nunc perpendendum est. Profectò, post multam in authoribus plantarum peritis de mandragora obseruationem, duo potissimum animaduertimus huic loco satis opportuna. Primum, ad plantæ figuram spectat, quam Pythagoras anthropomorphon, quod hominem referat, appellauit. Quod sanè non ita est accipiendum, vt vulgus existimat, quasi planta ea humi defixa, in ea, quæ extat parte, totius hominis reddat effigiem. Hoc nimirum falsum est, quemadmodum scriptores peritissimi tradunt. Sed vt humanam repræsentet effigiem, radicitus euellenda est, & tũc, cum eruitur ex terra, nonnullam habet cum hominis figura similitudinem. Omnes quip-

Mandragoræ iustitiæ symbola.

Figura Mandragoræ.

pe mandragoræ radices à medio ad imum bifurcæ sunt, vt cruribus hominis similes videantur, reliqua verò eius pars, quæ terra non occultur, quæ folijs glabris, malisque constat, corpus truncum, cui brachia desunt, refert, vnde, cum radicitus euellitur, hominis corpus, rudi quadam, imperfectaque repræsentat effigie. Per hãc autem rudem, & imperfectam hominis figuram, homines iustitiam recẽter adepti pulchrè notantur. Homo nimirũ, dum peccat, quasi humanam figuram abijcit, à rationis, in qua est Dei imago, se fastigio deturbans, & ad belluarum mores quadam trãsformatione delãbens; cum verò resipiscit, & Dei imaginem, hoc est rationis vim incipit instaurare, quasi mandragora è terra effoditur, & quandam hominis effigiem imperfectam, cui brachia, hoc est opera desunt, ostendit. Non enim confestim ea figura, sed temporis excursu, multaq; nauitate

Per mandragoram homines iustitiam recenter adepti notantur.

per-

perficitur ceu lapis sculptoris manu recenter attactus, qui vt illum exactè ad hominis figuram informet, diuturno labore, scalprique sectione desudat. Ex hoc igitur sponsa rationem contexit, quam dirigit ad sponsum artis huius sculptoriæ peritissimum; ac si hoc modo loqueretur. Quemadmodum infantuli ad nobilium portas expositi expectant commiserationem, vt alantur, & ad perfectam hominis figuram, magnitudinemque perducantur; ita recenter iusti, quasi ad tuæ charitatis, meæque sedulitatis portas iacentes, imperfectam hominis figuram rudes adhuc, & imperfecti præferentes, vtpote qui more mandragoræ auulsæ, truncum hominem referentis, è culpæ terra, in qua erant defixi, eruti sint, præstolantur nos, & quasi ad nostræ charitatis portas, vt infantuli vagiunt, & nostram culturam, operamq; deposcunt. Hic ergo vagitus spiritalis, hęc, licet imperfecta, Vagitus spiritalis.

hominis tamen interna figura odorem fundere, more mandragoræ, cum terra eruitur, asseritur, quia proculdubio, tunc primum homo Christi odorem exhalat suauem, mandragoræ fructui assimilem, cum ad internam Dei imaginem sensim restituitur. Qui certè odor, quia ad sponsum exorandum valet plurimum, sponsa dixit, tempus iam esse paruulos curandi, quia illum odorem arcanum effudere.

Mandragoræ proprietas & qualitas.

Alterum, quod inter scriptores cõstitutum est, de mandragorę proprietatibus, ad nostrum sensum idoneum, illud est, eam plantam vim habere sopiendi, & ante sectiones bibi, ne sentiantur. Porrò homines recenter in iustitia geniti & imperfectam interni hominis effigiem prætendentes, tanquam lapides rudes scalpendi sunt, & secandi, vt fiant omnino conformes imagini filij Dei. Quia verò, dum teneri sunt, scalpri aciem ferre nequeunt, se-

ctioneſque formidant, diuinæ fuit ſapientiæ conſilium, immiſſis internis voluptatibus, quas altero ſenſu mandragoræ notant, eos conſopire, & quaſi ſenſum doloris auferre, vt cædi, ſcalpi, ſecarique poſſint, & ad perfectam interni hominis effigiem prouehantur. In hoc ergo ſecundo ſenſu mandragoræ dicuntur dediſſe odorē ſuum in portis. Quia internæ voluptates, quaſi liquor ex mandragoricis malis expreſſus, partubus nouis inſtillatæ, eoſque in Deo conſopientes, ne ſectiones pœnæ poſtmodum illatæ à Deo formident, exhalarunt odorem Chriſti, cuius ſpiritus ſuauiſſimus voluptate deprehenditur, & velut internis naribus trahitur. Hæ vero voluptates ſomnum inducentes dicuntur dediſſe odorem hunc ſuauem, qualem mandragorica mala fundunt, non extra portas, nec verò, in cubiculis, ſed in portis, hoc eſt, in ingreſſu iuſtitiæ, de quo ſub mandragora-

Voluptates ſomnū inducentes.

rum imagine hic habetur sermo. Quadam igitur anacephaleosi ex dictis collecta fit, vt mandragoræ, & propter imperfectam hominis, quam habent effigiem, partus iustitiæ nouos, qui ad prototypum Christi rudi quadam delineatione post expolienda referuntur. Eædem verò mandragoræ, quia & succo, & odore somnum inducunt, voluptates spiritales, quibus Deus tyrones sopit, & secũ dormire, hoc est, requiescere facit, apertè notent. Hic verò secundus mandragorarum sensus, quia maximè arcanus est, amplificari eleganter potest, si ea, quæ authores de ijs plantis, & pomis prodiderunt, mẽte repetamus. Tradit quippe Plinius, potu succi pomorũ mandragoræ, adeo graui hominem somno mergi, vt nec sectiones, nec puncturas sentiat, quod si in sensum spiritalem traducatur, quotidiano cernitur experimento. Enimuerò passim videmus homines nimium sen-

Homines molles, internas Dei puncturas non sentiunt.

sui

sui proprio indulgentes, ac molles interna, quam Deus illis sub cõuersionis initiũ immittit, voluptate captos, velut alto quodam somno sepultos, sectiones, ac puncturas minimè sentire. Paucorũ quippe dierum interfluxu, ex culpa in iustitiam translati, semetipsos secant & pungunt, hoc est, acerrimis austerioris vitæ experimentis vexant, nec id planè formidant, cum vix dolorem præ interna suauitate percipiant. Et hoc efficiunt in ipso iustitiæ aditu, ac perinde odorem Christi in portis sponsi ac sponsæ exhalare dicuntur. Verum quemadmodum caput hoc sponsa cõcludat, audiamus.

Omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi.

Vt illos partus nouos alerem, in quibus tu sponse lates, vtriusque testamenti dogmata, quæ vt scriba doctus in meo cellario condidi, opportunè promenda, tibique in tua plebe porrigenda seruaui tibi.

Per-

PERSISTIT in eadem mente, & orationem in eundem scopum dirigit. Sicut enim paulò ante dixit se vbera sponso daturam, quia videlicet Christus in nouis partubus recens formatus lac doctrinæ sponsæ dicitur exsugere; sic modo ait, omnia poma noua, & vetera se sponso danda videlicet asseruasse. Enimuerò, si externam verborum faciem spectemus, satis est concinna oratio, agit enim sponsa cum sponso quasi biformi, vocat enim illum vt grandem, ac fortem, & sic secum, ad opus, in agrum monet exire, & hæc altera illius forma est. Contemplatur verò præterà illum, ac paruulum in tyrunculorum cordibus recenter concretum, vel nouo etiam partu editum, & sic modo illi tanquam infantulo vbera porrigit, modo illi vt puero poma promittit. Arcanè autem poma hæc visu pulchra, & ad vescendum suauia, vtpote ex arbore scientiæ Christo prognata, sunt v-

Sponsa agit cum sponso quasi biformi, forte scilicet ac paruulo.

Poma noua & vetera sunt vtriusque testamenti dogmata.

triusq.

triusq; testamenti dogmata, & propterea dicuntur noua, & vetera, quæ dum conciliantur à spõsa inter medios cleros sedente, & ad erudiendam plebem expromuntur, quasi poma noua & vetera sponso in plebe offeruntur. Propterea sponsa sic loqui credenda est. Longo temporis excursu, tuo in gymnasio, ô sponse, docuisti me, & vtriusque testamenti dogmata, aperiens mihi sensum, vt scripturas intelligerem, explanasti, & sic quasi arboris scientiæ poma plura decerpere concessisti. Hæc verò poma non ego præmaturè ante quàm tu mihi conniueres, expendi, sed ea opportuno maturoque tempore, tibi in plebe tua latenti impendenda, dilecte mi, seruaui. Quamobrem æquum est, vt maturemus, & operi quantocyus incumbamus, vt ego sim tãquam scriba doctus proferens de thesauro scripturarum noua & vetera. Hæc sunt poma, quibus si quis vescatur Matth. 13.

an-

annuente Deo, fit verè sicut Deus sciens bonum & malum, hoc vt caueat, illud vt amplectatur, per quod in diuinam similitudinem assurgit. Hæc sunt poma verè pulchra visu aureum colorem rubore permistum præferentia, dum mentis oculis in vtriusque fœderis pagina Deum auro signatum, homini rubore quasi ob sanguineam concretionem notato sociatum ostendunt. Hæc denique sunt poma ad vescendum suauia, quæ si quis edat, omnem prorsus humanarum voluptatum saporem altæ cum neglectu tradit obliuioni. Est autem insignis spōsæ laus, hæc poma quasi venalia intempestiuè non exposuisse, sed sponso, cuius erant, asseruasse. Sanè poma generosissima diu condi, & seruari solent, & reliquis fructibus absumptis maturiora & fragrantiora in forum promi, auidiusque tunc, auctiore etiam pretio emi. Enimuerò nonnulli sunt sacrarum scripturarum studio-

Qui vescitur his pomis fit sicut Deus sciens bonum & malum.

Deus auro signatur.

Laus sponsæ.

sissimi,

sissimi, qui tanquam poma noua, & vetera, ex vtroq; testaméto dogmata præcerpunt, qui parum tanti boni capaces ea condere, ac seruare nesciunt; aiunt enim se conceptum sermonem tenere non posse; ac ita prę maturè in lucem prodeunt, & sic se incassùm desudasse cernunt, quia inauguratò prædicationem aggressi sunt. Sunt verò alij, qui æquè præcipites, poma illa, hoc est, vtriusque fœderis dogmata ad tempus condunt, & seruant; eò tamen, vt occasionẽ nacti, populárẽ aurã ostentatione aucupentur, qui cettè seruarũt poma, sed nõ Deo. Quapropter hos scopulos vitatura sponsa sic ait, Omnia poma noua & vetera, ex arbore scientiæ carpta, omnia inquã noui, veterisq; testamenti dogmata, quæ à te, ô sponse, arbore scientiæ notate, accepi, seruaui, non illa prę maturè distraxi, sed cunctando celaui, non vt ob inanem gloriam illa venditarem, hoc enim est ea poma

mundo seruare, sed consultiùs egi, illa enim, dilecte mi, seruaui tibi. Ex quo fit, vt mecum in agrum egredi festinus debeas, vbi tibi dabo vbera mea, & poma tribuam, quæ tibi seruaui. Hæc postquam sponsa effata est, iam opus salutis proximorum aggreditur, iam auspicari certat. Verum enim admiratione digna sunt vbera quæ proximè in octauo enũciat capite; & verbis modo explanatis minime cohærere videntur; quamobrem ea penitissimè inspicere oportebit.

CAPVT OCTAVVM.

Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris.

Quis mihi restituat te, sponse, meæ naturæ consors, quem nunc velut amitto, à contemplatione separata, vt curem aliorum salutem, facta velut anathema à te pro fratribus meis? Quis inquam det vt extra huius corporis angustias inueniam te trahentem pulchritudine tua voluntates Ecclesiæ regnantis, Hierusalem supernæ, quæ est mater mea.

SOLENT mutuò amantes, qui simul diutissimè vixere, cum illorũ alteruter fortè alio profecturus est, amoris se tunc prodentis vim præsertim sensuumque percipere. Enimuerò cum simul morabantur, amor præsentia mutua pascebatur, & silebat; sed cum animaduertit, sibi

Amantes amoris vim percipiunt cum alteruter abest.

escam subtrahi, silere nescit, & velut exulem futurum se mœstè cogitat, erumpentesque mœroris continere nequit affectus. Hinc est, vt priusquam recedat, de reditu cogitet, vt alterum reuisat amicum; & pro reditu preces fundat, votaque concipiat. In hunc planè modum sponsa, cuius anima præsente in crebræ contemplationis thalamo spõso pascebatur, se ad sollicitam curãdæ proximorum salutis vitam, in qua contemplationi vacare nequibit, proficisci animaduertẽs, in hoc recessu, vim amoris apertius quàm ante sensumque percipiens, nondũ profecta, de reditu cogitat, vixque ab sponso valet auelli. Propterea inquit, Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris? Sanè illa sponsum, vt secum proficiscatur, & in agrum egrediatur obnixe precata est, verũ tametsi à sponso se credat exauditã, nouit tamen sponsum sibi quidem

opem

opem laturum, vt legatione fungatur, & in eo genere secum exiturũ, at ea societas longè alia est, ab ea, quam cupit amor, qui se modo prodit. Proficiscetur profecto cum ipsa sponsus, afflabit, & impellet illam ad opus, at ea functio labore plena erit, & sollicitudine, & à contemplationis requie longè remota. Quæ cũ propter ipsum sponsum, & propter proximorum salutẽ necessariò obeunda sit, cernẽs sponsa, in hoc exilio, requiem sibi iam non superesse, ad æternam hiat requiem, vbi spõsum reuisere ardentissimè cupit. Ex hoc igitur affectu, voces eruperunt istæ, Quis mihi det te fratrẽ meum, sugentẽ vbera matris meæ, vt inueniam te foris? Porrò hisce verbis tria sponsa innuit minimè silenda. Primum quippe sic ait, Quis mihi det te fratrem meum, quasi dicat, modo à te separor, ac proinde te velut orbor, Quis ergo restituat te mihi? Quis reddat te mihi, vt te fruar? Sponsa tria innuit.

Appellat autem illum fratrem, tum ex phrasi amantium, quæ huiusmodi nomenclaturas vsurpat, tum ob assumptæ carnis sacramentum, propter quod ipse non confunditur nos fratres appellare, sicut scriptum est, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Ex hoc autem sponsa ius habet optandi; ac sperandi sibi sponsum reddendum, ex ipso quippe naturæ iure fratres simul habitare debent, quamdiu non emancipantur; at sponsa emancipari non vult. Sed impendio animaduertendum est, spõsã cupere, vt sibi spõsus ac frater suus detur, non in quocumq; statu, putà ærumnoso, & infœlici, sed vbi fugit vbera matris suæ, hoc est, in superna Hieruſalem, quæ est mater spõsæ, ac nostra, Vbera nimirum illius Ecclesiæ sunt beatorum voluntates tumentes, & amore grauidæ, quas per amoris actus sponso porrigunt exsugendas. Pulchrè autem sponsus dicitur voluntates exsuge-

Psalm. 21.

Hieruſalẽ ſuperna eſt mater ſpõſæ.

Vbera ſupernæ Eccleſiæ ſunt Beatorum voluntates.

re,

re, quod expenſo illarum, & cum intellectu collato patebit ingenio. Notum eſt, voluntatem, vt philoſophi loquuntur, ab obiecto, bono videlicet, aut pulchro trahi, & hic eſt proprius illius motus, vt ad obiectum hiet, & inſtar vberis lacte pleni, quaſi ex amantis pectore prodeat, & in amatum pendeat bonum. Obiectum verò bonum ſeu pulchrum voluntatem trahit, & velut exſugit, quæ natiua eſt pulchritudinis erga voluntatem vis. Intellectus verò è contrario, rem, quam intelligit, concipiens, illam ad ſe trahit, & quaſi vber exſugit, non enim ad rem ducitur, ſed vniuerſa intra ſe condit, quod metaphoricè ſugere dicitur. Ex quo inſigni voluntatis ac intellectus diſcrimine efficitur, vt intellectus ſeu mentes beatorum quaſi ſugant Deum ipſo viſionis actu, Deus verò illorum voluntates ſua pulchritudine ſugat. Sic igitur ſponſa loqui exiſtimanda eſt. Cerno, ſponſe, me à te

diuelli in hac prędicationis functione, etiam te mecum gradiente, non enim te fruar, sed pro te luctabor, Quis ergo me solabitur, & exhausto labore dabit, vt te videam fratrem meum vi quadam efficacissima, & suauissima trahentem voluntates Hierusalem supernæ, in qua ego recensear, tanquam in aula materna?

Ex hoc patere potest, quid sibi velint illa verba, Vt inueniam te foris. Certè quamdiu hisce corporis custodijs obsæpti sumus, tanquam in Gyaris, vel Seripho, vt olim damnati, arctamur, & angustijs quasi carceris premimur, foras verò velut in campum longè lateque patentem prodire dicimur, cum à corporis pressura, in cœlestis patriæ latitudinem migramus. Rectè autem ad huius interpretationis absolutionem sponsa, quæ sequuntur attexuit.

Hisce corporis custodijs obsepti tāquā in Gyaris arctamur.

Et deosculer.

Quis det, vt in vrbe illa superna ar-

den-

dentissimo amoris actu tibi hæream, vt contactus sit inter duos spiritus, tuum ac meum, sicut inter se mutuò osculantia corpora mutuus contactus est?

MVLTIFARIAM sponsa sponsum osculari consueuit; cum autem iam prouecta tam ardenter hic osculum poscat, non vulgare quippiam expetere putanda est. Profecto sponsa, quamdiu exulat, pedes tantum sponsi osculari finitur, sicut olim Magdalena fecit. Solet quippè sponsus assumptæ naturæ, quæ velut pes diuinitatis est, oscula ijs, quos charos habet, in hac vita permittere, quod frequenti reuelatione & veteris & noui testamenti sanctis creditur præstitisse. At verò diuinitatis osculum nemo viuens assequutus est, nec enim id humana ferre potest imbecillitas, nisi gloria perfundatur. Cum primũ aũt quis gloriæ lumine illustrat° ingreditur in patriã, strictissimo tunc

Luc. 7. Humana natura velut pes diuinitatis est.

Intellectus Deum contemplans osculum appellari potest.

sponsum complexu apprehendit, & perfectissimo diuinæ charitatis actu in æternum perseueraturo illum velut osculatur. Licet autem illa cõiunctio, quæ fit per actum intellectus perspicuè tunc Deum contẽplantis, satis aptè osculum appellari queat, cum iam non vllo medio interiecto, & quasi per transennam, sed proximè, ac intimè Deum attingat, cuius natura intimè ipsi intellectui ad eundem actum promẽdum, tanquam species intelligibilis, vt schola loquitur, vnitur, verum quia osculari, actionem quandam ardentissimam, & affectus impressionem, quæ voluntatis actui germanior est, innuit, potius videtur osculari in hoc arcano sermone, idem esse, ac voluntatis actu sponso adhærescere, Quamobrem sic sponsa effari credenda est. Quis mihi tribuat, vt quæ tuum pedem, hoc est, humanam quam assumpsisti naturam, & in hoc exilio interdum ex indulgen-

tia

tia contemplationis arcano, per diuinas illustrationes, & inde excitatos affectus velut osculari permissa sum, te, hoc est, tuam personam diuinam clarè in patria cernens, strictissimo complectar amoris actu, illique ardentissimum affectum velut osculum infigam, vt sit mihi tecum spiritalis vndecumque perfectus cõtactus, qualis est inter eos, qui se mutuo exosculantur. Diximus autem hoc arcanum osculum ad voluntatem potius, quàm ad intellectum pertinere: etsi enim arctior sit illa coniunctio, qua diuina essentia tanquam species intellectui beato vnitur, quæ ad intellectum pertinet, coniunctione illa, qua voluntas Deum præsentem apprehendit, quemadmodum si res theologicè exploretur, semper nobis visum est; verum quia expensa osculi proprietate, nõ tam coniunctio, quam coniunctionis modus, qui est, cum impressione & affectu, huc spectare videtur, asse-

Osculi proprietas.

ruimus sponsam voluntate potius, quam intellectu Deum osculari dicendam esse. Et quidem in illapsu illo, quo diuina essentia vnitur intellectui, Deus animam osculari dicendus est, animaque perinde osculum excipere, verum cum recepto osculo velut æstuans illa Deo hæret, osculum imprimere potius dicenda videtur. Quod verò actus intellectus diuinæ essentiæ illapsu fœcúdi, ipsiusque essentiæ vnionem consequens; osculum appellari debeat, verum est proculdubio, sed enim actus intelligẽdi, qui summa quiete, & tranquillitate perficitur præ se non fert illam energiam, & affectus commotionem, quæ oculi significatione notatur, quæque voluntatis actui est omninò natiua. Sed iam quæ sponsa subdit, quopacto cohæreant, trutinemus. Inquit enim.

Et iam nemo me despiciat.

Quis det, vt corona fruar, vbi iam ne-

mo me despiciat, sicut in hoc exilio, vbi vt purgamentum mundi negligor.

VT horum verborum concinnitatem percipiamus, constituẽdum est, quod sub huius capitis monuimus initium, sponsam, quæ legatione pro Christo fungitur, & ad labores perferendos, à contemplationis suauitate depellitur, eas ærũnas, & insectationes, quas in legatione perlatura est, cogitatione perpendere. Inter alia vero, quæ passura est, illi præ oculis obseruantur opprobria, & sceleſtorum hominum neglectus, quibus passim vexari solent, quicumque pro salute proximorum apostolicis vestigijs insistunt, fiunt enim tanquam purgamenta & peripsemata mũdi, eam vitæ rationem exsibilantis, & contemnentis. Prospiciens ergo sponsa, quot sit spernenda ludibrijs, & viam, quam peractura est, prius mẽte percurrens, illa extulit verba. 1. Corint. 4.

Et

Et iam nemo me despiciat, quasi dixisset. Quis det, vt tandem ad eam, quam opto, cœlestis patriæ dignitatem assurgam, vbi gloria coronata incedam, & iam nemo me despiciat, vt scelesti homines iustos passim in hoc exilio despicere, ac irridere solent. Enimuerò hæc interpretatio ideo quadrat, quia sponsæ affectum propriè depingit. Sicut enim animus requiem cœlestis patriæ ardentissimè cupit, ita è contrario agones, & ludibria horret, quod etiam in viris perfectis experimẽto didicimus. Est autem excelsi animi nec propter propriam gloriam, & bonum quasi priuatum, nec propter impendentia mala de suo statu deijci, vel à sua rectitudine flecti, vnde & sponsa, nec quia cõtemplationis requie caritura, nec quia hominum nefariorũ prauitate vexanda & negligenda est, ex animi magnitudine deturbatur. Fuit autem operæpretium suos illam affectus ad nostram eruditio-

Animus requiem cœlestis patriæ cupit.

nem

nem exprimere. Hæc prima est ab initio capitis præcedentium verborum interpretatio.

Secunda verò se prodit. Sponsum non in gloriæ maiestate, vt prima, sed velut in hoc exilio cum sponsa morantem, illiusque votis in calce capitis proximi expressis respondẽtem contemplans. Sponsa nimirum à sua requie ad aliorum curandam salutem recessura, ne per inexploratam regionem sola gradèretur, sic sponsum precabatur. Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum. Nunc verò in hoc capite, id se ardentissimè cupere propalat, aiens, Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? hoc est, quis mihi in hac mea legatione te tanquam fratrem sociumue tribuat, non sub quacumque forma, plures enim formas induere soles, sed tanquam lactentem, ac sugentem in tua plebe doctrinam prædicatorum, quibus ego annumeror, qui dum Ecclesiæ II. interpretatio.

lac

Prædicatores doctrinam tyronibus militantis Ecclesiæ vt lac propinant.

lac tyronibus propinant, vbera sanè sunt matris meæ, quæ est militans Ecclesia? Pergit autem vlterius, aiens. Vt inueniam te foris? ac si diceret, Quis mihi det, vt in agro illo, ad quem, vt mecum exires, flagitabam, hoc est, in plebe agresti, & vrbanitatis tuæ ignara, quasi extra charitatis tuæ politiam vagante, inueniam te, vt in plebis illius animos te insinuans, ad vrbanitatem, & charitatis eos habitationem impellas, & ibi ego Deosculer te in illis, dum os meum oribus illorum, tuam inspiratura scientiam admoueo? Denique adiungit. Et iam nemo me despiciat? quasi dicat, Quis mihi det, vt ex mea requie exiliens, aliorum eam mihi exprobrantium improperia non patiar, nec mihi iam solum nata videar, sed de aliorum profectu gloriam propter te, sponse, parem? Enimuerò nonnullos cernere licet charitate prouectos viros, qui quoti-

dianis

dianis aliorum conuicijs proſcinduntur, quaſi putent, ſe ſibi dumtaxat natos. Cum enim ij, qui licentius agunt, & ad aliorum gubernationem ſe præmaturè obtrudunt, obſequium ſe exiſtiment præſtare Deo, ſi fortè quem videant ſibi ſtudentem, & donec à Deo vocetur, ſeipſum abdentem, in eum non ceſſant torquere conuicia; philautiam illi & ignauiam objciunt, & quaſi Deo non obaudientem contemnunt. Ab his ergo ſponſa ſe non deſpici optat, non quia eum formidet contemptum, ſed quia id ſponſo glorioſum fore putauit. Poteſt etiam ſatis idoneè dici ſponſam nõ optare in eo etiam genere non deſpici, ſed præuidere, ac dicere, q̃ ſibi nouit euenturum, ſe nempe nõ eſſe deſpiciendam, & huic explanationi quadrat ſeptuaginta Interpretum verſio, quæ vltima hæc verba nõ trãſtulit ſub optantis, ſed ſub prænũciãtis modo. Sic enim habet.

Quis

Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? & hic clausit interrogationem, Mox autem, quod fore credidit, sine desiderij modo, enunciauit, aiens. Inueniẽs te extra, osculabor te, & non despicient me.

Translatio Theodoreti.

Hic autem visum est, non esse obruendam silentio translationem, qua Theodoretus vtitur, quæ sic habet. Quis det te, nepos mi, sugẽtem vbera matris meæ? & mox sub parẽthesi, (ista tua benignitate concitata) clausaque parenthesi ait, inueniens te foris, osculabor te; & non despicient me. Vbi verba illa, ista tua benignitate concitata, intertexuntur, quæ nec in Hebraica, nec in septuaginta Interpretum versione, quæ nunc habentur, leguntur. Fieri potuit vt in antiquis exemplaribus legerentur, nisi quis fortè suspicetur, quod latinis translationibus euenisse in nonnullis vocibus, nobiles authores tradiderunt, Græcis pariter contigisse, vt scilicet, ex ali-

quo

quo commentario illa verba in textum ipsum typographorum oscitantia intruderentur. Quoquopacto autem se res habeat, verba illa ad sensus arcanos sunt opportunissima, siue enim iuxta primam interpretationem sponsus consideretur, sugens vbera supernæ Hierusalem; quæ est mater nostra, siue iuxta secundam cõcipiatur in Ecclesia militante, quæ mater etiam nostra est, in plebe tyrunculorum, prædicatorum arcana vbera sugens, siue vtrobique osculum recipiens, id sanè pro sua benignitate concitata, hoc est, ad nos celerrimè mota, efficit, nec enim extrinseco impulsu ea nobis bona præstat, sed motu certè proprio, benignitate sua non aliunde, sed à natura sua concitata. Nunc verò sponsa statuens sponsum à se foris offensum iri, quemadmodum optauit, quidnam ipsa tunc præstitura sit, ad nostram eruditionem, eloquitur.

Apprehendam te.

Cum primum videro te (o sponse) in animam conuersi hominis subintrasse, apprehendam te, ne labaris, quasi qui anguem capere, ac stringere certat.

SPONSA concionatura cum sit, & permulcendæ ad iustitiam gentis curam gestura, consultissimè decernit, se occasiones sponsi tenendi captaturam, nec vllo modo eas præterire passuram. Hoc quippe sibi volunt ea verba, Apprehendam te. Lubricus nimirum sponsus est, serpentis imagine rectè in deserto signatus. Serpentem videlicet apprehendere difficile est, sæpeq; qui eum tenere gestit, deluditur; etsi enim illum manu pressérit, ipsa tamē pressura facilius anguis elabitur; vnde ficus folio, vel alio ad id comparato artificio, capiendus est, sedula certè obseruatione, ac dexteritate. Sic sponsus hac illacque per hominum corda, lubrica quadam spe-

Serpens quomodo capiendus.

cie

cie labitur, qui vero illum in eo loco apprehendere satagit, tempus captare, & magna vti dexteritate debet, si eum tenere cupit. Hoc autem fit, cum à peccatoris animo sacrorum dogmatum iaculis sauciato repentinum quoddam æternitatis, ipsiusque sponsi concipitur desiderium. Tunc quippe sacer concionator ocyssimè debet accurrere, & satum in eo corde semen alere, hortatu multo, ac nauitate fouere, vt radices agat, frugemque reddat optatam. Tunc eleganter dicitur spõsum corde illo conceptum apprehendere, ne fortè inde labatur. Quod verò eiusmodi apprehensio, ad vlteriores fiat profectus, per adiuncta verba mox sponsa declarat, aiens.

Et ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Cum tenuero te ibi, homines ad iustitiã

grandiorem impellam, vt aenique migrent in cœlestem Hierusalem matrem meam, & in eis ad illam ducam te.

Domus matris spõsæ cœlestis est Hierusalem.

PORRO domus matris sponsæ, habitatio illa fœlix cœlestis est Hierusalem, quam scriptura matrẽ nostram appellat. Enimuerò matris illi nomen, sicut & manus quadrat. Ab illa quippe velut à matre, militans hæc, in qua nos sumus, Ecclesia quasi lactatur, & alitur. Sanè Ioannes vidit Hierusalem hanc nostram ab illa, quæ in cœlis est, descendentem, sicut à matre filiam nuptui traditam, suoq; ornatam viro. Hæc autem origo, quam ducit à matre, sic est accipienda. Princeps videlicet illius vrbis, quę mater nostra est, ab illa descendens, hanc nostram genuit, & fundauit Ecclesiam, virtutum cœlestium infusione, quæ à cœlo traxit originem, & sacramentorum institutione diuinitus facta. Ciues autem illi summo Principi

Apoc, 21.

Deo

Deo ministrantes, illoque fruentes, materno quodam affectu ad nostrã sunt destinati custodiam. Ex quo fit, vt beata illa Ecclesia omnis, & capite, & membris suis, hanc nostram generarit, perpetimque lactet Ecclesiam, vt pateat, sponsam, velut huius Ecclesiæ membrum iure potuisse cœlestem ecclesiam matrem suam appellare. In huius ergo matris habitationem, postquam illum apprehenderit, sponsum se ducturam asseruit, quod quemadmodum fiat elucidandum est. Profectò, postquam quis Ecclesiastes aliorũ cœtui præfectus, in peccatoris cuiuspiam animo sponsum, sensu exposito, apprehendit & ne inde labatur retinere multa nauitate studet, ac ad profectus nouos cor eius, qui resipuit, peccatoris impellit, qui meritis demum cumulatus migrat in patriam, sponsum ipsum in eo corde latentem, & miris crescentem accessibus, in patriam, quò ten-

dit homo ille, ducere pulcherrimè dicitur. Quapropter sic sponsa loqui putanda est. Apprehendam te, ô sponse, cùm primum peccatores ad iustitiam adhortans, te in illorũ animos subintrasse cõperero. Post. quam verò tenuero te, & ne inde labaris velut adstrinxero; corda illa, in quibus tu cœperis habitare, ad cœlestem patriam, matris videlicet meæ aulam, nouis iustitiæ progressibus ducens, te ibi latentem, quasi ferculo vectum, ad eandem ducam aulam, quomodo enim ea corda illuc duci possunt, nisi tu ibi fixus, eò pariter ducaris? Cætera autem verba, nempe [& in cubiculum genitricis meæ] supra satis exposita sunt. Exponi aliter potest hic locus iuxta versionem ad Hebraicũ textum expensam, quę sic habet. Venire faciam ad te domum matris meę. Profecto cum sponsa concionans, & ad iustitiam exhortans, corda hominum quatit, & vt sponso arctius

Alia expositio.

hære-

hæreant, impellit, domum, hoc est familiã Ecclesiæ matris suæ ad sponsum facere venire, elegantissimè dicitur. Iuxta editionem verò nostrã, in cœlestem aulam sponsum ducere adornat, vbi quid sibi sit euenturum, in hunc modum explanat.

Ibi me docebis.

In ea matris meæ aula sine caligine vlla, lumine gloriæ illustrabis me.

SANE in cœlesti patria, veram Deus sine vllo ænigmate docet sapientiam, nec enim eam in huius mundi caligine parare contingit, cum vix eam prælibare sinamur. Cuius certè veritatis est efficax persuasio, purissimas etiam magnorum virorum mentes diuinorum fuisse ignaras arcanorum, sicut scriptum est. Existimabam vt cognoscerem hoc, cupiebat enim vates nosse, cur iusti à Deo in hac vita cędantur, & quasi neglectui habeantur, sed quia id in hoc exilio penit⁹ se callere non Psalm. 72.

In cœlesti domicilio cessabit huius vitæ ignoratio.

posse animaduertit, subiunxit, Labor est ante me, donec intrem in sanctuariũ Dei, ac si dixisset, in sanctuario, hoc est cœlesti domicilio, docebit me Deus, & sic huius vitæ cessabit ignoratio. Porrò introeuntes in illud sanctuarium diuinæ gloriæ lumen eueſtigio perfundit, & per id Deus mentes beatorum illustrat, auaramque illam sciendi exsatiat cupiditatem, qua humanus vexabatur intellectus. Tunc Deus per semetipsum præceptoris functionem obibit, ac sine creaturæ vllius quantumuis excelsæ ministerio mentes illas illustrissimo eo lumine imbuet. Hanc ergo sapientiã doceri sponsa cupit, & sibi eam de sponsi munificentia pollicetur, aiens, Ibi me docebis, ac si planius ita loqueretur, Ego in hoc exilio, tua fungens legatione, illumino eos, qui iacent in vmbra mortis, abs te missa illos doceo, & tu meam sedulitatem, ac laborem muneraturus,

in patria docebis me. Verum quod sponsa subdit, omnino mirum videtur. Ait enim.

Et dabo tibi poculum ex vino condito.

Ibi dabo tibi quasi vini conditi, & aromatici poculum, cum amorem, quem in terra myrrhæ aromate condio, nouo sapore, ac odore imbutum ex labore tolerato, porrigam.

VINVM aromatibus conditur, & eorum vim contrahit. Eiusmodi verò vinum fuit antiquitati gratissimum, aiente Plinio, Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita, moxque nonnulla in eam sententiam, ex antiquis authoribus profert, vbi de vino aromatite mentionem facit. Hoc igitur vini apud priscos lautissimi genus sponsa respexisse videtur, cum, ad sponsum permulcendum, se in patria illi poculum vini conditi propinatu-

ram dicit. Quod quemadmodum futurum sit, nunc aperiendum est. Enimuerò, vt ex primis huius capitis verbis patere potest, expenso intellectus, ac voluntatis ibi spectato discrimine, cum Deus in patria lumen immittit intellectui, eleganter ipse dicitur sapientiæ propinare potum, quem intellectus diuinam illustrationem concipiens, & attrahens, quasi bibit. Voluntas verò in eodem momento amoris actum proferens, è contrario, potum Deo propinare perhibetur, quem ille, dum voluntatem trahit, pulchrè dicitur haurire. Ex quo fit, vt Deus, & anima beata, mutuis quasi poculis certent. Anima ergo vini poculũ voluntate propinat, vini autem, nõ cuiuscumque, sed aromatici, myrrhaque conditi, ac proinde lautissimi, quod sic arcano sermone liquet. Amor sanè vino apertè significatur, ab vtroque enim prouenit ebrietas, vt cætera sileamus. Vinum autem

Vinum significat amorem.

hoc,

hoc, aromatibus si condiatur, fit sponso lautissimum. Inter aromata verò myrrha ad hanc condituram eximiè confert, & vino huic saporem ac odorem suauissimum tribuit. Quia videlicet amor Dei amaritudine, laboribusque vexatus, & quasi aculeatæ myrrhæ arbusculæ puncturis lacessitus, magnam parit nobilitatem & verus amor esse aduersitate conuincitur. Ex hoc autẽ quendam saporem, odoremque cõtrahit æuo sempiterno permansurum, quo non solum animæ, sed etiam spõsi inde gaudẽtis gustº afficitur. Etsi n. vinũ in patria iã nõ myrrha condiatur, est quippe amor gloriosus, verũ ibi saporẽ, odorẽq; retinet suauissimũ quem ex hac vita, ob myrrhę cõdimentũ, cõtraxit. Quod verò attulimus ex Plinio, vina myrrhæ odore cõdita laudãte, nõ ita intelligẽdũ est, vt vulgº putat, vina videlicet illa myrrhæ vulgaris amaritudinẽ cõcepisse, & ex eo lautissima

fuisse

Murra seu myrrha lapidis precioſi genus.

fuiſſe habita, quomodo enim, ſi amarorem ingererent, lauta eſſe potuiſſent? Sed ita habēdum eſt, Murram vel myrrham lapidis pretioſi genus odore commendabile, colorumque varietate diſtinctum naſcens in Oriente apud Parthos, vino odorem ſuauem cōciliare. Creditur autem ea myrrha eſſe humor ſolis calore ſub terra condenſatus, ex quo antiqui fingebant calices myrrhinos in pretio habitos, in quibus vinum optimum varijs aromatibus condiebatur, & ad roborandū ſapore, ac odore plurimum valebat. In ſermone autem arcano amaritudo myrrhæ, quæ carni eſt inſuauis, vero amori, quaſi generoſo vino probatiſſimam condituram inducit. Qua conditus amor fit poculum ſponſo dignum & in hac, & in futura vita, myrrha ergo amara, non murrha eſt, quæ amorem condit vt vinum. Præſtat autem amori myrrha, quod vino vuarum mur-

Amaritudo myrrhæ. amori quaſi vino conditurā inducit.

rha

rha præstat. Sed iam sponsam, quæ ait, se in patria, amoris actu, quasi poculum vini aromatici sponso daturam, pergentem contueamur. Affert enim satis arcanum quiddam, quod opus sit contemplari. Sic nimirum ait,

Et mustum malorum granatorum meorum.

Ibi amorem torturis & laboribus vt torcularibus expressum propinabo tibi, ac sic coniux viro succum ex punicis malis elicitum eius amoris indicem propinet.

EX malis granatis seu punicis vinum, quod rhoiten vocabant, confici solitum Plinius tradidit. Malo verò granato charitatem, vel quod est idem, Dei significari amorem satis est in superioribus explicatum. Sicut autem mala hæc punica, vt vinum seu mustum inde fiat, premuntur, ac velut torquentur, ita, cum Dei amor diuturnitate

Malo granato Charitas Dei significatur.

matu-

maturuit, premitur, & per metaphoram, inde mustum, vinumue fluere dicitur. Hoc autem bifariam fieri solet. Altero quidem modo, cũ perfectus Dei amor multis pressuris laboribusque tortus, actum in pressura, velut in torculari, multiplicem promit, qui musti symbolo feruentis, & velut ebullientis notatur. Secundo verò modo fit, cum quis amore prouectus, pro sponsi gloria subit martyrium, vbi sanguis tanquã succus è malo granato fluit expressus, quo nullum potest poculum pretiosius suauiusue sponso dicari. Mustum autem hoc, vtroque sensu acceptum, ex malis granatis sponsæ, hoc est, ex gemino amore, Dei videlicet, ac proximi, conficitur. Ex vtroque enim, siue cum laboribus angitur, siue etiam cum prædicationis ergò mortem oppetit, fluit seu multiplex actus æstuans, seu sanguis ebulliens : vbi est aperta cum musto similitudo. Hoc verò

Mustum ex malis granatis, hoc est, ex gemino amore Dei & proximi confectum.

mu-

mustum malorum granatorum, sicut & vinum aromaticum, fluit more fontis salientis in vitam æternam, ac proinde in patria sponso propinatur, perpetua quadam oppressi olim amoris, & profusi sanguinis oblatione, quam dum Deus acceptat eleganter dicitur id mustũ haurire. Bibit autem id mustum in hoc etiam, dum exprimitur exilio, quemadmodum & vinum aromatiten, de quo paulò ante dictum est. Sic igitur sponsam loquentem cõcipere debemus. Cum te, ô sponse, duxero in aulam matris meæ, & tecum in tua egero claritate, perpetua quadam oblatione tibi offeram amoris repetitum actum, in laborum huius vitæ torcularibus expressum, vel etiam sanguinem pro te ipso effusum. Etsi enim pressura cessabit, æterna tamen recordatione, quasi iuge tibi porrigam libamentum, q; tu libentissime hauries. Animaduertendum est in hoc loco,

eas pressuras, quas nunc propter iustitiam quis patitur, exhausto semel labore, in quo hostia quasi cæsa fuit, in æternum permansuras, tanquam laudis, & gratiarũ actionis hostias, & ita satis eleganter mustum arcanũ, quod hic exprimitur ex punicis malis, in æternitatis poculum asseruari dicitur. Nunc verò, quasi secũ expendens, quibus auxiliis sit prædicationis legatione functura, se velut adhortans, & ad opus incendens, sic effatur.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Tutò iam possum aliorum studere saluti, nam cordi sponsi cor meum hæret, & fortitudo eius tuetur me.

PRÆTER illa, quæ ad horum verborum interpretamentum capite secundo sunt allata, nonnihil modo apponendum est. Profectò in his verbis mira retegitur vis a-

Mira vis amoris hic retegitur.

moris

moris, dum sponsi læua sub sponsæ capite porrigitur, & exinde cordium latera copulantur. Enimuerò si duo coniuges ita se complectantur vt sinistris brachijs colla sibi mutuò cingere velint, tunc sanè læua sub capite est, & sinistra se tangunt latera, cordibus sibi mutuò hærentibus. Et hic vrbanus amplexus amantibus est aptior, quam dexteræ, & in se ipso spectatus videtur esse potior. Sanè antiquitati læua, quam dextera fuit honorificentior, ac proinde, cum quis alteri honorem deferre cupiebat, ad sinistrum illum admittebat latus, vt cordis propinquitate, sibi eum amicum esse cordi ostenderet, quo nihil acceptius, aut dignius præstare poterat. Is autem, qui à dextris quempiam comitabatur, comes appellabatur exterior, qui verò gradiebatur ad lęuam, interior nuncupabatur, vt patet ex Ouidio, qui senem pingit iuuenum comitatu septum. Cum verò vnus

Læua antiquitati honorificentior quam dextera.

tantum comes esset, senem ad læuã illius comitis locat, aiens in Fastis.

Et medius iuuenum, non indignantibus illis.

Ibat, & interior, si comes vnus erat.

Meritò autem interiorem appellat eum, qui ad læuam incedit, quasi qui intra cor admissus sit. Dum ergo sponsa inquit, læuam sponsi capiti suo suppositam, necesse est, vt principem apud eum locum, cor nempe illius adepta sit. Vbi apprimè animaduertendum est sponsam ipsam sinistrum latus suũ, quasi suã etiam læuam sponso præbere, vt verè ipsi sit interior, nam si sponsus læuam illi admouet, vt caput, hoc est, principem animæ partem suffulciat, necesse omninò est, sinistrum sponsæ latus sinistro lateri suo respondere, vbi cernimus nouum amplectendi modum, nouum etiã comitatum. Sanè in vulgari amplexu latus dextrum sinistro respondet. In vulgari etiam comitatu, si

mo-

morem antiquitatis obſeruemus, qui ad læuam alterius gradiebatur, dextrum illi præbebat latus; læua verò læuæ, nec in vulgato amplexu, nec in antiquo aptabatur, & hærebat comitatu. Sponſus autem, & ſponſa, quia cor ſibi mutuò præbent, ſiniſtra proinde latera committunt. Vt ergò verba ſponſæ penitus percipiamus, ſic eam loquentem concipere debemus. Tutò gradi poſſum, & quocumque me ſpiritus impellit, ire, nam læua ſponſi ſub capite meo, hoc eſt, ſiniſtrũ mihi latus præbet ſponſus, tanquã eius cordi inſculptæ. & caput, hoc eſt, principẽ animę partẽ cęteris eminentẽ, ne cadat, ſuſtinet. Dextera verò illius, quę ſymbolum fortitudinis eſt, amplexabitur me, hoc eſt, cuſtodiet & vndiq; vallabit me, ne quis me lædere audeat. Eſt igitur hic loquẽdi modus periphraſis quædã, vt tantũdem ſit dicere, Lęua eius ſub capite meo, & dextra illi amplexabitur me

Dextera ſymbolum fortitudinis.

ac si diceretur breuiùs, præbet mihi sponsus cor suum, & ideo defendet me. Et hæc prima est expositio.

II. Expositio.

Subit autem mentem secunda, ex natantium consuetudine prompta. Porrò, dum quis natandi peritus, ignarum quempiam natare docet, altera manu mento suppositâ, caput, ne mergatur, fulcit, altera cingit, & quasi amplexatur natantem, ex quo arcanus verborum eruitur sensus, ac si sponsa sic loqueretur. Curatura sum aliorum salutè, & per medios fluctus natatura, multis enim sum agitanda curis, ac procellis laborum verberanda, sum autem natandi parum perita, & propterea sponsus eius artis consultissimus, quasi supponet lævam capiti, hoc est, menti meæ, ne obruatur quis, ac præfocetur, & illius dextera, hoc est, inuictum robur amplexabitur, seu sæpiet me, ne maris fluctus, quos ille auertet, me audeant operire. Nunc verò sponsus, vt spó-

sæ discipulas erudiat, monet, ne putent omnia sibi impunè licere. Ne intempestiuè audeant sponsam inter ipsas etiam pascendi curas interdum contemplationis requie recreatam auocare, donec annuente ipso, pastorales repetat functiones. Enimuerò clarissima Ecclesiæ lumina, Doctores inquam sacri, quorum curæ Christiana Resp. credita à sponso fuit, inter medios curarum vortices, à Deo interdum visitabãtur, & velut in tranquilla portus statione collocabantur, vnde fiebant ad repetendas curas promptiores, & ad consulendum bono communi doctiores. Quapropter ab eiusmodi cum Deo consuetudine eos interpellare, & temerarium fuisset, & noxium. Quod vt discipulæ discant, introducit hic Salomon sponsam ecstasi raptam, & sponsum ne excitetur imperantem.

Doctores Ecclesiæ à Deo interdum visitati.

SPONSVS.

Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.

Obtestor vos animæ sponsæ discipulæ, Ecclesiæque filiæ, ne amorem illius mihi interdum hærentem ecstasinque facientem interpelletis.

VERBA hæc in superioribus satis explanata sunt, nũc enim quarto repetuntur. Confert autem hæc repetitio ad energiam, & vt altius memoriæ imprimantur. Expedit sanè nosse, studij cœlestis interceptionem non sine iniuria, & magno salutis discrimine fieri. In Hebraico autem textu, pro, Dilecta, ponitur, Amor, ac exinde iubet Deus, ne quis amorem suscitet à somno illo saluberrimo. Etsi enim ecstasis ad intellectum pertineat, qui aliqua inspiratione reuelationis sursum

vehitur, amor tamen interdum eius causa existit, sicut de Paulo Dionysius prodit, 4. de Diuinis nominibus aiens, illa Pauli verba, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus, ex virtute diuini amoris ecstasin facientis erupisse. Cuius asserti ratio est, quia amor voluntatem afficiens, ad diuinam pulchritudinem totum hominem vehementer impellit, & propter hunc affectum vehementem, ab omnibus alijs rebus animus alienatur, & in id, quod voluntas affectat, euehitur, ex quo fit mentis excessus. Propter hoc ergo sponsus imperat, ne suscitet quis amorem ecstasin facientem, & secum ad sponsum ipsum totam sponsæ animam ferentem, vt ibi tanquam in centro sui desiderij conquiescat, & velut salutari somno sopiatur. Cætera verò, quæ ad horum verborum interpretationē desiderantur, petātur ex superioribus. Quod autē ad Gal. 2.

connexionem spectat, prætereundum non erit. Post hæc nimirum verba, proximè in scenam introducitur filiarum Hierusalem sponsæ scholam frequentare cupientium chorus, ecstasi elatam sponsam demirans, quod non mediocriter conducit ad eius studium promouendum.

Filiæ Hierusalem.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?

Quam excelsa est sponsa hæc, quæ velut carnis pondere immunis, de culpa, in qua velut in eremo errauerat, in charitatis altitudinem ascendit, & ob conscientiæ tranquillitatem, & salutis securitatem delicias paradisi prælibat?

VERBA hæc in superioribus partim exposuimus, dum sponsæ ascensum sub fumi expendebamus imagine. Ibi quippe res mira fuit,

spo-

sponsam carneum pondus gestantem non cadere, sed erectam gradi, & quod mirabilius est, ascendere per loca iniqua, & rupibus in deserto rigentia, & hoc planè modo filiæ Hierusalem, hoc est animæ Ecclesiæ filiæ sponsam ecstasi raptã, sublimemque suspicientes mirantur, & rogant, quænam ea sit, quæ pondere depositò, se in altum attollit. Sed quod, præter illa, quæ supra protulimus, nouum hic, & inauditum videtur, est id, quod apponitur, delicijs affluens. Enimuerò deserta loca solis ardore perusta, vel imbrium inclementia decocta, nec humana sedulitate culta, vel spineta, vel id genus frutices inutiles, noxiosue proferunt, fructus autem mites, aut flores odore commendabiles nesciunt. Tantum abest, vt delicioſa, & amœna loca vocari possint, ex quibus, quis tanquam ex paradiso deliciarum, quasi delicijs affluens queat ascendere? Hoc ergo planè

Filiæ Hierusalem, hoc est, animæ Ecclesiæ filiæ.

mirum accidit, sponsam, non ex paradiso, sed ab exilio, horrente loco ascendere, & delicijs affluere. Profectò, si in spiritalem nos mundum insinuemus, & ea, quæ in deserto nostro, à viris perfectis sunt gesta, libremus, fiet nobis perspicuum, quonam pacto, quis in eremo agens delicijs possit affluere. Etenim cum è paradiso deliciarum Deus hominem arcuit, & in terram spinis ac tribulis horrentem illum proscripsit, nullus homini superfuit hortus amœnus, è quo & fructus suaues carpere, & flores odoratos legere, ac delicijs proinde abundare valeret. Sed clemẽtissimus Deus genus nostrum miseratus, licet nollet eiectum semel hominem, in paradisum reuocare terrestrem, illi benignius prospexit, secundum condens in huius vitæ deserto paradisum tantò fœliciorem, quantò pretiosiorem. Hæc est Ecclesia, quam Deus ipse plantauit, & pœnam scelerum no-

Ecclesia est paradisus seu hortus amœnissimus om-

stro-

strorum subiens in sudore vultus sui, non qualicumq; sed sanguineo illam coluit, vt terra, quæ, cum fructuosa cõdita fuisset, versa est in salsuginem à malitia inhabitantium in ea, nouo isto subacta cultu fieret denuò fructuosa, & deserti facies in delicioſum paradiſum verteretur. Ex hoc horto amœniſſimo, & poma, & flores odoratiſſimi virtutum legũtur, ab ijs, qui aſcendunt ex deſerto, hoc eſt, ex terra maledicta, quæ non eſt Eccleſiæ conciliata, in Eccleſiam tanquam in locum excelſum conſcendunt, vel ex eremo peccatorum, vbi non eſt charitatis habitatio, ſed ſpinarum & tribulorum horror, in charitatis altitudinẽ ſe attollunt, vbi tunc delicijs affluere dicuntur, cum & ſacramentorũ frequentatione, & exercitatione virtutum, purgata cõſcientia, & ſpe gloriæ altè concepta, futuræ fœlicitatis prælibant ſuauitatem præſentiũtq; delicias. Porrò harũ deliciarũ

nium florũ & virtutum abundantiſſimus.

par-

partem non modicam gustauere, nõ antiqui modo heroes, verum & nostra ætate plures animæ sanctitate insignes. quas Deus ex deserto velut ascendentes, futuræ salutis præsagijs, cœlesti sæpè voluptate perfudit, vt meritò dici possent delicijs affluere. Sic ergo filiæ Hierusalem loqui credendæ sunt. Quæ est ista, sublimis adeò, quæ ex eremo culpæ, per quam errauerat in charitatis altitudinem, quasi carnis pondere non premeretur, ascendit, & ob puritatem conscientiæ, tanquã secura de præmio, gaudia æternitatis cõcipit, & paradisi delicijs affluit? Pergunt autem (nec enim interrogationem absoluere) in ipsa interrogatione admirationis plena, progressionis, & ascensus sponsæ causam explicantes. Sic enim aiunt.

Innixa super dilectum suum?

Quàm magna est ista, cui Deus homo

suppo-

suppoſuit ſe? vt innitens ſponſo in ardua conſcenderet, quo aſcendere nequiret, ſi tantum ſua vi niteretur.

FRVSTRA niteretur, niſi dilecto inniteretur. Non enim vires ſpõſæ ſuo genere imbecilles, niſi à ſpõſo fultæ per loca diſerti fœliciter graderentur. Hæc igitur eſt aſcenſus cauſa, ſponſam ſcilicet innixam eſſe ſuper dilectum ſuum, Filiæ verò Hieruſalem ſponſum admirantur onuſtum; terga videlicet Dei vile geſtare onus, carneum, ſuaque generatione corruptum, planè mirum eſt. Verum ex hoc ipſo liquet, quonam pacto grauis hæc ſpõſæ in peccato conceptę moles, in altum ſe attollat, & ſurgat; quia nimirum geſtat illam ſponſus, qui ſymbolicè palma nuncupatur, oneri non cedens, ſed in altum ſubleuans. Danda ergo eſt opera, vt natura hæc noſtra grauis innitatur ſponſo, vt ſupra naturam feramur, nec nitamur in caſſum

Sponſus ſymbolicè palma nũcupatur, oneri non cedens, ſed in altum ſubleuans.

cassum. Porrò Philosophi illi, qui mira de morib. tradiderũt, & q̃ pluris est, seruare studuerunt, perdiderunt operam, nec de deserto ascenderunt, nec verò vllis affluxere delicijs, quia licet naturæ viribus nixi sunt, super sponsum tamen (ob suã culpam) non sunt innixi. Quantum autem referat sponso inniti nostros conatus, explicari nequit. Vno tamen exemplo, id tantillum aperiamus. Sanè cum quis de turpissimis anteactæ vitæ sceleribus dolorem concipit, tametsi culpam, ob suam turpitudinem rationi aduersam execretur, & postea cauere decernat, intra doloris imperfecti, cui nomen est attritio, metas. non ascẽdit ex deserto culpæ, vbi non habitat Deus, si dolor is seorsum spectetur, quantumuis à diuino spiritu nõ inhabitante, sed impellente is ducat originem. At verò si vt innititur super spõsum, hoc est, super sacramẽtũ ab ipso institutũ expendatur, mi-

Dolor imperfectus vocatur attritio.

rum

rum dictu est, quantum ascendat. Ascendit sanè ad diuinæ naturæ cõsortium, quod per gratiam fit, quã certè altitudinem oculis consequi nõ valemus. Iam autẽ, postquã quis eo modo diuinã est gratiã adeptus, quam fœliciter altiora indies conscendat, explicatu est difficillimum. Enimuerò plures actus, qui naturæ metas minimè transcenderent, dũtñ à iusto quopiam exercentur, qui se suaq; vniuersa direxit in Deum spõsi numine afflatus, adeò se attollunt, vt noua pariãt charitatis lucra, nouosq; in corde ascensus efficiant. Demum hominum actus singulare quiddam, & excelsum maximè nacti sunt, eo quod sponsus, eos actus in nobis operatur, & merito, ac satisfactione sua vt Deus homo afficit, ex quo apud æternũ Patrẽ nobiliores ac pretiosiores apparent, quã si ex mera ipsius gratia, & non etiã ex incarnati verbi redemptorisq; iustitia ad nos permanante prodirent.

Ascen-

Conatus iustorum sanguine Christi perfusi ascendere dicuntur.

Ascendunt igitur hoc pacto iustorum conatus Christi sanguine, quasi perfusi, & à sponso ipso se in eos insinuante animati, ex quo planè perspicimus rectè sponsam hæc omnia callentem ascendere didicisse, rectèque filias Hierusalem id exploraſſe, dum aiunt, [innixa super dilectum suum.] Et has quidē laudes admiratione cumulatas filiæ Ecclesiæ extulerunt, sponsam ecstasi raptam velut sponso innixam contuentes. Quas licet illa nō perceperit, percepit tamen sponsus, & quia nouit illam prædicationis legatione functuram, vbi animos etiam candidos cenodoxia vexat, ne alijs similibus efferatur laudibus, quas auditura est, medici more prudentissimi antidoto illam communit, & à gloriæ vanæ corruptione præseruat aiens.

SPONSVS.

Sub arbore malo suscitaui te.

Cre-

Creuisti valde, caue ne efferaris animo, ô sponsa. Recordare quidquid habes, habere te ideo, quia sub cruce te mortuam suscitaui, vnde cœpisti viuere, ac augescere.

MEMINERIS, ô sponsa, te non natura, sed dono, fuisse à me à culpæ more suscitatam sub ligno crucis, ac proinde, temetipsam agnoscens, mihi gratiam habe, te verò ipsam deprime, & cum laudata fueris, obrepentem gloriam excute, mihique illam iure meo redde. Sic ergo verba hæc explanãda sunt, vt malus arbor crucis intelligatur significare lignum. Quod vt pateat, verba sunt expendenda. Editio sanè nostra mali nomine sine discrimine vtitur. Hoc verò nomen quã latissimè patet, vt vulgo compertum est, ac proinde quodcumque lignum arborum mala gignentium sub eo posset intelligi. In Hebræo autem (vt eius sermonis periti tradunt) pro his duabus vocibus, ar-

Malus arbor crucis lignum significat.

bore malo, habetur, punica, malus videlicet punica, ita vt sine contradictione vlla, quin verò sine vlla sẽsus diuersitate, quod editio nostra generatim enunciat, mali nomine, id distinctè in quodam mali genere, arbore nempe punica, in Hebræo legatur. Cur autem crux malus punica vocetur, non ex corporeo ligno, sed ex arcano eius sensu eliciẽdum est. Enimuerò fructus punicæ mali, vt acini pinguescant; proprio dirumpitur ingenio, & sibi non parcit, vt illi crescant, & proficiant, quamobrem à natura singulari nobilitate coronatus videtur, quasi boni regis reddat imaginem, qui, vt subditis consulat & prosit, quos tanquam filios in medio habere debet corde conceptos, sibi non parcit, sed præ sollicitudine dehiscit, & velut abrumpitur. Sic sanè sponsus cum pendebat è cruce, punici mali ex arbore pendentis, coronati, dirupti significabatur effigie. Tunc e-

Fructus punicę mali proprio dirumpitur ingenio.

nim

nim vt optimus Rex ſpinea corona redimitus, toto corpore laceratus, ruptuſque patebat; vt nos, qui tanquam punici mali grana in eius viſceribus claudebamur, creſceremus, ac ita ſibi non pepercit, vt nobis parceret. Se igitur dirumpens ſuſcitauit nos ſub arbore crucis. Dum verò ait non in arbore, ſed ſub arbore, alludere videtur ad oſſa Adæ in monte Caluariæ ſepulti, vt ibi totius poſteritatis gerẽs perſonam, & ſub crucis ligno iacens, excurrentem ſponſi ſanguinem hauriret, & ſic ſub arbore ſuſcitaretur. Quod autẽ ſequitur, plures ſuggerit arcanus ſenſus, quos breui ſpõſus innuit.

Christus rex ſpinea corona redimitus.

Ibi corrupta eſt marer tua.
Ibi violata eſt genitrix tua.

Sub eadem arbore, vbi ſuſcitauit te, Synagoga, cuius tu filia fuiſti, dum me rurſũ crucifigẽdo peccaſti, turpi corruptae eſt adulterio. Receſſit n. à toro Dei, qui duxerat eã.

SVBINDICAT his verbis ſpõſus ſtatum culpæ in quo ſponſa iacuit,

semperq, iacuisset, nisi diuino munere sub arbore punica fuisset suscitata. Quod ideo sponsus efficit, vt sponsæ omnem gloriæ inanis motum amputet, proprij generis recordatione. Quantamcumque enim diuinæ gratiæ vim adepta fuerit, si suam mente repetat progeniē, non efferetur animo, cum gratis damnationi erepta fuerit. Vt verò hic loquēdi modus arcanus teneatur, ponendum est, in ipsis peccatis quandam cerni generationis seriem, qua scelerati maiores, filios sibi generant exempli prauitate similes. Inter vniuersos autem peccatores, synagoga Iudæorum, quæ sponso necem acerbissimam est machinata principatum obtinuit, adeò, vt malignitate sua, & importuna flagitatione spōsum morti deuouens, potius ipsa, quam milites, illum crucifixisse dicatur. Ex quo effectum est, vt in ea crucifixione princeps; & mater extiterit: vnde

Synagoga Iudæorum corrupta mater spōsum crucifixit.

qui-

quicumque sponsum spiritaliter crucifigunt, ab ea genus infame ducant. Certum est autem, eos qui semel illuminati sunt, postmodumq; prolapsi, rursum sponsum crucifigere, & ostentui habere, vt Paulus ad Hebræos testis locupletissimus est. Quapropter ad eam synagogam crucifigentium principem ac matrem, vt venenata posteritas, ad virulentam stirpem pertineant, prorsus oportet. Et cum spõsa, quæ peccauit, in eo fuerit infausto numero, iure synagogam, quam imitata est, matrem habuisse perhibetur. Hæc verò sceleſta mater ibi corrupta, violataque sensu repetito asseritur, ibi inquam, hoc est, in arbore illa mystica, vnde enim vitã legere debuisset in ligno pendentem, inde corruptelam traxit & mortẽ, dum sponsum Messiam negauit, & execrata est. Pulchrè autem dicitur ibi synagoga violata, quia coniugalem tunc fidem temerauit, & quasi à cõ-

Synagoga violata, quia adultera fuit.

iugis sui Dei toro, alienos & adulteros amatores quæsitura recessit. Ideo quippè violata ibi fuit, quia adulterа. Sic ergo sponsus loqui credendus est. Memento tui generis (ô sponsa) quæ ad prælationem vocaris, vbi propter honorem, moderatione tibi opus erit. Etsi enim grandis euaseris, humillima tamen fuisti, rursumque me affixisti cruci, & perinde violata es in arbore, sub qua te suscitaui, matris tuæ synagogæ imitatione filia. Sicut enim illa ibi corrupta, ita & tu ibi violata fuisti, vnde caput efferre nunquam valuisses, nisi te commiseratus essem. Discе igitur, quanam ratione irrumpentes vanæ gloriæ motus reprimere debeas, quo nihil tibi in legatione tua poterit esse fructuosius. Hæc prima est interpretatio.

II. interpretatio.

Secunda non minus arcana eruitur ex septuaginta Interpretum versione, quæ sic habet. Illic cum dolore parturiuit te mater tua. Illic

cum

cum dolore parturiuit te, quæ peperit te. Cuius versionis, vt sensum percipiamus, meminisse opus est, quod supra ostendimus, sponso & nomen, & ingenium matris potissimum congruere. Sic enim vberibus præditus pingitur, vt matris erga infantulum affectum se habere doceat, ita vt sponsę non minus mater, quam sponsus, & frater ille appellandus sit. Poterat autem matris assumens imaginem filios sine dolore parere, sicut illum peperit mater sua. Verum, præamoris magnitudine, dolores partus acerbissimos exanthlare maluit, vt nihil intentatum relinqueret, q̃ pro nobis tolerare posset; & demum partus doloribus circumseptus obijt, vt nos in lucem viuentes ederet, Rachel partũ imitatus. Filios ergo doloris sui nos potest appellare, si quidẽ, vt nos pareret, parturiuit, & doluit. Qua in re diuitias suæ charitatis luculenter ostẽdit; cũ n. ipse maledictionis esset

Sponso & nomen & ingenium matris cõgruit.

incapax (vt cætera fileamus) in hoc etiam factus est pro nobis maledictum, quia tulit eam maledictionis sententiam, quæ cecidit super Euã, in dolore paries filios tuos. Subijt nempe eam sententiam, parturiens in cruce, vt nos pareret. Quod cum energia illa verba repetita commõstrant. Illic cum dolore parturiuit te mater tua. Illic cum dolore parturiuit te, quę peperit te. Hanc ergo parturientis imaginem sponsæ memoriæ ille cupit insculpere, quæ ad eundem scopum cum primæ interpretationis sensu dirigitur. Confert enim plurimum, ne sponsa proprijs meritis tumeat, suæ matris partum, doloresq; recordari. Sudore quippe, & agone sponsi, illa in eam dignitatem promota est, non ex suæ operibus iustitiæ. Etsi enim operata fuerit; at vt ea opera prodessent ad iustitiam, suæ matris cum dolore partus effecit. Hæc interpretatio, præterquam quod ad deprimen-

dum

dum animum idonea est, plurimam habet ad acuendum amorem energiam. Si enim, quis dolores Christi acerrimos, quos nostræ salutis gratia pertulit, rectè perpendat, vix ab eo arduum quippiam reposcetur, quod is negare possit. Propterea sponsus ex ea sententia velut opportunitatem nactus, sic sponsam monet.

Pone me vt signaculum super cor tuum.

In nobilissimo tui loco, corde nempe, quod semper contueris similitudinem mei gere, vt illa semper oculis tuis obuersetur.

PROFECTO mos est tam latè quam natura patens, vt rerum magni ponderis ex animis nostris memoriam discedere non passuri, naturæ imbecillitati ad obliuionem procliuis, arte succurramus, mnimosyno aliquo, vel id genus opere alio ad memoriam augendam op-

portuno. Sic maiorum effigies in aulis ſtatui ſolent, vt oculis obiectæ, præclara illorum facinora quaſi ſuggerant. Sicut autem ſceleſti animi toti extra ſe feruntur, & ad aliorum facta exploranda, & criminanda aciem mentis intendunt, ſui cordis immemores, ita è contrario iuſti, ne videant vanitatem, oculos auertentes, cor ſuum perpetim cõtemplãtur, vt nihil ibi præter honeſtum admittant, motuſque omnes degeneres arceant. Propter hoc igitur ſponſus monet, vt non alibi, non in obſcuro, vel ignoto, ſed in nobiliſſimo omnium loco ſponſa illum ſtatuat, vt in eum mentis aciem ſemper intendat.

Pſalm. 118.

II. Expoſitio.

Sigillum epiſtolæ ſecreta cuſtodit.

Secundo modo exponi poſſunt hæc verba, obſeruata litteras obſignandi conſuetudine huic loco maximè conſentanea. Porrò ſigillũ epiſtolæ impreſſum, & ſecreta cuſtodit, & ne quis, niſi is, ad quẽ mittitur, reſignet illam, efficit. Cor aũt

ſpon-

ſponſæ epiſtola quædam eſt, multis deſideriorum exarata lineis, ad ſpõſum, quamdiu non clare cernitur, miſſa, nam in patria deſideria fruitione ſuccedente ceſſabunt. Vt autem ea deſideria in exilio alantur, & tuto in ea carnea perferantur epiſtola, quam nemo, regis conſpecto ſigillo, vel reſignare, vel remorari audeat, iubet ſponſus, ſe tanquam ſignaculum, ſeu ſigillum illi imprimi, quo nihil optabilius eſſe poteſt. Profectò, donec eum ſponſa ſine caligine cernat, ſigillo vti debet, in quo illius quaſi ſculpta conſpiciatur imago. Tunc nec indigebit epiſtola, nec huiuſcemodi ſigillo. Sed prius hæc via carpenda eſt.

Cor ſponſę Epiſtola eſt.

Tertio verba ſic explanari poſſunt, vt ex vulgato cudendi numiſmatis more metaphora petatur. Enimuerò argẽti, auriue maſſulæ, etiã in orbes cõformatæ, donec eis regia imprimãtur inſignia, nec tanti fiũt, nec ad vulgates permutationes,

III. Explicatio.

em-

emptioneſque admittuntur. Inſignia verò regis eas pretioſiores efficiunt, adeo vt quaſi numina colãtur, quod nequitia ſua orbis ſatis callet vniuerſus. Hanc ergo cudendi artem ſponſus reſpexiſſe videtur, cum ait. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, ac ſi planius diceret. Fac, ſponſa, vt cordis tui, hoc eſt tuæ voluntatis me amantis actus, meo inſigni non careant. Etſi enim argentea, aureaue eſſet eorum actuũ natura, quaſi virtutibus cognata moralibus, at metallum eſt non cuſum, vnde niſi cudatur, meique ſignaculi impreſſione notetur, parui fiet, & ad æternitatis emptionem nihil omnino proderit. Sanè ſponſa ſignaculum hoc cordi ſuo inſculpit cum voluntatis actus, vnde meriti vis emanat, amoris ſponſi impreſſione conſignat, dum eos ad amoris eiuſdem ſcopũ dirigit. Quos vbi cernit ęternus Pater filij ſui charactere notatos, vt pretium gloriæ

capit

capit sempiternæ. Hic verò annotandum est, sponsum profecturæ ad prædicationem sponsæ leges ferre Zelotypiæ, vt obsignata regio velut annulo incedat, ne quis absentis sponsi torum audeat violare, quod post pauca clariùs perspicietur.

Non est autem silentio tumulandum, quod ad orationis spectat cõnexionem. Certè sicut à corde motus incipit, cæteraſq; corporis partes ciet, ita à voluntate, quæ arcano sermone cor appellatur vis erumpit cæterarum animæ partium motrix. Quapropter cum sponsus voluntatem suo sigillo præcepisset obsignari, æquum erat, quin & necessarium, vt in cæteris partibus, & operibus per brachia significatis sui etiam sigilli póscceret impressionem. Ideo ait.

Motus à corde incipit.

Vt signaculum super brachium tuum.

Charactere meo tua opera signa, vt mei præferant imaginem.

Sanè

SANE ex candenti ferro scintillæ dissultant, nec enim ab ea materia, quæ calore igni proximo imbuta est, aliud quippiam exultare posset. Cor sponsæ igne diuino concepto canduit, & sponsi signaculum altè concepit, quid ergo ab eo, nisi igneum, nisi obsignatum prodire poterit? Profectò æris signandi, seu cudendi officina est voluntas, in qua regius est character amoris, quo signantur opera, quæ ab sponsa fiunt vniuersa brachio vulgò notata. Nemini dubium accidit, quin brachio, quod ad plurimas vitæ functiones cum vtiles, tum necessarias, vt potissimum organum natura condidit, opera significentur figurato sermone. Sponsum ergo, quasi characterem infigit brachio, cum in suis operibus sponsa illius gerit imaginem. Trifariam vero brachium signari potest, quemadmodum & cor, ac proinde tres, quas de cordis obsignatione produximus

Æris cudēdi officina est voluntas.

Brachia opera signant.

mus interpretationes, brachio seruata ꝓportione accómodari posſũt

Succurrit autem quarta, quæ his, sicut & proximè enarratis verbis valet aptari, quæ ex similitudine stigmatis, quod mancipijs solet inuri, est eruenda. Nimirum, cum sponsus sic sponsam hortatur. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuũ, idem agit, ac si apertè diceret. Esto mihi tanquam mancipium, stigmatisue seruus, qui, quocumque diuertat, seruum se negare nequit, quem prodit adustio. Quamuis sileat, nec seruile quippiam faciat, in facie ipsa, dignissima totius corporis parte, seruitutis gestat inscriptum, seu signaculum. Sic tu, quocumque digressa fueris, mei præ te fer similitudinem, meiq; amoris adustionem, quæ, licet à prędicatione interquiescas, nec externè mihi tunc inseruire videaris, ipsa tamen ad seruitutem expeditione te prodat ipsam.

Hoc

Hoc planè modo Christi velut stigmate vsti viri Apostolici, vt auersos reducant ad prudentiam iustorum, ad prædicandum legati, externo habitu, incessu, sermone, sponsi præferunt seruitutem, quæ, licet ipsi interdum fileant opportunitatem captantes, se publicat ipsam. Est enim quasi stigma, quod celare nec possunt, nec volunt, quasi eo nobilissimo seruitutis genere glorientur. Subditurus verò rationem huius notæ, quam sponsæ cordi, brachioque sponsus cupit hærere, modo dilectionis vim adornat aperire. Sic enim ait.

Quia fortis vt mors dilectio.

Præcipio, vt tanquam serua characterem geras meum, vt mea sis tota, nam amor, qui vt mors nemini parcit, me adigit, vt præzelotypia, te, vt à nullo alio auertaris, obsignem.

ROGARE sponsa potuisset, quænam sponsum causa impelleret,

ad huius signaculi iniungendam impressionem, cui ille sapienter occurrit, aiens. Quia fortis vt mors dilectio. Sanè dilectio morte fortior est, siquidem mors vix sponsum inter mortales agentem, & passionis acerbitate exhaustum impetere ausa fuit. Et cum tandem illum adorta est, & deglutiuit, sentiens, se illum ferre, ac retinere non posse, illum euomuit, vitæque restituit; at dilectio Deum, non tectum mortalitate, non laboribus in extranea regione fessum, sed in throno gloriæ, ac immortalitatis sedentem inuasit, adeoque cum illo animosè conflixit, vt ibi eum sauciarit, & de diuinitate triumphum reuexerit. Firma autem victoria fuit, nullo vnquã tempore, sed nec æternitate labefactanda; ac propterea amor, vt glorioſus victor, superato Deo leges dixit, quas ille mortalis ex amoris effectus imperio ad vnguem subiturus esset. Qua quidem victoria ipse

Dilectio morte fortior est.

amor exultans ad æuum trophæa erexit sempiternum, vt qui de Deo, ac homine sit perpetuò triumphaturus. Hæc ergo ita se habent. Dilectio quippe morte fortior est. Verum nihil occurrebat, quo cum dilectio conferretur, quod inuictissimum amoris robur tam posset significanter exprimere. Reddit igitur sponsus rationem, quæ illum adegit ad signaculi impressionem sponsæ persuadendam, aiens. Quia fortis vt mors dilectio, ac si planiùs dixisset: Nequaquam tibi (ô sponsa) mirum accidat, quod te tãquam seruam meo charactere signatam habere velim; quia mihi dilectio erga te mea hoc iubet, cui obsistere non valeo, cum sit fortis vt mors. Spiritus Zelotypiæ ab amore genitus torquet me, qui mortem æquat fortitudine. Rationem igitur expetiti signaculi, ab ea causa reddere sponsus credendus est. Post autem, quanam ratione in eo Zelotypia es-

se cre-

se credatur erga animam sibi gratã, explicabitur. Nunc autem, quęnam sit ea dilectionis cum morte similitudo, sedulo inuestigare oportebit. Et primum quidem iuxta vulgatã mortis ferociam illa verba sic possunt enarrari. Fortis vt mors dilectio, id est, Quemadmodum mortis vim nemo, tametsi diues, robustus, nobilis, sapiens, vel vitare, vel retardare potest, nec enim prece, pretio, vel arte vlla lenitur, sicut quidam cecinit.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obseruant, quem statuere diem.

Ita dilectionis Zelotypia æstuantis vim, vel auertere, vel diminuere, quo minus eius imperio parendum sit, nemo valet. Non est exorabilis. Nequit vllo pacto eneruari, sed omnia corda mulcet, omnia colla subiugat, vt quidquid libet, & quo pacto, ac tempore libet, exequatur Quamobrem, cum spiritus

ille Zelotypiæ, qui est amor consortis impatiens, quempiam incessit, eo tanquam mancipio vtitur, nec illi parcit. Iubet temporis obseruare momenta,& occasiones,suspiciones concipere, & de forma, quam amat, sine requie cogitare, nec in his omnibus animo magis, quàm mors corpori ignoscit. Vt ergo sponsus se quasi Zelotypiæ stimulis punctum describeret, & vllum in sponsæ consuetudine riualem se pati nolle declararet, illam curauit obsignare, vt cæteris clausa esset, ipsique pateret soli, quod vt ex Zelotypia profectum innueret, in eadem subtexuit periodo, quia fortis vt mors dilectio. Talis ergo est erga sponsum dilectio cum Zelotypia, qualis erga mortales mors. Et hęc prima est interpretatio, ex vulgato mortis intellectu deprompta.

II. interpretatio. Mortis proprietas.

Secundò verba hæc enarrari possunt, expensa mortis proprietate,

amo-

amori quam similima. Porrò mors sua vi, animam à corpore, quod afflabat, & ciebat, seiungit, & alio trãsfert, nec aliam propriorem mortis definitionem nobis philosophi tradidere. Hoc autem modo dilectio, cum inualuit, & ad iustam magnitudinem pertinuit, animam à corpore, cui præest, diuertit, & separat, & in amatam pulchritudinem multis motibus transfert, vnde illud emanauit apophtegma. Anima præsentior est, vbi amat, quam vbi animat. Quod non tanquam sine basi assertum accipiendum est. Nam sine vlla hyperbole, quotidiano constat experimento, animam (cum amor efferbuit) se totam in rem amatam effundere, & corporis functiones vix illam explere. Ex quo proprium corpus velut anima destitutum, pallidum, & exangue languet, ac friget. Tunc certe dilectio, præ cordis effusione, ac anxietate Zelotypiæ, corpus conficit, & exte

Apophtegma.

nuat,& diu ſępeque moriturum necat, in quo genuina eſt cum morte ſimilitudo. Mors igitur & dilectio animam à corpore ſeparant, corpuſque exangue, pallidumque relinquunt. Sponſus ergo humano more loquēs hæc in ſeipſo delineauit, qui quamuis modo non patiatur eam corporis extenuationem, ſatis enim inter mortales tulit, habet tamen eam in ſponſam ſuæ animæ propenſionem, vt meritò extra ſe ferri dicatur, & quandam animæ à corpore ſuo metaphoricam ſeparationem immortali ſuæ gloriæ cōſonam pati putetur. Nam & ipſe vt Deus qui eſt omnium cauſa, aſſertore Dionyſio, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra ſeipſum fit. Verba autem Dionyſij iuxta verſionem Ioachimi Perionij, hęc ſunt. Audendum eſt etiam hoc pro veritate dicere, ipſum quoque rerum omnium authorem honeſto bonoque omnium amore ductum, pro

Verſio Ioachimi Perionij.

singulari bonitate amatoria extra se fieri, rerum omnium procuratione, & quasi bonitate charitateque & amore deliniri, atque ex statu, quo superat omnia, & ab omnibus secretus est, ad eum, quo in omnibus est, demittitur, ea vi, quæ essentiam superat, & omnia extra se rapit, nec interim ab eo discedit. Hæc ille. Quod autem in vtraque textus enarratione, ad dilectionis cum morte similitudinem ediserendam, assertum est, per verba subiuncta confirmatur.

Dura sicut infernus æmulatio.

Zelus seu amor consortis impatiens, à quo Deus Zelotes vel æmulus appellatur, durus & implacabilis est, acerbè animam vexans, sicut vermis in inferno conscientias damnatorum excruciat.

AEMVLATIO hoc in loco idē est, ac Zelus, seu Zelotypia, quæ sponso congruit, ac proinde idē erit cum dilectione, quam Zelus afficit,

Æmulatio id est, Zelus sponso congruit.

de qua proximè verba fecimus, eius cum morte similitudinem explicantes. Deo autem Zelotypiam hãc erga animam seu sponsam competere, facilè patet. Si Dionysij consulamus oraculum. Porrò is post ea verba, quæ ex ipso paulo ante retulimus, sic ait. Itaque ζηλωτὴν, id est, æmulum ipsum (Deum scilicet) ij, qui multum in diuinis exercitati sunt, appellant, vt magno, ac benigno, in ea, quæ sunt, amore præditum, excitantemque ad studium amatorij ipsius desiderij, atque vt singulari amore captũ seipsum præstantem. Hæc ille Zelotes igitur, hoc est, æmulus est ipse Deus, ex Dionysij sententia, ac proinde ipsius æmulatio erit Zelotypia. Verum, quod huc distulimus, an hæc æmulatio sponso competere queat, enucleandum est. Quod vt distinctius fiat, statuendum hic fuerit ex philosophia, vim vnamquamque quo intensius in aliquid tendit, om-

ne illud, quod est contrarium ei, quod assequi cupit, fortiùs repellere. Quamobrem, cum amor sit quidam motus in rem amatam, si fuerit ardēs, & intensus omnem id, quod à consecutione, ac fruitione boni, quod optat, eum remoratur, acriter auertit. Ex hoc autem efficitur, vt si nequeat impedimentum amoliri, spe sua frustratus langueat, & mœreat. Iuxta hæc igitur dogmata, æmulatio, seu dilectio intensa, seu etiam Zelotypia, quæ tria eundem hic sensum reddunt, si eo modo intelligatur, quo languorem, mœstitiamque illam, præsefert, qua vexatur amantis animus, eò quod quis amata re potiatur, quem à consortio nequit arcere, sponso nequit congruere, qua Deus est, congruit autem æmulatio, vt amorem feruentissimum, consortia aliorum amatorum sponsæ, sine animi ægritudine, aut mœrore, sed vi diuina repellentem notat, & iuxta hunc

Amor est motus in rem amatam.

sensum proprio epitheto in scriptura Deus insignitur, cum æmulus, seu Zelotes nuncupatur. Si verò sponsus, quà homo est, inspiciatur, in statu gloriæ, qua modo perfruitur, proportione seruata, iuxta id, quod de illo, vt est Deus, assertum est, Zelotes, aut æmulus appellari debet, cum feruentissimè amet, & riuales à sponsæ amore, sine animi anxietate, sua potestate reijciat. Verum si in eum, cum mortalis esset, oculos defigamus, cernemus eum cum anxietate, ac mœrore vltrò assumpto, Zelotypiam patientem. Conficiebat enim illum, & velut exedebat amoris æmulatio, sicut scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me. Nunc verò, postquam, quopacto sponsi Zelum, vel æmulationem concipere debemus, explanatum est, ad similitudinem cũ inferno exprimendam veniamus. Dura, inquit sponsus, sicut infernus æmulatio. Enimuerò, quicumq; in-

Psalm. 68.

ferni

ferni cruciatus cogitando percurrit, nihil non durum offendit. Sicut enim durũ est, quod ita natura constat, vt tactui nõ cedat, nec mulceatur, vt lapis, ferrum, & id genus alia, ita, siue ignis, siue horror, siue dolor cogitetur inferni, nec cedent, nec minuentur, nec æuo sempiterno placabuntur. Et hæc quidem si æmulationi conferantur, egregiè illi consentient, non enim magis æmulatio, quam ea omnis inferni duritia emollitur, postquam amor efferbuit. Sed profectò in inferno aliud quiddam est, quo damnati dirissimè sine vllis torquentur inducijs, quod cum æmulatione natiuam habet similitudinem. Hic est ille vermis conscientiam rodens, & lacerans, & velut inflicto verbere cædens, admissa piacula morsu sẽpiterno puniturus. Cũ hoc planè æmulatio similitudinẽ gerit natiuã. Quẽadmodũ n. is vermis dur⁹ & implacabilis animam rodit, laceratq; damnatã,

Duri designatio.

Vermis conscientiæ.

& tam-

& tametsi externa nõ expendamus supplicia, is vermis, velut ex eodem, quod rodit, ligno natus, eidem, à qua oritur, conscientiæ æternum morsum infigit, ita Zelotypia eandem dilectionem, à qua enascitur dirè vexat, & sine vlla requie sollicitam laniat, quod qui eam patiuntur, ingenuè fatentur. Vnde satis opportunè Deus huic maximo dolori remedium in veteri testamento prouidisse videtur, cum tam acri experimento virum spiritu Zelotypiæ vexatum in vxorem vti concesserit, vt aquam maledictam hauriẽti vxori femur inflato ventre computrescere, quasi esset viro intolerabile, aliter pati Zelotypiam, nisi præsentissimo illam Deus miraculo sedaret. Declaraturus igitur spõsus, quonam pacto sponsam amet, nequis vulgarem eum putaret amorem, qui cito vel paruo negotio posset extingui, hac vtitur inferni similitudine, qua notet, se ab æmu-

Num. 5.

Sponsi amor non est vulgaris.

latio-

latione semel correptum, quasi verme quodam, hoc est, importuna sollicitudine pro sponsa torqueri, nec vllas se inducias impetrare posse, vt mirum non sit, velle illum sponsam signaculo communire, vt spiritus Zelotypiæ tantillum quiescat, dum credit obsignatam semel sponsam à nemine violatum iri. Quæ vniuersa sic accipienda sunt, vt æmulatio sponsi modo non vexet illum, nec enim glorię illius consentire posset, sed vt eum tam potenter incesserit, ac sine vlla intermissione, de sponsa, quàm ardentissimè amat, cogitare iusserit, vt non magis illum hæc cogitatio, quam damnatos ille vermis deserat, quo, ad amoris magnitudinem propalandam, nihil aptius poterat excogitari. Hucvsque sponsus amorem suum erga spōsam maximum duabus expressit metaphoris, nunc eius actus, & quasi coruscationes ab eo emicantes pergit explicare.

Lam-

Lampades eius lampades ignis, atque flammarum.

Actus dilectionis sunt quasi faces ignea in aere elatæ, publicè splendentes, nec enim se celare valet amor.

Lampas facem significat.

LAMPAS facem significat, licet vulgò pro lychno pensili accipiatur. Hoc verò in loco lampades faces sunt, quales interdum in aere visuntur, quæ inter meteoricas impressiones recensentur, lampades & ipsæ nuncupatæ. Quod subindicasse videntur Septuaginta Interpretes, quorum versio sic habet.

Versio septuaginta interpretũ.

Volatilia eius volatilia ignis flammę eius. Illæ quippe igneæ faces, seu lampades, quæ in aere cernuntur, quædam videntur igneæ volucres, flammeaue volatilia. Est autem aperta actuum amoris significatio. Hi enim facis seu lampadis similitudinem præferunt, cum quasi flammæ ex charitatis habitu exul-

tant,

tant, & quasi ignea volatilia sese attollunt, & velut in aeream, immò cœlestem regionem elati mortalium obtutibus apparent. Verè hi actus in arcano sermone sunt volatilia pennata, quæ alis velut igneis in sublime feruntur, quibus nulla est cum terræ humilitate, ac grauitate cognatio. Sanè amoris diuini actibus illud apprimè quadrat.

Igneus est illis vigor, & cœlestis origo.

Quod adeò verum est, vt præterquam quod ipsi suo in altum, hoc est Deum, feruntur ingenio, si quippiam suis flammis corripuerint, etsi id terrenum sit, secum in sublime vehant, suo nimirum vigore ac ignea natura, dum cæteros hominis, alias humiles actus afficiunt, quasi flamma diuina correptos in altũ efferunt. Quod autẽ amoris actus ceu lampades sint ignis diuini, diuinarumque flammarum, & ex se notũ

est, &

est, & ex versione ad Hebraicum textum elaborata patet, vbi flammę Domini dicuntur. Enimuerò non ex alio igne, quam ex diuino, amoris actus erumpunt, ex quo illorum vis diuina est & terrena fastidiens. Sic ergo sponsus loqui putādus est. Fortis est dilectio vt mors, & eius zelotypia, vt infernus dura. Eius autem dilectionis actus sunt quasi faces igneæ, atque flammeæ, in aerē elatæ, quæ se nec volunt, nec possunt vllo modo celare. Amoris erga te mei, ô sponsa, exultantes faces meteoricas lampades publicè ardentes imitantur, quas proinde occulere nequeo, sed palam emitto, vt constet, tuo me amore flagrare. Et sicut ego publicè ago, & æmulū me profiteor, ita iubeo, vt & ipsa publicè signaculum geras, quo mea conquiescat zelotypia.

Hucusque verba illa, Fortis vt mors dilectio, cęteraque hactenus allata de sponsi dilectione, zeloty-

pia,

pia, & amoris actibus interpretati sumus. Possunt autem & sponsę non ineptè accommodari, vt postquam sponsus dixit, Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, cætera in eãdem sponsam, quam hortatur, congerat, ac si in hunc modum eloqueretur. Impero, vt meo signeris, ô sponsa, charactere, quod non debet alicui nimium difficile videri, nec fas est, me propterea nimis rigidum amatorem, durumque putari; quia id, quod præcipio, tuæ charitati nec durum est, nec insolens, immò verò adeò illi est iucundum, vt nullis incitata calcaribus, id sua sponte, ac propensione præstet. Tua videlicet in me dilectio fortis est, vt mors, quia tibi in ijs, quæ ad amoris significationem pertinent, minimè parcit, & animam tuam velut à tuo corpore diuulsam, in me transfert, in quo natiua dispicitur cum morte similitudo. Æmulatio, seu zelotypia,

Zelotypia dura est sicut infernus, tum quia nulla est ab ea redemptio.

pro me, tua, dura est sicut infernus, tum quia nulla est ab ea redemptio, non enim pretio vllo redimi à sua seruitute patitur animã tuã, quam semel cœpit; tum, quia sicut in inferno vermis ille æternus male conscios animos torquet, ita æmulatio te iugiter rodit, nec vllam à sollicitudine pro me requiem permittit. Lampades præterea, tuæ in mediectionis æmulatione sollicitæ, sunt ex genere ignis diuini, diuinarumque flammarum, sunt enim tuæ charitatis actus ex origine diuini, ignei, in altum elati, qui non magis se possunt occulere, quam meteoricæ lampades in aeris regione micantes. Si ergo dilectio animam tuam à te separat, in meque traduci; si æmulatio te iugi pro me sollicitudine angit; si charitatis actus se in publicum produnt, & emicant, necesse omninò fit, vt sponte tua, meam semper imaginem præferas; quamobrem suauissimè, ac humanissi-

nissimè tecum ago, dum tibi mei characteris impressionem, quam præ te feras, iniungo, quemadmodum vir cum vxore indulgentissimè agit, cum ei, quod impotenter cupit, imponit. Hæc, vt verba illa sponsæ accommodarentur, compendio diximus, quæ facilè dilatari valent, obseruata eorum verborum paulò antè allata interpretatione.

Hic autẽ annotare oportet, zelotypiam seu æmulationem, quapropter sponsum sponsa torquetur, esse longe aliam ab ea, quę sponsum incessit. Sponsus nimirum æmulus seu zelotes appellatur, quia & ardentissimè amat, & in sponsæ corde est consortis impatiens. Solus enim ipse integro eo corde potiri vult. E contrario verò sponsa æmula, seu zelotypa nũcupatur, cũ animos vniuersos in spõso cupit habere cõsortes. Propter hãc quippè æmulationẽ lãguet animꝰ, cũ à cõsortio isto cernit corda deficere, sicut scriptũ est,

Sponsus zelotes appellatur.

Psalm. 118. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuã,

Ibidem. & alibi in eundẽ sensum, Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Huius autem discriminis ea ratio est, quia zelotypus vel æmulus toto rei amatæ cupiens corde potiri, cernens, se id assequi nõ valere, si partem illius cordis aliquis sibi consors vendicet, dirè cruciatur, & contabescit. Hic autem languor, & mœror creaturas vexare potest, quarum corda varijs distracta studijs, tanto remissius quempiam diligunt, quantò acrius alium affectant. At diuinum cor, tam ardenter singulos amans, ac si in vnumquemque illorum dumtaxat, cæterorum oblitum, vim amoris effunderet, non potest amatores suos ita afficere, vt consortes in eo genere habere nolint. Quin verò ita illos incendit, vt quo vehemẽtiùs amant, eò plures cupiant habere consortes, quod strenuè curant,

& si res infœliciter cedat, animo deficiunt, ac extabescunt.

Nunc autem seu dilectio & æmulatio ad sponsum, seu etiam ad sponsam pertineant verba, quæ mox subduntur, sunt maximè idonea. Sic enim sponsus ait.

Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

Voluptates non vincent meam in te charitatem, quapropter tua quiescat pro me (o sponse) æmulatio.

AQVARVM nota sensuum voluptates exprimuntur, quę & ipsę aqueæ sunt, & ad arcanos sensus suggerendos accommodatæ. Sanè voluptates, quæ carnem magis afficiunt, ac demulcent, ad tactum, & gustum attinentes, aquæ finitima natura constant, & hæ tanquam vehementiores, cum sensuum agitur

Aquarum nota sensuum voluptates exprimuntur.

voluptatibus, principatum sibi vẽdicant, & nomen. In his verò arcẽdis illecebris diu, & sedulò enitendum est. Experimento quippe, & sanctorum patrum traditione constitutum est, viros etiam vitæ perfectione insignes, post longum cum hoste conflictum, & corporis emacerationem, vehemẽtissimos earũ, quibus tactus afficitur, illecebrarũ impetus esse perpessos. Vnde & post relatos de alijs passionibus triumphos, inter ipsas etiam victorias, voluptatum illarum ictibus pungebãtur, cuius certè rei Paulus testis est locupletissimus, cui in ipso mundi trophæo, quod erigebat, stimulus carnis erat infestissimus. Charitatis ardentissimæ experimentũ carnis impetum perferens, subibat. Enimuerò perfecta sui victoria potiri necesse est eum, qui hisce aquis non humectatur, sin minus mergitur. Sic igitur sponsa loqui credenda est. Hortaris, sponse, vt tuũ perferam si-

2. Corin. 12.

gnacu-

gnaculũ, vt obsignata incedens cõmunis tori iura non violem. totũq; cor tibi vni tradam. Conquiescat obsecro tua pro me æmulatio, si enim ob rem quampiã essẽ à te alienanda, maximè profectò ob eas voluptates, quæ vehementiores, & naturæ propriores sunt, quas vix animus carne obsęptus expuere, & odisse valet; at n. ego fortissimè certabo, & inuicto eas corde recutiam. Charitas pro me luctabitur. Et profecto earũ voluptatũ aquæ nõ poterũt extinguere charitatẽ, nec, tãetsi magno impetu instar fluminũ, quæ feruntur in pręceps, me adoriuntur, charitatem grandiorem poterunt obruere. Æquum autem omnino est, hanc meam sedulitatem, & fortitudinem æmulationi tuæ respondere. Iuxta interpretationem igitur hanc aquæ multæ, multæ sunt sensuũ voluptates, aquarũ flumina earũ voluptatũ est inundatio. In aquis frigiditas inest, quæ arcanè notat

Voluptatũ aquæ non possunt extinguere charitatẽ.

inductam spiritui frigiditatem charitatis colori inimicam. In fluminibus est præterea præceps ille vndarum decursus, secum plerumque arbores, lapidesque corripiens, qua voluptatum illarum impetus à dæmone interdum concitatus exprimitur, quo, qui arboris more radices egerant, & more lapidis stabiles ac firmi fuerant, quandoque rapiuntur, & in tartari voraginem præcipiti voluptatum cursu impelluntur, quales fuisse non paucos, & antiquæ historiæ & ætatis nostræ portenta, non sine luctu, commonstrant. Sponsa verò, & aquas placidè fluentes, clamque subintrantes, & flumina citata præuidens, foreait, vt filios Israelis imitata, medium mare sicco vestigio pertrãseat. Hæc prima est interpretatio.

II. interpretatio. Aquarum nomine labores intelliguntur.

Secunda verò aquarum nomine labores ac insectationes intelligit. Aquæ sanè orbi olim toti diluuio necem inuexerunt, vnde, quasi pro-

uer-

uerbiali modo, in calamitatis, ac interitus transiere significationem. Flumina verò, præter eam, quam habent, communem cum aqua significationem, rapido suo cursu, quo arbores radicitus exstirpant, aggeres oppositos perrumpunt, pōtesque firmissimos concutiunt, & interdum euertunt, malorum rabiem, quæ aduersus charitatem debacchatur, significant, à qua licet quatiatur, euerti tamen nequit stabilissima charitatis arx, qualem iam in sponsa, Deo architecto, constructam perspicimus. Hac porrò in arce tutus se Paulus iactabat, & de victoria ante conflictum exultans, illas voces efferebat. Quis nos separabit à charitate Christi. Vbi mox varia, eaque ingentia mala percenset, famem, angustiam, gladium, & alia id genus plura, à quibus se victum iri negat. Profectò sicut dixit, Certus sum, quia neque mors, neq; vita, neque angeli, neque principa-

Flumina malorum rabiem significant.

Rom. 8.

tus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, (& alia similia) poterunt nos separare à charitate Dei, ita dicere potuisset: Aquæ calamitatum multæ non poterunt, vel, vt alij legunt, non potuerunt futuram victoriam ob certitudinem præterito significantes extinguere meam charitatẽ, nec aquarũ flumina, hoc est malorũ impetus, facto velut agmine in me incusantiũ, charitatem obruent siue mergent. Videtur in hoc sermonis genere sponsa alludere ad vulgatã lampadũ significationem, in qua se prodit mira orationis concinnitas, Porrò sponsus charitatis ignem commendans, eius lampades, verè lampades ignis esse asseruit. Cui certè sententię vt sponsa concineret, loqui festinauit, aiens: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Sanè oleo lãpadis absumpto, cum iam elychiniũ, à quo alatur, oleum non habet, mox vt aquam attingit, crepitare incipit,

Sponsæ alluſio ad vulgatam lampadum. ſignificationem.

ſtatimq; lampas extinguitur. Vt ergo ſponſa doceret, charitatis lampadē adeo eſſe ſua natura igneā, & lucentē, vt tametſi oleo blandimē-torum, voluptatiſq; careat, nō propterea extinguenda ſit, ſignificantiſſimè ſic enunciauit, Aquæ multæ nō poterunt extinguere charitatē, ac ſi luculentius diceret. Tantū abeſt, vt charitatis lampas, anguſtiæ, & calamitatū, ac inſectationum aquis extinguatur, vt potius inde nutriatur, & luceat, q; enim lampadi penſili præſtat oleum, hoc charitati vexatio. Hæ ſunt aquæ, hæc flumina, à quibus extingui, vel obrui charitas nequit, quibus nutritur & lucet. Sic igitur ſponſa loquitur, Cōquieſcat, ô ſponſe, tua æmula dilectio; ego n. inter medios aquarū calamitatumue fluctus amabo te, & mea in te charitas in ipſis aquis, fluminibuſq; ardebit. Non extinguetur, aut obruetur; ſed caput ſemper efferens, igne ſuo lucebit, & aquis laborū tan-

quam

quam oleo pinguissimo nutrietur. Sed quia heroicæ virtutis hic actus est, ne fortè sibi sponsa oborto quopiam vanitatis motu blandiatur, & placeat, præsentissimo sponsus remedio adest, ratione quadã ad cor deprimendum, & in officio continendum efficacissima vtens. Ait enim.

SPONSVS.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Debes, o sponsa, pro dilectione magna polliceri, nec inde tibi placere, hoc enim omni amanti est ingenium, vt si vitam pro dilectione tradat, nihil se tradidisse putet.

NE putes, ô sponsa, magnũ quippiam à te præstari, quod signaculum meũ feras, quod aquis mul-

tis

tis charitatem erga me tuam non extinguendam pollicearis. Id enim nec mirum, nec nouum est. Immò verò hoc est vniuersim ciuilibet amanti ingenium, vt quantumuis magna præstet, nihil se præstare putet, ob amoris magnitudinem, quæ largitione non vincitur. Iuxta hunc ergo sensum sic sponsus loqui credendus est. Profectò, sponsa, tanta est vis amoris, vt amans quicumque si dederit omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil eam despiciat, hoc est, si domus suæ diuitias amoris causa erogarit, nihil se magnum præstitisse credat. Est ergo hic accuratè expendenda amoris ingenuitas, & liberalitas. Amor quippe muneribus modum præscribere nescit. Omnia sine exprobratione largitur, factus donando munificentior. Licet autem substantiæ nomine, rectè hic diuitiæ vulgato sensu intelligantur, rectius tamen videtur, vt vitam substantia

Ingenium amantium.

Amor muneribus modum præscribere nescit.

notet,

notet. Cætera quippe bona, honor, diuitiæ voluptates, vita ceu substãtia, hoc est, basi fundamentoue nituntur. Omnibus his illa charior, & pretiosior est, & ad amoris ostensionem opportunior. Substantia ergo seu basis domus hominis vita est, quam & animã sermo sacer appellat. Porro septuaginta Interpretes sic vertunt, si dederit vir omnem vitam suam in dilectione. Cum igitur homo hanc pro dilectione tradit, ardentissimè se ostendit amare, maiorem enim dilectionem nemo habet, quam vt animam seu vitam suã det pro amico. Hanc plurimi pro sponso tradidere, in quorum gestis, non tam ipsa traditio, quam ingenuus quidam excelsi animi affectus, quasi nihilũ vitã despiciens, animũ in admirationẽ rapit. Hoc ergo sensu sponsus sponsam monet, vt animaduertat, & exploret amoris naturam, quæ & vitam discrimini obijcit, & in eo heroico actu, sibi minimè,

Basis domus hominis est vita.

Ioan. 15.

mè satisfacit, aut blanditur; cum vitam quasi nihil contemnat. Certè qui rem nullius pretij cuipiam tradit, minimè se de largitione iactat; sic etiam, qui præamoris magnitudine, pretiosũ quippiam largitur à se tñ despectũ, nullũ iactãtię motum in eo genere patitur. Et hæc de prima horũ verborũ interpretatione.

II. interpretatio.

Altera magis arcana ex textu ipso eruitur in hunc modum. Enimuerò vox illa (homo) cum Salomon introducit in hoc loco sponsum loquentem, certum quendam hominẽ indicat, de quo Psaltes rogauit, Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea. Hic certè homo est sponsus ipse, ꝙ ex verbis mox in eo psalmo subiectis patet, Et ipse fũdauit eam altissimus. Sponsus ergo est homo ille altissimus, qui fundauit Sion domum suam, quæ est Ecclesia. Huius verò domus amplissimæ substãtia, seu opulẽtia, sacratissima est Eucharistia, in qua Deus suæ

Psalm. 86.

Sion est Ecclesia.

cha-

Eucharistia est tota substantia sponsi.

charitatis diuitias velut effudit. Non pars, sed tota substantia est, nec enim cætera domus istius suppellectilia illi coniuncta maius aut opulentius quippiam illa substantia reddunt. Sed omnia in illa velut absorbentur, & latent. Certè illa est amplissima hęreditas noui testamẽti, quam sponsus nobis tanquam suę substantiæ reliquit hæredibus, & in ea totius domus suæ opes inclusit, vt cum filius quispiam Eucharistiã suscipit, non partem, sed totum se credat accipere patrimonium, quo Deus nihil maius habet. Hoc ergo constituto, sic sponsus loqui censendus est, semetipsum sub tertia innuens persona. Ne censeas, ô spõsa, te singulare quippiam moliturã, si meo charactere tanquam serua noteris; maiora nimirum, sine iactãtia, præstat amor. Est sanè quidam homo altissimus, qui fundauit Ecclesiam, qui, præ amoris magnitudine, ac munificentia, si dederit

Homo altissimus est sponsus.

sub-

ſubſtantiam ipſius Eccleſiæ, quam fundauit, pro dilectione, hoc eſt, ſi ſemetipſum Euchariſtia celatum tibi tradiderit, ob eum, quo te proſequitur amorem, quaſi nihil deſpiciet id donum, hoc eſt, adeò liberaliter id largietur, ac ſi rem deſpectã donaret, quod cum ſit omnia tua ſeruitute longè maius, debes tu ſine vlla parcitate, te mihi totam, velut mancipium tradere, nec in ea re de te ipſa magnum quippiam ſuſpicari? Iuxta interpretationem hanc, ſponſus ratione quadam ad cor ſpõſæ permouendum efficaciſſima vtitur. Profectò, donum hoc panis Euchariſtici tam eximium eſt, vt quãuis Deus pro illo æternam à nobis ſeruitutem repoſceret, nec magnũ, nec durum videri deberet. Quod verò tanti huius doni rationem mirificè auget, largiẽtis eſt liberalitas, & ſublimis quidam eius doni modus, ſponſum videlicet ſemetipſum Euchariſtia celatum adeò liberali-

ter tradere, ac si rem despectã largiretur. Hoc est verè summum amoris ac munificentiæ fastigium, vt Deus, donum inter res vniuersas longè pretiosissimum, se nempè tradat, & præ sui amoris incredibili magnitudine, donum id despiciat, hoc est, quasi nihilum ducat. Despicere enim in hoc loco, nihil est aliud, quã facillimè, ac liberalissimè largiri, sine exprobatione donare, more illorum, qui res vilissimas dono dare solent.

III. Interpretatio.

Tertia horum verborum explanatio, ex septuaginta interpretum versione Hebraico textui consentiente promi potest. Sic enim habet, Si dederit vir omnem vitam suam in dilectione, despectione despicient eum, vbi, quod perfectis Dei amatoribus, dum pro dilectione fortissimè certant, euenire solet, apertè monstratur. Nimirùm, dum quis egregius Christi miles, postquàm cætera, quibus vtebatur,

Miles Christi mortem pro Charitate oppetit.

bona

bona cõtempſit, mortem pro charitate oppetit, vt qui cætera tradidit, vitam quoque ipſam pro dilectione profundat. à cæcis huius ſæculi filiis, tanquàm inſipiens, & bonis frui neſcient irridetur. Mundus enim ſibi perſuadere nequit, glorioſum eſſe, pro charitate occumbere, ac proinde, ſe veris ſapientibus credit ſapientiorem, & hoc faſtu, imitatores Chriſti deridet; quod ſapiens rectè nouit, qui mundi dilectores introducit nim ùm ſerò reſipiſcere tentantes, & ſic aientes. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij; loquuntur autem de iuſtis, qui ſubſtantiam domus ſuæ, pro dilectione dederunt, quos illi, tanquàm inſipienter agentes, in mortali vita deſpexêre. Opportunè autẽ iuxtà interpretationẽ hanc ſpõſus agit, dum ſponſam prædicationi incubiturã, & plurimas in ea functione, ꝓ Deiac ꝓximi dilectione, calamitates Sap. 5.

perlaturam hortatur. Præmiserat sponsa, suam charitatem malorum aquis non extinguendam, sed prælaturam fluctibus, vt autem omnia sibi euentura mala prospiceret, ac se ad pugnam prouidè compararet, sic eam monet. Fortiter agè, sponsa, præuide, quid tibi euenturũ sit. Tu decreuisti, omnem domus tuæ substantiam pro dilectione tradere, nec enim aliàs prædicationis officio idoneè fungereris. Moneo te, ne inde tibi apud homines gloriã pollicearis, homines enim præsentia & fluxa mundi bona solum admirantes, non credunt eos, qui pro charitate certant, esse gloria dignos, sed si quis egregius imitator mei dederit pro dilectione vitam, illi quasi fatuum despicient eum. Mentis ergò aciem in meam gloriã intende, & sceleſtorum hominum improperia perfer. Hæc vbi sponsa didicit, non resilit, non formidat, sed tantò ad gentem sibi creditam

Homines fluxa mundi bona solum admirantur.

ocyùs,

ocyus, & animosiùs tendit, quantò acrioribus se ibi malis nouit esse vexandam. Iam ergo susceptum munus certat implere, iam rogat, quonam pacto imbecilliores curare debeat. Sic quippe ait.

SPONSA.

Soror nostra paruula est, & vbera non habet.

Cerno, sponse, gratum tibi esse, vt operi manum admoueam, & substantiam domus meæ pro dilectione profundam. Eia igitur, iam aggredior. Video autem plebem hominum peccatorum meæ curæ commissam paruulam esse, quia proceram staturam iustitiæ amisit. Crescere autem lacte debet, sed prædicatores non habet, à quibus lac doctrinæ sugat.

CERNO, sponse diuine, gentis ad te conuocandæ mihi commissã esse prouinciam, & proinde illius

ſaluti iam proſpicere geſtio. Intueor illam tibi ac mihi carnis cognatione germanam, humi repentem, & illius ad iuſtam proceritatē promouendæ me inceſſit ſollicitudo. Hæc ergo ſponſa loquitur. Verborum autem ſenſum varium diſtinctiùs percepturi, ſtatuere debemus, ſponſam ſatis locupletem, ad eorum, qui in culpæ iacent humilitate, & eorum etiam, qui ſunt inde excitati, parùm tamen creuere, ſalutem legari, quod omnium eſt præpoſitorum munus. Hoc itaque obſeruato diſcrimine ſororē paruulā bifariam interpretari valemus, plebem videlicet peccatorum quibus parua ſanè ſtatura mentis eſt, & congregationem eorum, qui à culpa in iuſtitiæ ſtatum traducti, torpent, creſcereque detrectant, quorū & ſtatura ſatis proculdubiò breuis eſt. Primū tamē ſenſū modò perſequamur, ſecundū poſt expreſſuri.

Soror paruula eſt plebs peccatorum.

Aſſellat igitur ſponſa cōmunem

ſibi

sibi cum sponso sororem peccatorum hominum plebem ob commune naturæ consortium. Hanc verò ait esse paruulam, statura nempè humillimam. Porrò Deus condidit hominem rectũ, quasi statura procerũ, ac erectũ. Cum aũt is peccauit, ob ea mẽtis statura, & rectitudine cecidit, quapropter statura pusillus mansit, aut certè quasi statu prorsus carens, in culpæ humilitate iacuit. Quod quàm sit verum, & constans, satis profectò credimus, & miserè nimium experimur. Certè si mentis Adæ rectitudinem, spiritalem staturam, & iustitiæ proceritatem mente repetamus, &, in quam inde abyssum ille fuerit deturbatus, contemplemur, non paruam modò, verùm & planè minimam post culpam, hominis staturam esse deprehendemus. Tota autem Adæ posteritas pusilla, pinde effecta est, & ei arcano sẽsu apprimè quadrat, quod quidã dixit insipiẽs.

Deus hominem rectum, condidit, is peccans rectitudine cecidit.

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Et sanè, quamdiu ea posteritas sui protoparentis casum imitatur, in culpæ humilitate contabescens, paruula est. Nec inde se valet attollere, nisi ope ac miseratione diuina, vt in secundo Adam crescat, & procera fiat, sicut in primo decreuit, & & paruula effecta est. Secundus verò Adam, hoc est, sponsus, in quo viuimus, alimur, & crescimus, licet sine creaturarum ministerio, paruulam eam sororem suam posset ad suam reducere magnitudinem, decreuit tamen ob spiritalis mundi pulchritudinem, creaturarum obsequijs vti, vt per quasdam nobiliores, aliarum prouideret inopiæ, & miro quodam nexu res vniuersas conciliaret. Hinc fit, vt prædicatoribus, quos ipse ad id munus satis armauit, vtatur, ad ignaros erudiendos, & sibi per iustitiã inserendos. Vulgatissimum est autem, prædicato-

res

res vberibus Ecclesiæ insigniter notari; tument enim velut in Ecclesiæ, prægnantis fœminæ forma indutæ, pectore, & paruulis suæ doctrinæ lac dulce propinant, quod Paulus, dum paruulis se lac potum dedisse ait, & Petrus, dum quasi modo genitos infantes lac monet concupiscere, vtpote prædicatorum Principes, ac magistri satis apertè monstrarunt. His profectò vberibus indiget congregatio ea paruulorum, si ad iustitiam euocanda est. Sunt quippè regiones non paucæ prædicatorum expertes, in quibus belluarum more, ipsi etiam christiani pereunt, cum vix sit inter eos, qui Ecclesiasticæ illis doctrinæ tradat rudimenta. Paruuli sunt, nec habēt vbera, quo nihil funestius eis euenire potest. Hanc certè gentem incultam, & apostolico lacte destitutam, dum viri charitate perfecti cōtemplantur, cōmiseratione liquescunt, & ad eam curandam Dei æ-

Prædicatores vberib. Ecclesiæ notantur. 1. Corint. 3. & 9. 1. Pet. 2.

mulatione incenduntur, quod sponsa nunc facilè declarat, dum sic ait, plebs peccatorum statura mentis pusilla, naturæ communione soror nostra, ô sponse, paruula quidē est, & q; est commiseratione dignum, vbera, hoc est, prædicatores, seu magistros non habet, quamobrem ego ardentissimè cupio illi opitulari, & lacte meo illam alere, & ad staturam proceram erigere. Propterea, sponse, vt sciam, quid facto opus sit, rogo.

Quid faciemus sorori nostrę, in die quando alloquenda est.

Quid faciemus plebi huic, quando eius poscemus adiustitiam consensum;

PINGIT in hoc loco Spiritus sanctus plebem eorum, qui conuertendi sunt, quorum curam sponsa gerit, tanquam puellam quandam, de qua nuptui tradenda nūc agitur. Constat nimirum eas animas, quæ ad iustitiam euocantur, spiritale cū sponso matrimonium inire, cuius

Animæ quæ ad iustitiam euocantur, spiritale cū sponso ma-

con-

conciliatores, & internuntij sunt prædicatores, qui hortantur, & alliciunt animas, quas, quoties monent, alloqui ad expetendum nuptiarum consensum elegantissimè dicuntur. Nunc ergo sponsa huius coniugij electa conciliatrix, interrogat sic, Quid, obsecro, sponse, faciemus, qualem affectum imprimemus plebi illi sorori nostræ, in die, hoc est, eo tempore, quo ego ad consensum poscendum illam alloquutura sum? ac si dicat, quanam dexteritate vtemur, quando eius voluntatem, vt tibi acquiescat, & copuletur, pulsaturi sumus? Faciemus, inquit, sponsũ secum euntẽ, ac operãtẽ ostẽdẽs. Pro eo, q̃ editio nostra legit, in die, quãdo alloquẽda est Sep. Interp. sic verterũt. In die, qua vtiq; verbũ factũ fuerit in ea. Verbũ fieri in re quapiã est idẽ, ac impleri, & in hoc sẽsu sp̃osa rogat, quid faciẽdũ sit sorori suę, cũ sermo suus in illa effectũ sortit' fuerit. Vel certè rogat

trimonium ineunt.

ma-

magis arcanè, quid faciendum sorori sit, cum in ea fuerit factum Dei
Ioan. 1. verbum, hoc est, sponsus, qui conceptus in vtero virginis dicitur verbum caro factum; & in hunc modum, cum anima conuertitur, & ipsum concipit, spiritali modo dicitur in illa verbum fieri. Idem ergò agit, dum ait, In die, qua vtique verbum factum fuerit in ea, ac si diceret, in die, qua soror nostra in ipsa ad Deum conuersione verbum Dei conceperit. Huic verò interrogationi sic sponsus respondet.

SPONSVS.

Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.

Si se gerit fortiter, & murum firmitate imitatur, tradamus ei sacra eloquia, ex quibus, se tueri possit.

VT concinnitas huius responsionis fiat manifesta, constituen-

dum

dum est, spiritales cum sponso nuptias, de quibus hic habetur sermo, ad quandam pertinere coniunctionem, quam sub architectonica similitudine scriptura commendat. Paulus quippe, cũ asseruisset Christum esse angularem lapidem, sic addidit, In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Ædificatio nimirum in eo constructa, soror sponsæ proculdubio est, sponso nuptijs sociata. Quam cum constet paruulã esse, sicut paulo ante perspeximus, optimo sponsus remedio adest, dũ ait, se velle sororem construere, vt tanquam ædificatio in ipso constructa crescat in templum sanctum, nec sit vltra pusilla. Hoc vero quanam ratione fiat, modo indagandum est. Si murus est, (sponsus inquit) ædificemus super eum propugnacula argentea. Inter vniuersa ædificiorum genera, neminem latet, muros, quibus vrbes ambiun-

Ephes. 2. Act. 4. Christus lapis angularis.

tur,

Minorum firmitas.

tur: firmissimos esse solere, selecta, ad id opus, lapidum, calcis, & id genus cæterarum rerum opportuna materia, quæ architectorum peritia benè compacta, tametsi bellicis machinis quatiatur, inconcussa permaneat. Muris autem vrbium superexstrui solent ædificia quædam, è quibus glandes emittuntur, & tela, quibus hostes arcentur, quę proinde appellantur propugnacula, quasi quæ vrbem propugnent. Ex hac ergo aspectabili rerum corporearum effigie, in arcanum sensum introeundum est. Rogauerat sponsa, quid plebi conuertendorũ paruulæ faciendum esset, vt crescceret, & haberet iustam magnitudinem. Cui sponsus ita respondet. Si in die, quando cum ea loquendum est, quando videlict à te nuptiarum cõciliatrice de suo est interroganda consensu, murus est, hoc est, forti animo, & firmo instar muri consistit, vt pro fide nuptiarum, aduersus a-

Propugnacula vrbem propugnãt.

rietes,

rietes, & machinas belli vniuersas
secura permaneat, exstruamus su-
per eam sororem nostram, muni-
tiones ad eam fortitudinem tuen-
dam & ad crescendum opportunas,
non ex lapidibus, aut lignis, sed ex
argento purissimo. Sanè argentea
hæc munimenta, seu propugnacu-
la, quæ plebi conuersę, ac instar mu-
ri ærei stabilitæ superædificantur,
sunt eloquia Domini casta, & ex ar- Psalm. 11.
gento igne examinato conflata, quę
dum plebi in sponso fundatæ, & ve-
lut ex angulari lapide surgenti im-
ponuntur, fit illa vrbi muro inexpu-
gnabili sepræ, turribusq; argenteis
splendenti persimilis. Porrò in o- Turres in
pulentis vrbibus, turres interdum vrbibus.
construi solent, quarũ tecta nõ im-
bricibus, aut laterculis, sed æreis la-
minis conteguntur, quæ dũ solis ra-
dijs percussa micant, præterquã ꝙ
firmiora tectis alijs sunt, vrbi etiam
speciẽ addunt, & hostib. terrorẽ in-
cutiũt. Qua in re quoddã licet cer-

nere

nere vestigium eius arcanę structuræ, quam sponsus in ijs, qui sponsæ opera resipiscunt, architectari vult. Enimuerò dogmata sponsi sacris contenta scripturis, propter puritatem, splendorem, ac tinnitum argento quàm simillima sunt. Hæc dum plebi in Christo constructæ, tanquam muro lapide angulari subnixo, traduntur & vt illis vtatur, ad se propugnandam, commendantur, argentea propugnacula super murum ædificari pulchrè asseruntur. Quando nimirum gens illa murus fit, tunc in sponso fundatur. Quando verò benè fundata, recipit, vt custodiat, & pugnare pro sponso norit, sacræ scripturæ eloquia, tunc super eam turres argenteæ, seu propugnacula, Deo ædificante, consurgunt. Rectè autem eloquia spõsi appellantur propugnacula, hoc est, ædificia ad tuendam vrbem cõdita, quia videlicet, animæ sacrorum eloquiorum consultæ seipsis

altio-

altiores effectæ, sacrorum verborũ tela in hostes eiaculantur, & hostis vrbem inuadentis conatus auertũt, insidias explorant, & eludunt, vnde simul dum hostem arcent, semetipsas tuentur, atque propugnant. Tanta est sacræ scripturæ vis. Verum spõsum audiamus adhuc spõsæ respondentem.

Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Si aperit se mihi vocanti per te (o sponsa) coniungamus plures virtutes ceu tabulas cedri, & eas illi vt portam inseramus, vt clausa domus mea sit.

QVEMADMODVM illa verba, Si murus est, ita intelliguntur, id est, si fit murus, ita & hæc, si ostium est, intelligi debent, vt idem significent, ac si diceretur, si ostium fit. Gens autem, quæ iacet in culpa adeo tota est, quasi brumę frigore cõ-

stipata, secumque compressa, vt aditum Deo non reliquerit. Domus quædã sine ostio est. Cum verò prædicatorũ hortatu pulsata, Deo, patefacto corde, dehiscit, tũc fit ostiũ, per quod Deus libẽter ingreditur. Ostium autem hoc in loco appellatur spatiũ illud inter parastades, seu lateris vtriusq; lapides, quo arcanè notatur ille pator, quo anima velut hiat, vt illabatur sponsus. Debet autem ostium illud nulli nisi sponso patere, ac propterea sponsus ait, Compingamus illud tabulis cedrinis, hoc est, festinemus, & componamus portam ex cedri ligno imputribili, quam spatio illi inter parastades patẽti inseramus, nequis, præter me, per illud introeat. Fit quippe nonnunquam, vt peccatores concionatorum voce commoniti, Deo illabenti pateant, sed parum cauti, ostium alijs patere sinunt, vnde & per idem ingrediuntur impunè, propter quandam fu-

catam

catam cum sponso similitudinem, quam nesciũt illi internoscere. Sed & in ipso ingressu sponsi solerti cura opus est, ne quæpiam cum illo vanitas irrepat. Simul quippe cum bonis operibus, inde genita gloria inanis solet se insinuare. Propter hæc & alia similia, sponsus compingere, hoc est ex tabulis commissis concinnare, habilemque intercapedini vult ianuam fabre facere, vt iustam ipsius exæquet quantitatem, nec vllum præterea spiraculum supersit, quod portæ structura non obturetur. Ostium hoc adeo quadrans, & ad mensuram exactum, ex tabulis cedri cõmissis, sibiq; mutuò cõsertis spõsus cõpingit, atq; coarctat, cũ virtutes secũ mutuò cõsertas & cohærẽtes animæ sibi patẽti infundit, quibus illius quasi cauitas impletur, & obseratur, vt velut oppilato ostio hostes pedẽ inferre tẽtãtes eliminẽt atq; recutiat. Anima videlicet virtutib. vacua, quasi dom⁹ est derelicta

Anima virtutibus vacua, quasi domus derelicta, furibus peruia.

furibusque peruia, cum verò virtutum ostio clauditur, & velut obsignatur, ingresso semel Deo, furibus intercludit ingressum. Quod vt aptiùs notaretur, ostium, non quibuscumque, sed cedrinis tabulis, solidis, imputribilibusque compingitur, quæ mutuò iunctura fabrili arctatæ, nec aquam, nec ventum, nec verò qualitates noxias sinant permeare, quarum comparatione tabularum, virtutum cõsertio, proditur, atque coniunctio. Et quamuis vniuersis virtutibus cedri soliditas, & incorruptio quadret, illæ tamen huius ostij structura potius significari videntur, quæ vim quandam ad domus custodiam & claustrum, & ad fures arcendos habent opportuniorem, vt magnanimitas, constantia, fortitudo & aliæ similes. Sic ergo sponsus loqui credendus est. Quæris (ô sponsa) quid facto opus sit, cum plebs tibi commissa, & soror nostra de nuptiarum est in-

terro-

terroganda consensu. Tu verò sic habeto. Si soror nostra ostium est, hoc est, si mihi ingressuro ostij more patet, consensumque præbet tũc, dum illa velut aperta patet, coniungamus plures quasi cedri tabulas, virtutes, inquam, plures, solidas, incorruptas, sibi mutuò coarctatas, & illam spiritalem intercapedinem sponsæ claudamus, vt ego intus cũ ipsa morer, virtutesque compactæ, velut ostium oppilatum, fures insidiosos arceant. Huic expositioni annecti potest altera, quæ sit vt appendix. Sponsus nimirum murus est, vt cecinit Propheta de Ecclesia loquens, Ponetur in ea murus. Est etiam ostium, vt apertè ipse dixit sponsus, ego, inquit, sum ostium. Dum autem, quis ad Deum cõuertitur in imaginem sponsi, qui est murus & ostium, transformatur, murus enim fit firmitate, ostium reclusione cordis Deo patefacti. Dum ergo sponsus de sorore ait, si murus Esa. 26.

est, si ostium est, tantundem agit, ac si diceret, si in meam imaginem traducitur. Cui rectè quadrat argēteum ædificium dogmatum scripturæ, quibus se in Christum transformatam ab hoste eam imaginem delere tentante propugnet. Et tabularum cedri compactio, hoc est, virtutum connexio, quibus clausa & septa, velut ostio oppilato dæmones incursantes eliminet. Hactenus iuxta primum è duobus propositis sensum, sponsæ interrogationem, sponsique responsionem interpretati sumus. Nūc alterū psequamur.

II. interpretatio.

Soror paruula secundo sensu nūcupatur, earum animarum congregatio, quæ ad iustitiam euocata torpet, & sibi de salutis statu blandiens, satis se putat præstitisse, quia grauia scelera depulit, nec de progressu est anxia, nec de vlteriore puritate sollicita. Cui paruulæ nomenclatura egregiè competit cum ad mensurā Christi multiplicem vocata, spon-

te sit

tesit in eo genere paruula. Sponsa igitur, ad hanc enutriendam, & promouendam destinata, sic ait, soror nostra, nobis (ô sponse) & naturæ & gratiæ geramnitate coniuncta paruula est. Non enim fecit, quos potuisset, in charitate progressus. Vbera proinde non habet, nec enim vtrumque testamentum, quod est vber geminum, ab vno Dei pectore pendēs & eiusdē lactis, hoc est doctrinæ dulcorē cōtinēs, affectuosa notitia percipit, vnde non euasit prægnans, ac fœcunda, non indicat fœtum quemadmodū fœminę, quibus vbera lacte plena tumēt. Potuisset feliciter crescere, & iam multorū operū prole gaudere, sed sterilis videtur. Rogo ergo, Quid faciemus ei, eo die, quo illam ꝑ te alloquar, vt deserat eā paruitatē? Quo pacto me gerā, afflāte te, vt illā horter, & ad vlteriora promoueā? Notādū hic maximopere, singulari quadā ratione, spōsā, ꝑ ijs, qui in caritate torpescūt,

Vbera duo testamenta notant.

esse sollicitam, ac optare, quid erga eos agendum sit, probè nosse. Est nimirum status quidam periculosus valde, in animam, etsi iustam, torpor illapsus, obducitur enim quidam desidiæ callus, quædã menti offunditur caligo, ex qua euigilare difficillimum est. Quippè resides equi, qui verbere cæsi, & calcaribus incitati, carceribus non exiliunt, nullam de se mouent expectationẽ. Et quidem scelestissimi peccatores, suorum scelerum conscij expeditiores videntur ad sponsæ doctrinã capessendam, pœnæ saltem formidine perculsi, quàm illi mediocriter iusti, qui, cum de se non adeò humilia cogitent, nec inferni cruciatum, quo se putant immunes, vitare gestiunt, nec periculum impingendi, in quod illos torpor adigit, euadere constituunt. Ex anfractu autem redeuntes sponsum respondentem audiamus. Si murus, inquit, est, ædificemus super eum

pro-

propugnacula argentea, quod seruata proportione, iuxta primam interpretationem, huic sorori alteri accommodandum est. Idē quippe agit sponsus, ac si diceret, si fortis est ad pellendum torporem, & animum acuendum, si desidia non superatur, exstruamus super eam argentea propugnacula, scripturæ clara, & purgata dogmata, vt in altum crescat, sicut murus tunc crescere videtur, cum turres illi superædificantur. Porrò in Hebræo sic legitur. Ædificemus super eam palatium argenti, quod à sensu editionis nostræ satis videtur alienum. Propugnacula quippe ad pugnam construuntur, & qui ex eis tela iaculantur, anxij sunt, & hostium vrbem obsidentium telis obnoxij, at verò, palatium nullum habet cum bello commercium, sed totum est festiuum, & à vulnere immune. Verum hoc mysterio non vacat, ipsa enim argenti structura, hoc est di-

Propugnacula sunt scripturæ clara dogmata.

uinæ ſcripturæ notitia, quam Deus iuſtorum mentibus immittit, quaſi ſuper illorum verticem mente notatum, eam ædificans, & propugnaculum eſt, ex quo tota vrbs defenditur, & palatium eſt, ad requiem, & regis ſponſi habitationem mirificè ædificatum. Hæc ergo ſtructura togæ, militięq; comparata eſt, quam ſponſus ſuper animas iuſtorum, qui torpent, erigere cupit ſponſæ miniſterio. Vix enim dici poteſt, quantum ad iuſtitiæ progreſſum ſcripturæ peritia conferat. Cum nimirum ea verba ſint à ſpiritu Sancto dictata, diuinaque vi, & energia, vltra alia dogmata, inſigniter polleant, ad animos acuendos, & impellendos ſunt efficaciſſima. Quod verò demum ſponſus attexit, ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis, tantundem valet, ac ſi diceret, ſi dum à torpore ſuo ad vlteriorem iuſtitiam excitatur, & pulſatur, oſtij more panditur, & quaſi præ deſide-

Structurã togæ, militiæque cõparatam ſponſus ſuper animas iuſtorum ſponſæ miniſterio erigit.

rio de-

rio dehiscit, compingamus, hoc est, fulciamus, & cõponamus eam virtutibus sibi mutuò consertis, & velut fabri opere commissis, tabulas cedri solidas, incorruptas, mutuoq; coarctatas imitantibus, & sic erit domus clausa, atque munita. Sed quid his sponsa subdat, audire delectat.

SPONSA.

Ego murus: & vbera mea sicut turris.

Cupio sorori nostræ mei similitudinem imprimere, vt & murus sit, & vbera habeat. Ego enim murus æreus sum ob firmitatem, quam hostis labefactare nequit. Vbera etiam mea, hoc est, duo quæ didici testamenta, ab vnius Dei pectore quasi vbera duo prodeuntia, sunt quasi turres ad pugnandum, & arcendum hostem, qui sacra Scripturæ peritia fauciatur.

SPONSVS de sororis paruulæ promotione agẽs, & sponsam ad eam

fun-

functionē erudiens, non de se dumtaxat vno, sed & de sponsa diuinorum operum administra effatus est, consultò enim dixit, ædificemus, compingamus. Huic ergo sponsi voluntati obtemperans sponsa inquit, Ecce adsum (ô sponse) vt tecū ædificem, & compingam, ad hoc enim munus effecta ego sum murus, & vbera mea ad turris altitudinem creuere. Vt autem horum verborū & sensum, & cum præcedentibus cōcinnitatem percipiamus, meminisse oportet, sororem, de qua sermo factus est, paruulam, imbecillēque describi, & sponsum optare, vt murus sit. Mox etiam memoria repetendum, sponsam dixisse, sororem suam vberibus carere. Nunc igitur sponsa animaduertens se satis iam creuisse, & sibi diuinitus collata esse bona illa, quibus soror caret, ipso charitatis incitata ingenio, cupit ei suam similitudinem imprimere. Enimuerò, quemadmodum

inter

inter naturæ opera, similium generatio animantibus est maximè naturalis, ac proinde auidissimè concupita, ita interè opera gratiæ, similium procreatio fœtuum valde natiua est ijs, qui vitæ diuinæ consortes sunt, ac propterea votis omnibus expetita. Hauserunt huius propagationis desiderium ab ipso Deo, in eo genere fœcundissimo, ij, qui naturæ diuinæ per gratiam sunt effecti participes. Nec enim poterant fieri naturæ consortes, quin & eius proprietatis communionem assequerentur. Hac igitur similes generandi liberos propensione sponsa ducta inquit, soror mea nec murus est, ob imbecillitatem, nec vberibus tumet, ob sterilitatem, ego verò & murus sum, ob fortitudinem, & vberibus insigniter prædita, ob fœcunditatem, & prægnantis habitum. Dabo igitur operam, vt sedulitate multa, illam mei similem efficiam, vt & murus sit, & vbera habeat

Vt inter naturæ opera, similium generatio animantibus est naturalis: ita inter opera gratiæ, similium procreatio fœtuum natiua est ijs, qui salutis consortes sunt.

beat. Sed vt rectius eam sui similitudinem, quam sorori suæ sponsa cupit inferere, calleamus, explorandum nobis est, quomodo sponsa & murus sit, & tam pulchris insignis vberibus. Profecto sponsæ perfectio iam eximia, & clarissimorum Ecclesiæ luminum æmula, tam firmã, & inuictam eam reddidit, vt cum eam contemplamur, alterum Hieremiam cernere, nobis videri debeamus. Etenim inter Hieremiæ laudes illæ in primis recensentur, quas Deus, cuius commendatione corda probata ostenduntur, illi tribuit, dum ait. Ego quippe dedi te hodie, in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum. Hæc est graphicè picta quædã sponsæ imago. Concipere quippè illam debemus, tanquam murum quendam æreum, quo ambitur Ecclesia, tales enim sunt; qui eam vim

Hier. 1.

planè

planè diuinam, ad tuendam, & quasi ambiendam Ecclesiam pepererunt, quos, qui contra illam præliantur, labefactare, aut loco mouere nequeunt. Iam verò sponsa ærei mari firmitate notata, vbera sicut turres habere mõstratur. Duo enim testamenta ab vno vnius Dei pectore prodeuntia, & vnius doctrinæ, ac fidei lac euergentia, adeo in sponsa creuerunt, vt turrium muro superexstructarum fungantur officio. Quemadmodum enim turres illæ bellicis machinis instructæ hostes obsidentes interimunt, ita vtriusque testamenti peritia, quam Deus in sponsæ mente, quasi in muri summitate architectatus est, quot sententijs vtitur, tot sanè telis acerrimum salutis nostræ perduellem sauciat. Talẽ ergò muri fortitudinẽ, talem vberum præstantiam in sorore sua cupit sponsa conferere. Sed quia ipsa seipsam commendare visa est, ne quis vanũ quippiã suspicetur,

taci-

tacitam diluit obiectionem. Posset videlicet quispiam dicere, Tu temetipsam commendas, dum ais, Ego sicut murus, & vbera mea sicut turris, vt autem hanc suspicionem auerteret, intra eandem periodum, sic ait.

Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.

Hæc animi firmitas, scripturæ peritia non instans, sed ædificans non mihi à natura contigit, sed à gratia, per quam sponso reconciliata sum, & pacis cum eo fœdus percussi.

ILLA muri firmitas non mihi à natura iure velut hæreditario prouenit. Illa vberum magnitudo, & ingens copia lactis, non mihi à terreno Adam collata est. Sed vt rumque bonum habere cœpi, ex quo, post culpæ inimicitiam, sponso reconciliata sum, & quæ ante pace vera

carue-

carueram, facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Fatetur hic sponsa, quod catholicè asseuerandum est, se non ex natura creuisse, sed gratia. In hac enim sola vis est vera, & inconcussa fortitudo.

Hic murus aheneus esto.

Hanc verò vim diuinam, non ex debito vllo, sed ex sola bonitate, ac munificentia Deus confert, dum mortuas animas ex culpa suscitat, ac quasi denuò creat. Quod quidem arcanum vbera sponsæ non obscurè innuunt; idem enim valent ea verba, Ex quo facta sum, ac si diceretur, creata sum. Ipsa quippe iustificatio, creatio quædam est, seu effectio ex nihilo. Anima enim charitate orbata, nihil est, ac proinde, cum ad charitatem vocatur, fieri, seu creari elegantissimè asseritur. Quod, licet ex se inter sapientes planissimum sit, per verba tamen mox apposita dilucidiùs cernitur. Non enim ieiunè sponsa dixit, Ex quo facta sum,

Creatio spiritalis gratia constans ab ea, quæ naturalis est.

sed consultò addidit, coram eo quasi pacem reperiens. Quibus sanè verbis creatio spiritalis gratia constans, ab ea, quæ naturalis est, apertè discernitur. Vniuersi quippe Adæ posteri, ex ipso iure, vel iniuria vitiatæ naturæ, non fiunt seu nascuntur coram Deo. Est enim Deus auersus ab illis, sicut è contrario illi etiam enascuntur auersi, ex quo efficitur, vt cum in materno ventre compinguntur, vel etiam eduntur partu, pacem non reperiant. Est enim Deus illis infēsus, ac inimicus, & exinde totus orbis in conditoris sui militiam ascriptus, pugnat pro eo contra insensatos peccatores Adæ posteros. Non igitur ij fiunt coram Deo, nec pacem reperiunt. Cōtra verò illi, qui fausto quodam natali, & arcana creatione à sponso fiunt, qui iustorum est architectus & conditor, conuertuntur ad Deum, Deusque mutuò ad ipsos, vt quidā propheta cecinit, conuertitur, ac ob

id

id fiunt coram illo faciem quasi ostendente placatam, ex qua pacis ducitur origo sempiternę. Huic ergo creationi acceptum sponsa fert, quidquid boni est cõsecuta. Et propterea cum cœpisset loqui cũ sponso, aiens, Ego murus, & vbera mea sicut turris, quasi quis nostrum parum rei conscius interloqueretur, intra periodum eandem, verba intexuit illa, Ex quo facta sum corã eo, quasi pacẽ reperiens, quæ nõ ad spõsum rei conscium, sed ad obloquutores, quos nouit sponsa futuros, ac si adessent illi arcano colloquio diriguntur. Notãdum autem hic magnopere fuerit, sponsam tunc pacẽ reperisse, cum per prima huius epithalamij verba, pacem osculo notatam poposcit. Ibi nimirũ sub osculi symbolo reconciliationem ac pacẽ cum sponso anxiè postulabat, cuius ille votis affuit, nõ tamen tunc omnino murus adeo fortis fluit, nec tã pulchris vberibus insignita, at tunc

cœpit, & perenni quadam sedulitate profecit, vt ad eam, qua modo præstat, magnitudinem pertineret.

Verum, cur inquit, se non pacem, sed quasi pacem reperisse? An Deus, cum quis medullitus ad eum reuertitur, non omnino placatur, aut sibi partem veniæ reseruat? Minimè verò. Sed quia non assequuta est eam trãquillitatem, pacisque integritatem, in qua homo primus, ad quem alludit, cõditus est. Porrò post Adæ ruinam, quicumque originis culpa vitiatus, noua in Deum creatione cõuertitur, tametsi cum Deo, quod ad principẽ attinet animę partem, pacis fœdus percutiat, integritatem tamen pacis non adipiscitur, donec occurrat in virũ perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, hoc est, donec gloria coronetur. Relinquitur enim in ijs, qui fiunt iusti, peccati fomes, qui bellum in animæ gerit principatum, nec vllas admittit inducias, nec verò extin-

Ephes. 4.

gui

gui quantauis nauitate poteſt. Quapropter, etſi extranei hoſtes in homines iuſtos non irrumpant, inteſtino tamen contrariorum appetituum bello quatiuntur, vt meritò quaſi pacem, non verò prorſus pacem reperiſſe dicantur, & ex hoc ad perfectam gloriæ pacem ardentius expetendam, velut acerrimis calcaribus incitentur. Poſtquam ſponſa ſic locuta eſt, introducitur à Salomone ſponſus in ſcenam, de ſe, quaſi de alio quodam agens, & methodum, quam in Eccleſia more vineæ colenda ſeruat, oſtendens. Primum ait ſe habuiſſe vineam. Mox ſe illam cuſtodibus tradidiſſe, Demum pro eius prouentu cumulatiſſimũ præmium reddere ſolitum eſſe. Quæ omnia eò tendere videntur, vt ſpõſa vineę ſibi creditæ Dominum eſſe Deum, ſeque illius cultricem, auctiſſimamque ſibi pro cultura gloriam fore meminerit, & ex hoc fiat illa ſollicitior. Cum enim quis non

Iuſti inteſtino contrariorum appetituũ bello quatiuntur.

à plebeio quopiam, sed à patritio, vel etiam rege aliquo commissum opus meminit, multo sollicitus curat illud, ac limat. Si autem, præter hoc, mercedis spes magnæ subsit, exactissimè contendit opus expolire. Nec mirum videri debet, sponsum hac vti velut insinuatione, & præmij promissione, ad sponsam acuendam, non enim dedecet perfectam charitatem, pro præmio decernere, sponsus enim ipse (assertore Paulo) proposito sibi gaudio sustinuit crucem, contusione contẽpta. Aspiciebat etiam in remunerationem Moyses, cum grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, quemadmodum Paulus idem ad Hebræos scripsit. Sed iam ad sponsi verba enarrãda veniamus.

SPONSVS.

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.

Ecclesiã habuit sponsus, in cõgregatione habente multos populos vna fide congregatos.

VINEÆ

VINEÆ nomine figuratè intelligitur Ecclesia multo propriùs quam Synagoga. Ecclesia quippè à vite Christo propagata, eiusque carne induti cultura fœcundata est. Etsi autem ad Synagogam ex ipso etiam Christo, in quem oculos illa intendebat, quidquid boni habuit, permanarit, at necdum ille erat vitis, cum nondum naturæ humanæ susceptisset veritatem; mox verò vt illam suscepit, de noua sereda vinea, quam proprio labore coleret, proprio sanguine perfüderet, cogitauit, vt singulari quadam ratione vinea illius appelletur Ecclesia. Vinea ergo fuit illi iampridem, est, ac futura est. Vt, quod dicitur, fuit, non sit temporis mensura præteriti, sed significatio veritatis, quæ nunc etiã cõstat, & quæ permanura est, vt ex diuinis didicimus oraculis. Sæpè etiã præteritũ pro futuro in sacris, ob certitudinẽ euẽtuũ vsurpatur. Dicitur autem esse vinea

Vinea significat Ecclesiam.

pacifico. In Hebræo autem, & septuaginta Interpretum versione, pro, pacifico, Salomon habetur. Interpres autem noster non Salomonem, vt in alijs scripturæ locis sed pacificum transtulit, vt eodem sensu cõstante, apertissimè ostenderet nõ hic de rege illo Hierusalem, genito ex ea, quæ fuit Vriæ, sed de sponso Iesu Christo, cuius ille imaginem prætulit, sermonem fieri. Sponsum autem iure suo pacificum appellari, notissimum est. Ipsius enim sanguine Deo reconciliati sumus. & in ea reconciliatione percussum est pacis fœdus sempiternæ. Quapropter quod dicitur, Vinea fuit pacifico, ita est accipiendum, vt pacifici nomen vineæ causam indicet, ac si planius diceretur, Quia sponsus pacificus est, ideo vinea est illi. Nisi enim pacem ille, deleto inimicitiæ veteris chirographo, stabilijsset, vineam non haberet, sed natura humana vinea fuisset Sodomorũ, & de sub-

Salomon imaginem prætulit Christi.

Deut. 32.

urba-

urbanis Gomorrhæ, ex qua vua fellis, & botrus decerperetur amarissimus. In peccato nimirum iacuisset, vnde sponsus fructum non legisset vllum, legit autem fructum vberrimum, quia pacificus est. Qua ex re satis liquet, quam habeat energiam, quod dicitur, Vinea fuit pacifico. Quod verò adiungitur, in ea, quæ habet populos, pro eo, quod in Hebræo legitur, in Bahal Hamon, siue vt septuaginta Interpretes retenta lectione Hebraica dixerunt, in Behelamon, quod Symmachus, In retentione populi, Aquila verò, in habente multitudine trãstulit, Ecclesię multos populos habentis expressa significatio est. Qua profectò, quod paulò ante asseruimus, vineæ videlicet nomine Ecclesiã propriùs quam Synagogam indicari, efficaciter cõuincitur. Synagoga quippe vno dumtaxat constitit populo, vnaque tantum stirpe Abrahæ; at verò de Ecclesia sic scriptum est.

Synagoga vno dumtaxat populo constitit.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Nũc ergo per anacephaleosin quandam dicta repetentes, clarè perspicimus, Verba illa, Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, idem pollere, ac si diceretur, Ecclesia est sponso in congregatione, quæ multos habet populos. Et hæc prima est interpretatio.

Ecclesia nullos habet populos.

II interpretatio.

Secunda verò satis arcana, verba illa editionis nostræ, [In ea] refert ad crucẽ, ita vt sit sensus, vinea fuit pacifico, in ea, quæ habet populos, hoc est Ecclesiam habuit sponsus, in cruce, quæ quidem crux habet, seu retinet populos. Porrò non aliunde, quàm ex cruce, vbi nostram patrauit salutem vineam Ecclesiæ sponsus propagauit Propagauit autem, cum exaltatus à terra, & à cruce pendens, omnia ad seipsum traxit. Omnia inquam, hoc est populorum omnium corda. Si ergo in cruce pendens, ad crucem, ex qua

pen

pendebat, populus attraxit, verum omnino erit, eam, crucem videlicet, habere populos sibi insitos, atque connexos, & sponso perinde esse vineam, non alibi, sed in ea, quę populos habet. Et profectò, si quis est in hoc exilio, quem sibi affixum crux non habeat, tametsi vt palmes aridus ad vineam vtcumq; pertineat, vera tamen vita carere cõuincitur. Hoc autem omnino constitutũ est, sponsum in cruce pendentem, vineam conseuisse, ac habuisse, in ea ipsa cruce, quæ vi diuina populos sibi adstrictos ac alligatos habebat. Potuisset profecto sponsus quam plantauerat vineam, sine custodum excolere, & alere ministerio, verũ, quò mira mundum spiritualem varietate honestaret, non quidem necessitate, sed dignatione vinitores optauit, quibus ipse nihilominus præsens Ecclesiæ vineam traderet excolendam. Propterea de se, quasi de alio quopiam loquens, sic ait.

Tra-

Tradidit eam custodibus.

Commendauit sponsus Ecclesiam Doctoribus non quasi authoribus, sed quasi custodibus.

Doctores Ecclesiæ custodes nuncupantur.

SAPIENTISSIME Doctores,& prædicatores Ecclesiæ, custodes nuncupauit. Non enim ipsi vineas condunt, non illi feras plantas in vites vertere sua nauitate possunt, vt vineæ vocentur authores. Sponsus ipse condidit Ecclesiam, & feras arbores fecit esse mites. Prædicatores verò vineam à sponso ex Ægypto translatam, & in suæ promissionis regione satam, custodiendam susceperunt. Etsi enim nouæ creaturæ illi sint initium aliquod, dum in Ecclesiam nouas plantas Deus non sine prædicatorum introducit ministerio: verum hoc, quale illud est, non sua sedulitate, sed sponsi ope illi præstare creditur. Quapropter prædicatores nullam sibi de fructi-

Deus nouas plantas non sine Doctorum introducit ministerio.

bus

bus vineæ laudem arrogare debent, ipsi quippe custodes sunt, & quasi depositi receptores. Depositi autẽ pretium non à custode manat, sed vel ab eo, qui deposuit, vel certè in ipsius rei natura inest. At licet hæc ita se habeant, ipse nihilominus vineæ sator, & Dominus præmium custodibus pro fructu, quem ipse fecit, cumulatissimè pendit. Propterea inquit.

Vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Ipse sponsus pro fructu, quem ipse producit in Ecclesia, reddit cumulatissimum præmium.

PORRO vinearum domini mercenarijs, quos conducunt, non pro fructu, sed pro labore mercedẽ rependunt. Fieri autem sæpè solet, vt vnius dumtaxat fossoris nauitate, vnius labore diei, vinea fructum

red-

reddat duplo auctiorem, quam esset alias refusura,& tamen dominus vineæ præstitutam illi, ac alijs inertibus mercedem, de qua intereos conuenerat, reddit, cum tamen, si spectaretur fructus, ex cultoris illius opera prouenturus decuplo, aut fortè centuplo maior illi merces reddenda foret. Sponsus autem vineæ, hoc est, Ecclesiæ vir, non sic agit, sed fructus in Ecclesia vniusciusque prædicatoris nauitate prolatos velut in statera appēdit, & pro illorū pondere, reddit mercedē cumulatā. Vbi etiam attente discrimē inter Deum, ac homines librare oportet. Homines nimirū suarū vinearū cultoribus nō pendunt mercedē p fructu, quia fructus, nō cultorū, seu operariorū, sed domini vineæ est. At Deus, tāetsi fructus Ecclesiæ, iure strictissimo, eius sit fructus, reddit tamē prædicatorib. pro illo præmiū, quam re, suam liberalitatem maximè cōmendat. Certè

septua-

septuaginta Interpretes hoc mysterium velut innuentes, sic habent, Vir feret in fructu suo mille argenteos, in fructu inquiunt suo καρπῷ αὐτοῦ, hoc est in fructu viri ipsius. Cernimus igitur apertè, Deum Doctores Ecclesiæ munerantē fructus potius laborū, quam labores ipsorū externā quātitatē expēdere. Quod Theologis cōpertissimum est, dum aiunt, præmiū (quod à schola vocatur accidentale) pro fructus crescere mensura. Enimuerò monasticæ vitę institutores, ac Doctores sancti, quorum exemplo ac doctrina plurimi post eorum obitum, conuertūtur, nouos illius prę mij accessus, pro numero filiorū, quos exemplo doctrinaq; procrearūt, accipiunt, siue paulò acriùs, siue non adeò acriter in eo genere laborarint; esto etiam, labor ipse maior auctiore præmio muneretur. Nunc verò mille argētei, quid innuāt, explorādū est. Profectò millenari numeri laus, nota

Præmium pro fructus mensura crescit.

Millenarij numeri laus.

præ-

præmij cumulatissimi est. Sic enim vulgo dictitare solemus, mille nos beneficijs à quopiam amico affici, mille nos mala perpeti, mille pericula nobis impendere, vt in ijs rebus singulis absolutum, & perfectũ quiddam significemus. Et in hunc modum sponsus afferre dicitur pro fructu eius, id est, ipsius sponsi, qui sua in Ecclesia dona sua munerat, mille argenteos, hoc est, cumulatũ, & in eo genere perfectum præmiũ. Potest etiam non ineptè, mille argenteorum numero, vt paulo post dicemus, id præmiũ, quod à Theologis essentiale nuncupatur, ob millenarij numeri cæterorum vim cõplectentis perfectionem intelligi, & hæc prima est interpretatio.

II. interpretatio.

Secunda, viri nomine, non eundem, qui pacificus appellatur, intelligit. Sed quemuis è custodibus prudentem, ac sedulum, cui Deus vineam tanquam viro tradidit vxorem. Vulgatum enim est, eum, qui

ad

ad Ecclesiæ gubernationem accersitur, coniugium cum ea inire, ac proinde virum eius constitui. Hic ergo vir, bona Ecclesiæ vxoris suæ sedulò curat, ac velut in vineæ cultura laborans, dicitur afferre pro fructu eius mille argenteos, quod sic accipiendum est. Fructus in vnaquaque planta est id, quod vltimo prouenit, quòd perfectissimum est, & cuius gratia agricola omnem laborem exhaurit. Sic in Ecclesia, id, quod vltimò prouenit, quod summè perfectum est, & cuius gratia Ecclesiæ cultores strenuè laborant, est gloria, cui fructus & nomen, & sensus elegãtissimè quadrat. Enimuerò Ecclesia vinea quædam est, quæ modo falce pœnitentię, laborisque sauciatur, & vt fructum gloriæ reddat, culturam acrem subit; eius verò fructus erit in gloria, nam licet hic patiatur, fructum tamen non promit in terra, sed in cœlis, sicut scriptum est; Momentaneum 2. Corin. 4.

hoc & leue tribulationis noſtræ (dum vinea colitur) æternum gloriæ pondus (hoc eſt fructum) operatur in cœlis. Illic ergo eſt fructus Eccleſiæ, cuius gratia labor culturæ omnis hauritur. Pro fructu igitur iſto, vir, qui verè virilem gerit animum, prædicator nempe ac Doctor ſedulus, qui Eccleſiam velut vxorē duxit, affert mille argenteos, hoc eſt, vniuerſa dogmata, ſiue eloquia Domini, quæ imitantur argentum purgatum, & examinatum. Millenario quippè perfecta multitudo ſignatur, argenteis verò eloquia ſcripturæ, diuina luce, & candore more argenti lucentia, & ſonum clarum velut argenteum edentia. Non dixit argentum, quaſi maſſam argenteam emptioni non accommodatā, ſed argenteos, ſcilicet nummos, quaſi ad emptionem opportunos, quaſi ijs gloria ematur ipſa. Cum igitur ſponſus ait, de ſua vinea, hoc eſt Eccleſia loquens. Vir affert pro

Sedulus Doctor, qui Eccleſiam velut vxorem duxit mille argenteos, hoc eſt, vniuerſa dogmata domini affert.

fructu eius mille argenteos, idem agit, ac si diceret, prędicator, aut Doctor enunciat omnia scripturæ eloquia, quibus Ecclesia in fide, ac spe alitur, in prædicatione laborans pro gloria, qui est laborum, & prædicationis, sicut & vniuersarum virtutum fructus vberrimus, ac suauissimus. Nunc verò, quia sponsus asseruit, se vineam suam custodibus tradidisse, nequis suspicaretur illius eum ablegasse curam, ac si, vt quidã mentitus est, circa cœli cardines ambulet, nec nostra consideret, monet se non eo esse corde, vt vineam, quam condidit, obliuioni vnquam tradat. Ideò ait.

Vinea mea coram me est.

Nihilo segnior fio, quod vineam excolendam tradiderim custodibus, ego enim præsentissimus sum vsque ad consummationẽ seculi, ac si nemini eam cõmendassem.

NON abieci curam vineæ meæ, nec custodum sedulitas me ab

eius intuitu recedere facit. Sed præsens ipse sum, & omnes illius euentus intueor, ac si nulli eam vinitori commendassem. Docet ergo sponsus, se suæ vineæ, quæ est Ecclesia, semper inspectare progressum, hoc enim innuunt illa verba, coram me. Rectè enim, quam ipse tulit, implet legem. De iure quippe diuino est, vt nobiles Theologi tradunt, præsentia, seu quæ vulgò appellatur assistentia præsulum in ijs Ecclesijs, seu vineis, quas colere debent, cum quibus spiritualis matrimonij fœdus pepigere. Si enim pastores sunt, & ex institutione diuina pascere debent, cum nemo nisi præsens propriè pascat, erit omnino constans, præsentiam non alio, quam diuino esse iure necessariam. Quapropter præsules, qui suas Ecclesias coram se non habent, in magno salutis discrimine versantur. Vt ergo hanc philosophiam, & oeconomiam pastores Ecclesiæ discant, ipsaque in-

Præsules qui suas Ecclesias coram non habent, in magno salutis discrimine versantur.

pri-

primis sponsa, quam sponsus curat præceptis ad excolendam Ecclesiã opportunis imbuere, dicit: Vinea mea coram me est, ac si diceret. Animaduerte, sponsa, quam de vinea mea curam geram, nunquam enim ab ea oculos auerto, vt discas, te nũquam à commissa vinea, sine crimine abesse posse. Enimuerò ex Hebræo sic aliqui legunt. Vinea mea quæ mihi, ad facies meas, vbi verbis istis, ad facies meas, magna cum energia, notatur sponsum, quasi vna facie duos oculos habente, vt vineæ suæ prospiciat, non esse contentum, sed plures habere facies, propter plures oculos in ijs lucentes, vt quasi Argus quidam oculatus sit, vniuersosque eos oculos ad sponsam intendat cõtuendam. Postquã autem sponsus se dixit vineam, quã custodibus tradidit, esse coram se, disertequeasseruit, se virum eius vineæ, custodibus eius mille argenteos pro cultura rependere, sponsa

se rem probè intellexisse declarans, concinit sponso, & eius verba more discipulorum lectiones resumentium, repetit, aiens.

SPONSA.

Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

Tu plus omnibus laborasti sponse, & sic tui ipsius pacifici nostri sunt ex iure tuo, mille illi argentei præmium cumulatissimum significantes. Ducenti vero argentei sufficiunt Doctoribus pro præmio, eo quod custodiant fructus Ecclesiæ. Ducenti inquã binario centeno nuptias cum Ecclesia notantes, quibus ex nuptijs Doctores præmium promerentur.

RECTE intellexi (ô sponse) quod ad me acuendam enunciasti, te videlicet Ecclesiæ virum seu sponsum custodibus eius millenos argenteos reddere. Hoc fatetur

spon-

sponsa, quam decet sponsi verba callere. Nunc verò, ad percipiendam verborum seriem, sic habendum est, ea verba, Mille tui pacifici, non esse pluralis numeri, sed genitiui singularis, vt patet ex collatione facta ad Hebraicum textum, & Septuaginta Interpretum versionem, in quibus Salomonis nomen, pro quo, pacifici, nos habemus singulari numero legitur. Sic ergo intelligenda sunt hæc verba, Mille tui pacifici, hoc est, mille argentei sunt tui ipsius Salomonis, vel pacifici. Porrò in latinis biblijs interdum legitur sic, Mille tui pacifice, ita vt pacificè, sit in vocandi casu. quæ lectio satis est apta fontibus, & ad sensum arcanum idonea. sed in biblijs authoritate pontificia nuper editis, & vulgatæ editionis titulo insignitis, ac emendatis, pacifici, legitur. Hæc de verborum concinnitate dicta sint, modo autem ad sensum enucleandum accedamus.

Salomon id est, pacificus.

Mille (inquit sponsa) tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius. Animaduertendum hoc loco, mutari loquẽdi formam. Dixerat enim sponsus, de seipso agens, virum afferre mille argenteos, quos videlicet tradit custodibus. Sponsa verò vrbanè & arcanè admodum, sic ait, Immò mille argentei sunt tui ipsius pacifici nostri. Tibi enim debentur hi argentei mille qui vineam plantasti, & aluisti, ducenti autem abundè sufficiunt his, qui custodiunt fructus eius, quem sanè sensum satis indicat, quod ex Hebræo vertitur, Mille tibi Selomoh, & in eandem sententiam Septuaginta Interpretes sic legunt, Mille Salomoni, ac si dilucidè hunc numerum millenarium adscribant Salomoni nostro Iesu Christo, argenteos vero ducentos prædicatoribus, seu Doctoribus, qui custodiũt fructus, quos ille in Ecclesia protulit. Quę quidem interpretatio diui-

næ

næ Theologiæ oraculis satis consentanea est. Constat enim sponsum labore ac morte sua, sibi præmium, quod accidentale vocatur, cumulatissimum promeruisse, dum vineam Ecclesiæ propria quasi manu pangebat. Ijsdem nimirum actibus, quibus Ecclesiam condidit, & fructus prompsit vberes, sibi accidentariam, & eam quam vocamus essẽtialem gloriam promeruit. Eius vero gloria, quam promeruit, quia inter vniuersas eius generis auctissima est, millenario numero rectè notatur. Hi ergo sunt mille argentei Salomonis, seu pacifici. Ducenti vero argentei, qui redduntur prędicatoribus, & Doctoribus, qui alijs benè præsunt, videntur figuratè innuere id, quod Paulus ad Timotheum scripsit, Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Videtur nimirum præmiorum ordo serie numerorum expressus. Simplicibus enim iustis cẽ-

Sponsus morte sua sibi præmium accidentale nobis vero essentialẽ gloriam promeruit.

1. Timot. 5.

tuplum, benè prælatione fungentibus bis centuplum, sponso verò millenarius numerus aptatur. Ratio verò, ob quam bis centeno numero præmium præpositorum innuitur, ex binarij proprietate eruenda est. Binarius quippe nuptias, seu coniugum coniunctionem, sicut vnitas consortis ignaram virginitatem notat. Quia verò prælati ac Doctores spiritualibus nuptijs Ecclesiæ copulantur, quasi de castissimo complexu præmium sibi comparant, ad hãc enim castitatem indicandam centenus ille binarius ex argento conflatus adducitur. Argentum autem insignem castimoniæ significationem, candore, tinnitu, luce manifestat. Et hæc prima est interpretatio.

II. interpretatio.

Secunda verò interpretatio millenarij & centenarij duplicis numerum connectit, ac si dicat. Mille ac ducenti argentei sunt quidem tui ipsius nostri Salomonis seu pacifici, ac illorum Domini; sed tradis illos

his

his, qui custodiunt fructus eius. Sensus ergo iste, Dominum præmij vtroque numero signati dictat esse sponsum; at eo dominio constante, ait vtrumque præmium fructuum vineæ custodibus respondere. Millenarium, cui præmium essentiale, eius numeri perfectione exacta notatum, respondet. Duplicem verò centenarium, seu centenum binarium, cui aureola Doctorum, ex cõiugio cum Ecclesia facto parta consentit. Hæc postquam sponsa effata est, quasi iam de mercede conuentio sit facta, sponsus operi manum admouere iubet, & vineæ culturam auspicari. propterea sicait.

SPONSVS.

Quæ habitas in hortis, Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.

Sponsa, quæ in sacræ scripturæ libris habitas velut in hortis amœnissimis, egredere

dere ad prædicationem, nam velut in theatro quodam Angeli audiunt concionantem te. Ergo adsum, cupiens audire vocem tuam, vide à quibus audiaris, vt sapienter dicas.

VERBA hęc sunt arcanorum sensuum fœcundissima iuxta varias hortorum, & amicorum sensus. Si autem sponsæ progressio, & cantici huius processus expendatur, accommodatissimus ille videtur sensus, qui hortorum nomine sacræ scripturæ libros innuit. Enimuero scripturam sacram ita Deus illius author condidit, ac distinxit, vt in ea eius paradisi, quem in origine mundi plantauit, imagine expresserit. Si enim plantas, vel quæ fructum esui ferrent, vel quę colorum ac odorum varietate voluptatem conciliarent, contemplemur, nullam in eo genere in scriptura sacra desiderari comperiemus. Omnes quippe sensus mirificè pascit suorũ

Hortorum nomine sacræ scripturæ libri notantur.

dog-

dogmatum mira varietate, vt facilè sibi persuadent, qui toto pectore illius sensibus nauant operam, qui nullo alio externo solatio se fatentur indigere, libros sanctos peruoluentes. In his autem libris, tanquã in hortis amœnissimis versantur, quicumque animo semper sacra dogmata pertractant, ibi enim quis habitare dicitur, vbi eius commoratur cor, multo sanè potiùs, quam vbi corpus moratur. Cũ ergo sponsa sacræ scripturæ intentissima hoc loco pingatur, iure dicitur in eiusdem scripturę hortis habitare, quasi eam habitationem paradiso simillimam elegerit, à qua non sit recessura. Nunc vero animaduertendum est, tam eximiam scripturæ sacræ peritiam non tradi sponsæ, vt sibi dumtaxat meditando prosit, sed vt partem alijs iusta distributione impendat. Propter quod cum dixisset sponsus, Quæ habitas in hortis, adiunxit, Amici auscultant, ac si planius di-

ceret;

ceret, Animaduerte, te non tibi solum natam, ac proinde quantumuis tibi hortorum scripturæ commoratio placeat, ne ibi sola cunctéris, sed in publicum prodeas, vbi Amici audituri præstolantur te. Vt autem horum verborum vim percipiamus, mundum istum, tanquã theatrum quoddam, vbi spectacula celebrantur, cogitare debemus. Hic autem personarum varietas exploranda est, qualem in comœdijs, non sine voluptate, conspicimus. Quidam ibi audituri sedent, alij in scæna silent, alij loquuntur, omniaque prudenti dispositione, harmoniaque consentiunt, sic profecto in spirituali theatro post Deum Angeli, qui hoc loco appellantur amici, natura quidem nobiliores, sed gratia pares, mutuaque charitatis amicitia nobis coniuncti, quasi sedentes pinguntur, comœdiæ processum audituri; sic à septuaginta Interpretibus amici attendentes, quasi comœdiæ

Mundus iste, vt theatrum est, vbi spectacula celebrantur.

spe-

ſpectatores appellantur, inter ipſas autem perſonas in ſcena agentes, quædam ſilent ac diſcunt, vt prædicatorum, Doctorumque diſcipuli, quædam loquuntur ac docent, vt ſponſa, eiuſq; ſimiles Doctores quos Deus præpoſuit familiæ ſuæ, qui, aſſertore Paulo, facti ſunt ſpectaculũ mundo, & amicis, hoc eſt, angelis, & alijs hominibus. Sic ergo Amici ſeu Angeli auſcultare intelligendi ſunt, quod eo tendit, vt ſponſa ſtrenuè ſe gerat, ſapienterq; loquatur Norunt enim concionatores vniuerſi, quàm ſit efficax remediũ, vt rectè loquantur, à ſapientibus audiri. Eſt proculdubio præſentiſſimum antidotum, ſapientum confeſſus, ad erigendum concionatoris animum, ad linguam expediendam, cæteraſque functiones ſimiles decenter obeundas. Verum hic ſpõſa dicere potuiſſet, ſe quidem, ad rectè concionandum corona ſapientum valde commoueri; at in ea ſapientum amicorũ

coro-

corona, non esse sponsum, cuius præsentia potissimum incenderetur. At hoc opus minimè fuit, declarari. Constat enim sponsum inter amicos recenseri, vnde & eo ipso, quod amici auscultent, & ipse inter eos auscultare censendus est. Sed ne vel vmbratilis absentiæ posset ratio prætexi, disertè addidit. Fac me audire vocem tuam, ac si aperte diceret, non absum ego, memento, te coram me loqui; loquere sapienter; prædicationem auspicare, & sic fac me audire vocem tuã. Et hæc prima est interpretatio.

II. interpretatio.

Secunda deducitur ex altero amicorum sensu, in hunc modum. Porrò eorum, qui ad sponsum conuertuntur, animæ, quasi totidem plantæ in ipso feruntur, & multos efficiunt hortos, pro varijs, quæ vnicuique indulgentur, donis. Alios cernimus tanquam violas rosasue fragrantes, quos Deus voluptatibus permulcet; alios vltronea car-

nis

nis afflictatione more arbuſculæ myrrha rigentes; alios mentis eleuatione thure notata ſuſpenſos; alios liliorum modo caſtitate candentes, & demum alios aliis plantis ſimillimos, quos ſi ſpirituali acie contemplemur, varios, pulchrè diſcretos hortos nobis cernere videbimur. In his ſpõſa habitare aſſeritur, vt cuſtodiat eorum fructus, verſatur enim inter eos cœtus animarũ, quarum promotioni operam datura eſt, quibus hæc pulchra hortorum diſcretio pro donorum varietate mirificè quadrat. Hi autem horti nõ terreſtres & vulgares, ſed mentis compotes, & iuſtitia germinantes, ex quo in ſponſo ſati ſunt, amici Dei ob diuinæ charitatis communionem appellantur, qui auſcultant, & audire geſtiũt ſponſę conciones. Quia verò in iis ipſis ſponſus latet, & quos auctus illi obeunt, & ipſe in illis obire dicitur, omnia enim opera noſtra in nobis operatur, cum potuiſſet di-

Horti rationales & mentis cõpotes.

cere, Amici auſcultãt, fac illos audire vocẽ tuam, maluit ſignificantiùs dicere, fac me audire vocem tuam, vt eo pactò ad munus iniũctum ſpõſam efficaciùs permoueret. His ſponſi votis ſic ſponſa reſpondet.

SPONSA.

Fuge dilecte mi.

Recede ſponſe ab hoc genere conſuetudinis, quo tibi ſoli vaco, vt, ſicut iubes, aliis prodeſſe etiam poſſim.

MIrum ſanè reſponſum, & ab humana philoſophia longè remotum. Amoris effectus, quem auidiſſimè affectat, vnio eſt, & tamen ſponſa, cùm ardentiſſimè amat, ſpõſum recedere monet. Auget autem non parùm admirationem, temporis obſeruatio, nunc enim aliorum incubitura ſaluti magis ſponſo eget, quàm ſi ſeorſum conquieſceret, & tamen ſponſum impellit ad fugam. Verùm hic nodus eſt ſpirituali gladio ſcindendus. Meminiſſe nimirũ

opor-

oportet, in hoc capite, dialogum quendam inter spõsos seorsum velut in thalamo agentes fuisse contextum, vbi necesse fuit, sponsam voluptate interna demulceri, quæ his cum Deo colloquiis est familiarissima. Animaduertens autem illa, se nõ posse in ea voluptate, quasi Magdalenam ad sponsi pedes sedentem permanere, cum ad prædicationẽ, Deo præcipiente, proditura sit, optat sibi euenire, quod sponsum velle cognouit. Enimuerò spõsus, postquàm eam ad legationẽm apostolicam destinauit, non vult, illam cunctari, & solos Dei affectare complexus; satiùs enim est, vt in hoc genere, anathema, hoc est, separata fiat, à Deo pro fratribus suis, suauioribus post eam separationẽ amplexibus fruitura. Hæc sponsi volũtas est, quam cum illa interna illustratione didicisset, in hæc verba prorumpit. Fuge dilecte mi, hoc est, Fac, q; decreuisti, & ab ista mea cõsuetudine, Luc. 7.

quæ mihi soli prodest, recede. Ineſt autem in verbo, Fuge, non parùm energiæ. Nõ enim dixit, stylo simpliciore, recede, aut dic mihi, vale, vt innueret mores amantium. Profectò, qui vulgo inter se amant, nec in eo amore singulare quid patiuntur, sicut non admodum mutua colloquia, & complexus affectant, ita nec recessus, absentiamque formidant, aut ęgrè ferunt. At qui inter se ardẽtissimè amant, sicut, si absint, mutuò se inuisere, & complecti vehementissimè cupiunt, ita si recedendũ sit ęgerrimè ferũt. Quamobrem, cum alteruter amantium necessitate cõpulsus de recessu cogitat, ne alteri dolorem excitet ac mœstitiam, non palam proficiscitur, non more vulgari vale dicit, sed quasi fraudulenter se subducit ab alterius oculis, & eo fuco, fugam arripit, vt cum alter animaduerterit, iam quasi rem trãsactam, seu præteritam, quæ minorem inferre sensum solet, fugam il-

Amantes mutuo se inuisere cupiunt.

lam

lam contempletur. Sic igitur ſponſa loqui credenda eſt. Fuge dilecte mi, hoc eſt, ne mihi apertè vale dicas, ne à me vulgi more recedas, nec enim ferre potero, mira enim, te præſente, ſuauitate perfundor. Sed clã te ſubtrahe, furtim elabere, vt hac arte tuum diſceſſum tolerare queam. Hæc ſponſa. Ne tamen exiſtimandum eſt, illam optare, vt ſponſus omninò recedat; nouit enim id nec expedire, nec licere, ſed fugam ſuadet noſtræ imbecillitati attẽperatam, vt ſcilicet ſponſus ita fugiat, vt oculos minimè auertat, & cũ periculum impendet, ad opem ferendam cõfeſtim accurrat. Propterea, cum ſpõſa dixiſſet. Fuge dilecte mi, non ibi quieuit, ſed appoſuit, Et.

Aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.

Dum fugis, & me non curare, ſed dormire, videris, eſto vt caprea, quæ altero dormit oculo aperto, vt dum abes, illo re-

spicias me, nec omninò à me intuitum auertas. Cum autem videris me anxiam, te fugiente, retorque caput tuum, quasi retrorsum aspiciens ad me, quam relinquis, sicut solet hinnulus fugiens retrorsum spectare quos fugit, per excelsos montes aromatibus consitos.

NON omninò abscedere, sed te tuum recessum conditioni meæ cupio arte attemperare. Et quandoquidem tua consuetudine sum caritura propter te, fratresq; meos, quorũ causa anathemati deuoueo, fac, obsecro, dum te mihi subtrahis, capreas, ceruosque æmuleris, & in te, erga me, illorum exprimas proprietates. Vt autem hoc sponsæ desiderium calleamus, notandum est, his verbis, Assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum, quasi periphrasi quadam, idem sponsam petiisse, ac si precaretur in hunc modum, Ne, quæso, omninò recedas. Quod vt patefiat

sic

sic habendum est, capream, quæ altero dormit oculo aperto, vt Chaldæus ait paraphrastes, & hinnulum, qui, dū fugit, retrorsum aspicit, spōsi mores, quos nunc sponsa cupit, ostendere. Enimuerò, cum spōsus fugere & de sponsa minùs cogitare videtur, tunc si spirituali cernatur mētis acie altero quasi oculo vt caprea tantum dormire comperietur. Cū enim sponsam tradit vexationi, nec eam frequenter visitat, & eius oblitus, quasi dormiens videri posset, tunc velut alterum tantum oculum obstruit; altero verè ad eam intuendam vtitur, quod est idem, ac si planiùs diceretur, nunquam adeò derelinquit suos in agone athletas, quin super eos vigilet. Iam autē, si eius amorē expēdamus, tametsi plerumq; fugiat, hoc est, suam consuetudinē, quia sic expedit, neget, nunquam tamē, se omninò nobis negare potest, sed imitatur hinnulū, qui, cum fugit, retrorsum aspicit, cum

Capreæ natura.

Amor spōsi, quo nos prosequitur.

montes arbusculis aromaticis consitos peruolat, caput retrorsum flectit, sic nimirum sponsus, dum quasi in cœlos, ac cœlites, qui mõtes aromaticos ob fragrantiam imitantur, se attollit, velut cum illis tantũ versaturus, nequit nostri obliuisci, sed in ea spirituali, & ad nostram experiendam fidem necessaria fuga, caput retrorsum torquet & nos, à quibus receſſerat, incredibili dignatione, ac amore respectat. Sic ergo spõsa loqui credenda est. Dum te mihi subtrahis, ô sponse, ne obliuiscaris mei, sed more capreæ, etiam dũ dormire videris, vigil esto, & more hinnuli excelsos mõtes aromaticis plãtis fragrantes peruolantis, & dũ fugit, retrorsum aspicientis, dum te ab humano consortio in cœlitum consuetudinem, velut in aromaticorum montium vertices attollis, caput retorq; in me, quam retro relinquis, ne inteream prorsus destituta. Opportunè satis hanc huius carminis

calci

calci sponsa petitionem affixit, vt sponso hæc verba, quia vltima sunt, altiùs imprimantur. Hæc prima est interpretatio.

Secundam verò allaturi animaduertamus oportet, sponsam ad prædicationis functionẽ profecturã id in primis conari debere, vt spõsi diuinitas orbe toto resplendeat. Mittitur quippe nõ modò ad peccatores, qui à sponsi charitate degenerarũt, fide sine operib. retẽta; verũ & ad fidei expertes, vt lucretur vniuersos. Hi autem ex historiis, & traditionibus ad eos vsque protensis, IESV Christi nomen, & plura gesta didicerunt. Incredibile autem prorsus eis videtur hominem, cuius audiêre mores, verum esse Deum, mundi Dominum ac conditorem, ac proinde prædicatoribus multò vigilantissimè enitendum est, vt ethnicorum animos ad id credendum inducant. Et hoc est, quod sponsa petit, dum air, Fuge dilecte mi. Fu-

II. Interpretatio.

Multum enitendum est doctoribus vt Ethnicos conuertãt.

gere quippe captum nostrum dicimus, quod intelligendo consequi non valeamus, ac proinde diuinitatis mysterium fugere nos elegãtissimè dicitur, cum planissimum sit, omni captu nostro esse longè altius. Fide quidem id credimus; at ea ipsa fide, altius esse captu nostro, ac proinde nos fugere fatemur. Ait igitur sponsa, pro te, ô spõse, legatione salutis functura sum, ac te Deum verũ esse, prædicatura; precor ergo te, vt de te, meo ministerio, ethnici credant hoc, in quo illorum captũ fugis, quod est, te Deum esse. Hoc igitur modo, fuge dilecte mi. Quod autem sponsa subdit. Et assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum, super montes aromatum, ad eandem sententiam perficiendam magnoperè conducit. Sicut enim hæc animalcula cursu pernicissima, & excelsorum montium cupidissima, quasi alis fulta in montium aromaticas arbores gignentium in oriente sitorũ

vertices saliunt, & ibi se in eas syluas aromaticas abdunt, ita sponsus, si eius diuinitatem contemplemur, nostris se subducit aspectibus, & cursu celerrimo, seu potiùs ocyssimo volatu, super angelicas mentes, montibus aromatum, ob celsitudinem & puritatis fragrãtiam notatas fertur, ibiq; se in earum quasi syluam cõdit, hoc est, dũ nobis se celat, illis se manifestat. Profectò super angelicas mentes ascendit immenso illis interuallo excelsior, Verũ & inter eas versari, & iis quasi ministris more regis stipari perhibetur. Sic ergò iuxta hunc sensum sponsa effari putanda est. Fuge, attolle teipsum, dilecte mi, & iis qui ignorãt, & errãt, te Deum esse captum nostrum fugiẽtem ostende, & in ea ostensione, similis esto capreæ, & hinnulo cursu velocissimis, qui dũ montes aromatũ feraces peruadunt, in cacumina saliunt, & inter aromatum syluas sese condunt. Sic tu, dum diuinitate

Sponsi diuinitas nostris se subducit aspectibus.

Hinnulus cursu velociſſimus.

tua

tua credentium captum fugis, cursu, seu potius volatu ocyssimo te illorum obtutibus velut eripe, & super angelicas mentes rapere, quæ dum tibi adsunt, tuamque diuinitatem speculantur, eximia celsitudine, & puritatis consortijq; tui fragrantia excelsos montes aromata ferentes imitantur. Hanc tui ipsius cognitionem, per quam iustitia in animas introducitur, ijs, quibus ego consultura sum, infunde, vt tuis auspiciis freta, magnum hoc opus aggrediar, ac te mihi præsentissimo, mihi benè sperare iubeam, & non sine fructu, quem cupis, hac mea legatione perfungar.

PERORATIO.

HÆc habui, clementissime Domine Iesu Christe, quæ ex sanctorum patrum lectione, ac obseruatione corrasa, in ærarium Ecclesiæ conferrem, vt pro mea tenuitate

amo-

amoris erga nos tui diuitias euulgarem, sperans fore (quæ mihi satis ampla merces erit) vt lector quispiam ad te ardentiùs amandum acriùs incitetur. Vix enim putaui à me quippiam ad commune bonum fieri posse opportunius, quàm si amoris tui velut in tabula, picta magnitudine, & meam, & lectoris fortè cuiuspiam duritiem emollire conarer. Precor autem te Domine, vt me, licet labiis pollutum, de amore tuo loqui ausum humanè recipias, & in sancta penetrare patiaris. Fac Domine humanissimè, ne à thalamo arcear, dum alios introducere conor, sed diuino amoris tui me incendio absume, vt nihil, nisi propter te, amem, & hoc æstu flagrans stadium vitæ huius inoffenso pede percurram.

Iesu Christo sponso, purissimaque Virgini Mariæ eius matri sit laus sempiterna.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM HVIVS LIBRI.

A

ABietis natura. fol.170
Acervus tritici. fol.723
Accipitris natura. fol.226
Accommodatio ad sponsi passionem. folio 753
Adæ anima. fol.156
Adiuratio quid. fol.207
Aduentus secundus sponsi. fol.255
Aer salubris multum conducit plantis. folio 456
Angeli apostatis filij alieni. fol.90
Agnes virgo. fol.251
Agnus Dei. fol.480
Agri interni actus. fol.229
Agri nomine inculta peccatorum anima significantur. fol.803
Aloe delineatio. fol.447

a ea solent esse in bonis. fol. 475
Amana mons Ciliciam & Syriam diuidens. fol. 392
Amantes mutuo se inuisere cupiunt. 996
Amor est motus in rem amatam. 905 833
Amici charissimi sunt Doctores Ecclesiæ. fol. 485
Amicorum res & mores communes. fol. 222
Aminadab nepos Iudæ. fol. 689
Amor vis quædam coniungens. fol. 2
Amor in rem amatam pronus. fol. 16
Amor Dei & proximi. fol. 144
Amor cæcus depingitur. fol. 387
Amor rei amatur concupiscentia. fol. 538
Amoris vis mira. 864
Amor Dei & proximi. fol. 765
Amores & verba eandem rem notant. fol. 17
Amori modus præscribi nequit. fol. 492
Amor muneribus modū præscribere nescit. 925
Amoris ingenium. fol. 1
Amor sponsi quo nos prosequitur. 999
Amoris impetus declaratur. fol. 408
Anima corpori vitam impertit. fol. 9
Anima è peccati nigredine ad iustitiæ candorem traducta adeò confestim tota candida comparere non potest. fol. 77
Anima virtutibus vacua, quasi domus deducta, furibus peruia. 948
Animæ quæ ad iustitiam euocantur, spiritalem

ſponſo matrimonium ineunt. 938
Anima principalis hominis pars. fol.274
Animæ nuncupantur Eccleſiæ filiæ. fol.76
Animæ ſplendor. fol.156
Animæ caſtæ liliæ nuncupantur. fol.252
Animus requiem cœleſtis patriæ cupit. fol.844
B. Antonij conflictus. fol.616
S. Antonius vir perfectus. fol.700
Aquæ baptiſmatis flexus. fol.593
Aquæ piſcinarum natura. fol.736
Aquarum nomine labores intelliguntur. 920
Aquilo ventus immitis. fol.436
Apparatus belli notatus. fol.116
Arbor ſcientiæ fuit mala. fol.186
Arcana via quam ſponſus animas ſolaturus ingreditur. fol.213
Argentum doctrinam ſponſi inſinuat. fol.1322
Auri proprietas. fol.548
Auro etiam maieſtas regia notatur. fol.129
Aurum diuinæ charitatis naturam inſinuat. fol. 129
Auroræ deſignatio. fol.664

B

BAptiſmi myſterium. fol.454
Bether mons. fol.257
Baſis domus hominis eſt. 926
Bether domus ſeparationis interpretatur. fol. 259

Brachia opera significant. 894
Botrus Engaddi Botrus cypri nuncupatur. f.148

C

Carnales vasa lapidea. fol.749
Candor animæ virtutis argumentū. f.179
Candor diuinitatis. fol 592
Capilli sunt cogitationes. fol.344
Caput est princeps corporis pars. fol.331
Caprea visu acutissimo pollet. fol.215
Caprea animal mundum. fol.728
Capreæ natura. fol.208. & 999
Caphucæ natura. fol.152
Cardinales virtutes. fol.321
Charitas diadema aureum: fol.329
Charitatis effigies. fol.370
Charitas turris est tum ob celsitudinem tum firmitatem. fol.371
Charitatis promptitudo. fol.378
Charitas virtutum forma. fol.437
Charitas forma virtutum. fol 733
Charitas regina virtutum. fol.816
Charitas Dei malo granato significatur. 861
Carmeli montis laus. fol.745
Carmeli nomine duo montes. fol.746
Carmesini nomenclatura. fol.755
Cedar filius Ismaelis vnde originem ducunt Saraceni. fol.79
Cedri ligna Libani. fol.518

Cedri corruptelam non sentiunt. fol.596
Cellaria sponsi sunt duo contemplationis & dilectionis. fol.62
Cellaria vini & vnguenti receptacula. fol.64
Cellarium contemplationis. fol.63
Cellarium amoris. fol.614
Ceroma vnguentũ quo athletæ vngebãtur. f.32
Cerui halitus serpentes vrit. fol.209
Cerui hinnulos suos salire docent. fol.215
Christus rex spinea corona redimitus. 883
Cinamomi vis, diuini amoris vis. fol.444
Cincinni sunt cogitationes sanctæ. fol.798
Ciuitas est Ecclesia. fol.265
Cœcum ex gramine rubeo nascens. fol.356
Cœtus animarum vineæ appellantur. fol.807
Color marinus cœlestia corpora imitatur. fol. 575
Colli laus in quo consistit. fol.126
Collum imago fidei. fol 730
Columba animal simplex. fol.159
Columbæ natura. fol.559
Coma Lycia prouerbium. fol.640
Coma ornatus mulieris. fol.658
Comæ similes purpuræ. fol.748
Comæ cogitationes depingunt. fol.748
Combustio phœnicis. fol.196
Concordia est duorum cordium coniunctio. fol. 12

Coniunctio hominis cum Deo Incarnatio appellatur. fol.543
Conatus parturiendi. fol.814
Conatus iustorum sanguine Christi perfusi ascendere dicuntur. 880
Constitutus in peccatis extra mentem errat. fol. 67
Cor sponsum nuncupat. fol.489
Corda humilia & excelsa. fol.770
Chori ad risum mobiles. fol.703
Corporis custodijs obsepti tanquam in Gyaru arctamur. 838
Cortex mali punici. fol.644
Corui color. fol.554
Creatio spiritalis gratia constans ab ea quæ naturalis est. 962
Crinis obedientiam significat. fol.406
Christi nomen appellatium. fol.37
Christus id est vnctus. fol.42
Christus lapis angularis. 941
Croci vires. fol.440
Crocus ebrietati resistit. fol.440
Crura sponsi duo sunt, meritum & satisfactio. fol.585
Cosmopæia. fol.657
Cupressi natura. fol.167
Custodiæ vinearum delineatio. fol.92
Cursus non per plura, sed & per arduafit. f.286.

Clypeorum symbolum charitati congruit. fol. 374
Cypri similitudo sponsus, nardi translatione charitas exprimitur. fol.436

D

DAmascus metropolis Syriæ. fol.739
Dæmonis potentia. fol.456
Dauid passus est Absolonem in vrbem redire. fol. 13
Dauidis persona sponsus intelligitur. fol.13
Decor externarum actionum moderationem significat. fol.758
Dei cum anima iusta coniunctio, arcanus duorum spirituum contactus est. fol.4
Deus cunctis præsens est creaturis, sed iustis singulari modo commiscetur. fol.3
Deus peculiari modo coniungitur iustis. fol.3
Deus peccatorem non confestim ad osculum admittit. fol.13
Deus res conditas amat. fol.52
Deus nos ad se trahit. fol.60
Deus conuersus specimen sui dulcoris exhibere solet. fol.68
Deus in aditu iustitiæ sine meritis demulcet. fol. 71
Deus aliquando non exaudit, in spem erigens. fol.271

Deus quomodo in hoc exilio cognosci possit. fol. 632
Deus hominem rectum condidit, is peccans rectitudine cecidit. 935
Deus auro signatur. fol. 830
Dentes sunt cogitationes. fol. 642
Dentibus meditationis notatur ingenium. f. 352
Deserti descriptio. fol. 288
Dextera fortitudinis symbolum. fol. 201
Desiderium erumpit ab amore. fol. 604
Differentia nigri & nigrefacti. fol. 87
Dilectus ex dilecto suo æterno patre natus. fol. 540
Dilectus Deus & homo est. fol. 542
Dilectio morte fortior. 897
Discretio temporum. fol. 683
Discretio boni à malo. fol. 740
Discrimen inter piscinas & amnes. fol. 737
Diuina sapientia mater vniuersarum creaturarum. fol. 89
Diuinæ vocationis imago. fol. 23
Diuinis contemplationibus nemo temerè auocandus. fol. 207
Doctor sedulus, qui Ecclesiam velut vxorem duxit, mille argenteos hoc est vniuersa dogmata domini affert. 978
Doctores Ecclesiæ à Deo interdum visitati. 869
Doctores custodes Ecclesiæ dicuntur. 972

Domus matris sponsæ cœlestis est Hierusalem. 852
Domus vini est contemplatio. fol.193
Duo Ecclesiæ status. fol.267

E

EBrij natura. fol.794
Eburos Elephantis significant fidem castã. fol.732
Ecclesia nullos habet populos. 970
Ecclesia est vrbs benè constituta. fol.309
Ecclesiæ membra in duo lumina distincta. fol. 669
Ecclesia est hortus omnium florũ abundans. 874
Ecstasis somnum denotat. fol.697
Æris cudendi officina est voluntas. 894
Effigies corporea. fol.28
Electio gratia aut natura fit. fol.544
Emphasis in verbo inebriamini. fol.484
Equi generosi Domino insidenti lenes sunt: alijs intractabiles. fol.115
Equi sponsi sunt Angeli. fol.116
Equi similitudo. fol.124
Equitatus regis Salomonis. fol.119
Equitatus & currus sunt animæ è dæmonis seruitute in libertatem asserta. fol.120
Esebon vrbs vltra Iordanem. fol.735
Eucharistia est tota substantia sponsi. 928

Eua, Adæ caro fuit. fol.548
Exilium huius vitæ delineatio. fol.216

F

FAmes vitæ index. fol.100
Fasciculus myrrhæ. fol.143
Felicitate non efferri sed instantis calamitatis meminisse par est. fol.140
Femore Venus indicatur. fol.312
Femore sensus notatur carnis libido. fol.278
Ferculum lecticam hoc loco significat. fol.315
Ferculum tabernaculum, quo in supplicationibus Eucharistia gestatur. fol.316
Filiæ Hierusalem sunt animæ sponsi familiares. fol.536
Filiæ Hierusalem, vnicæ Ecclesiæ filiæ. 873
Filij Ismaelis & Esau relicto vero Deo, alienos deos colebant. fol.108
Filius Dei electus naturalis. fol.544
Flumina malorum rabiem significant. 921
Fistulæ interpretatio. fol.441
Fœmina generationis signa. fol.712
Fœmina prolem denotat. fol.712
Fœminæ imago. fol.708
Fons duplex sanguinis & aquæ. fol.593
Fontis effigies. fol.450
Fortes nulla pericula timent. fol.301
Flos charitatis pueritiam designat. fol.68

Fructus punici mali proprio dirumpitur ingenio. 882
Fructus paradisi maturos creauit Deus. *fol.*431
Fructus sunt actus virtutum. *fol.*467

G

GAlaad mons altus. *fol.*345
Gemelli fœtus sunt duo amoris actus in Deum & proximum. *fol.*355
Genarum natura. *fol.*362
Genæ sermonem notant. *fol.*567
Guttur pro halitu accipitur. *fol.*786
Gladius spiritus est verbum Dei. *fol.*306
Gradus ætatis. *fol.*685
Gradus iustitiæ. *fol.*818

H

HAlitus odoratus oris hominem commendat. *fol.*781
Helias Carmelitarum dux. *fol.*264
Hermon mons terræ sanctæ. *fol.*393
Hierusalem superna mater nostra. *fol.*281
Hinnulus cursu velocissimus. 1004
Hierusalem superna. *fol.*629.*item* 655
Hinnuli proprietas. *fol.*729
Homines fluxa mundi bona solum admirantur. 932
Homines molles Dei punctiuras non sentiunt. *fol.*826

Homines molles Dei puncturas non sentiũt. 826
Hortorum nomine Scriptura intelligenda. 988
Humana caro pes mundi appellatur. fol.593
Humana natura veluti pes ciuitatis est. fol. 839
Hyacinthus lapilli nomen est. fol.574

I

IAcob supplantatorem significat. fol.302
Ieriah significat cortinam. fol.81
Ierusalem superna est mater sponsæ. 836
Iesus quale nomen. fol.36
Iesus nomen suauissimum. fol.38
Iesus id est, saluator. fol.42
Iesu nomine audito ingens in cordibus iustorum flamma excitatur. fol.40
Iordanis origo. fol.391
Ignoratio huius vitæ cessabit in cœlesti domicilio. 856
Intellectus Deum contemplans osculum appellari potest. 840
Ioseph fuit decorus aspectu. fol.330
Iudæi purpurarij. fol.753
Iusti coactione non egent. fol.626
Iustitia qualis virtus. fol.74
Iustitia vt recta sit charitatis directione indiget fol.75
Iustitiæ gradus. 818
Iustitia scientiæ consistit felicitas. fol.180

In malo punico ætatum series conspicitur. fol. fol.816
Infantis studium. fol.25
Ingentes columnæ. fol.587
Ingenium amantium. 915
Intellectus & voluntas duo cellaria sunt sponsi. fol.65
Intellectus osculum appellari potest. fol.849
Intellectus sponsæ. fol.718
Interna & externa pulchritudo sponsæ. fol.340
Interpretatio Cantici Canticorum. fol.149
Imperium nominis Iesu. fol.39
Iræ vis. fol.741
Insula Cypri generosi vini fertilis. fol.147
Israel nomen fortissimi Athletæ. fol.301
Israel id est Deum cernens. fol.302
Iusti intestino contrariorum appetituum bello quatiuntur. 965

L

Labia sermonem sponsi significant. fol.569
Læua antiquitati honorificētior dextra 865
Lac melius vino. fol.20
Lac vino generosius. fol.26
Lac ex amore expressum fragrat optimis vnguētis. fol.33
Lampas facem significat. 910
Languor vndè accidat. fol.199
Laricis natura. fol.169

Latebræ Dæmonum. fol.740
Lecti custodes sunt doctores. fol.299
Lectus & nox requiem notant. fol.262
Lectulus sponsi cor seu voluntas est, in qua vis est amandi. fol.162
Leones crudeles homines. Pardi versutos significant. fol.393
Libani radicibus duo fontes erumpunt. fol.591
Libanus mons Syriæ. fol.389
Libanus mons in Syria. fol.591
Libanus candidus interpretatur. fol.591
Lilia sunt virtutes candore insignes. fol.615
Lilij qualitas. fol.175
Linguæ sponsæ Encomium. fol.413
Luctatorum mos. fol.278
Luna plena pulcherrima est. fol.666
Lux odiosa ægris oculis. fol.671

M

Maceriæ descriptio. fol.248
Magdalena qualiter adhæsit Deo. fo.24
Malus arbor crucis lignum significat. 881
Mali punici discrimina. fol.685
Malum punicum imago charitatis. fol.684
Mandragoræ iustitiæ symbola. fol.821
Mandragoræ figura. fol.821
Mandragoræ proprietas. fol.824
Manus opera significant. fol.513

Manus opera sponsi significant. fol.570
Maris pericula enarrant ea experti. fol.98
Martyrum constantia. fol.443
Medicorum mos. fol.630
Merita & pia exercitia sunt quasi vuæ in vite pendentes. fol.95
Metere quid sit. fol.472
Millenarij numeri laus. 975
Miles Christi mortem pro charitate opetit. 940
Mirabilis Dei erga creaturam dignatio. fol.607
Misericordia & iustitia mundi bases sunt. fol. 586
Modus quo Deus corda nostra quatit. fol.23
Monachi veteris Testamenti. fol.348
Mons amantium. 419
Mos amantium. fol.396
Mos antiquorum in ducendis vxoribus. fol.646
Mos amantium. fol.673
Mos colonum. fol.808
Mores reproborum. fol.113
Motus à corde incipit. 893
Morte plectendis apud antiquos.
Mortis proprietas. 900
Mundus hic vt theatrum spectaculorũ est. 990
Munus præsulum & doctorum. fol.531
Murra lapidis pretiosi genus. 860
Mustum ex malis granatis, hoc est, ex amore Dei & proximi confectum. 862

Myrrhæ in Arabia nascitur. fol.141
Myrrha mortificationem designat. 291
Myrrhæ amaritudo amori quasi vino condituram inducit. 866
Myrrhæ natura. fol.447

N

Nasus vim discernendi exprimit. fol.740
Nasus iræ index. fol.741
Nares internæ odorem exhalant. fol.783
Narium natura. fol.783
Nardi vsus in medicina. fol.137
Nardus Magdalenæ. fol.438
Nativæ proprietati Nardi conuenit animos glaciatos calefacere. fol.138
Natura mulierum imbecillium. fol.109
Natura malum punicam arborem spinis armauit. fol.430
Natura humana velut pes natiuitatis est. 839
Nomen Iesu miram habet energiam in quouis significatu. fol.47
Nouum institutum philosophandi. fol.347
Nucem edendi difficultas. fol.676

O

Obrizum aurum purum. fol.548
Oculi notitiam significant. fol.398
Oculus notitiam præ se fert. fol.398
Olei qualitas & natura. fol.38

Oleum effusum nomen sponsi. fol.37
Ordo in vite crescente. fol.810
Ordinare quid sit. fol.189
Oratio mentalis. fol.125
Orationis effigies. fol.366
Orationis virtus. fol.367
Os quo sponsa exosculatur Christus est. fol.6
Osculans, os, osculum, tres summæ Triadis personæ. fol.5
Oscula in plurali numero pro osculo cur poscatur. fol.14
Oscula proprietas. fol.7
Oscula metaphoram, persona sp. s. poscit. fol.8
Oscula proprietas. fol.841
Osculo diuino destitutus homo perit. fol.10
Osculum duorum corporum contactus. fol.4
Osculum quid. fol.5
Ostendere faciem, est hilarem se exhibere. fol. 241
Ostij nomen voluntas sibi vendicat. fol.520

P

Palma est multiplex. fol.762
Palma fert dactylos racematim crescentes. fol.767
Palmæ structura. fol.763
Palmæ procera. fol.771

Palmarum mirabilis vis. fol.776
Papilio tentorium. fol.324
Pater venit filius & spir. sanct. mittuntur. fol. 15
Pauperes filios foribus diuitum exponunt. fol. 820
Pax osculo significatur. fol.12
Peccatum est illud nihil quod sine ipso factum est. fol.45
Pedes sunt affectus. fol.503
Pelles Salomonis diuinam gratiam & virtutes notant. fol.80
Pessulus carnem, qua voluntas naturæ compatitur, significat. fol.520
Petræ delineatio. fol.238
Pœnitentiæ actus. fol.447
Phœnix in succenso nido cubat. fol.103
Pomi gratia tribus sensibus distribuitur. fol.180
Poma noua & vetera sunt vtriusque testamenti dogmata. 828
Præfecturam sine meritis affectare temeritas est. fol.801
Prælatura multis ansa ruinæ est. fol.797
Præsules qui suas Ecclesias coram non habent, in salutis discrimine sunt. 980
Præmium debet respondere labori. fol. 466. & 975
Prædicatores doctrinam tyronibus militanti ecclesiæ

ecclesiæ vt lac propinant. 846
Prædicatores vberibus Ecclesiæ notantur. 937
Propugnacula scripturæ dogmata. 953
Puellæ genas ornare solent. fol.123
Punctura sponsi spinarum. fol.745
Pulchritudo vnde consurgat. fol.624
Pulchritudo interna virtutum consensionem notat. fol.758
Pulchritudo duplex interna & externa. fol.156
Pulchritudinis delineatio. fol.155
Purpuræ sunt pisces in Tyria. fol.753
Purpuræ tinctura. fol.752
Plantarum nutritio. fol.248

Q

QVadrigæ pro vniuerso exercitu accipiuntur. fol.693
Quam diu Adam & Eua manserint in paradiso. fol.433
Qui beati nuncupentur. fol.663
Quod homini est caput, arbori radix. fol.551

R

REcenter conuersi nuncupantur poma conuallium. fol.679
Recti qui sint censendi. fol.73
Regiæ cellæ mancipijs non patent. fol.66
Repulsa ex amore proueniens expedit. fol.70
Ritus sacrificandi vitulos. fol.296

S

Salomonis nomen aliquando Deum significat. fol.83
Salomon, id est pacificus.
Salomon imaginem prætulit Christi. 968
Sapientia potus & esca. fol.188
Sapientia potus nuncupatur. fol.718
Sapphyrus lapis cœlum refert. fol.580
Saron regionis nomen. fol.173
Serpens quomodo capiendus. 850
Septem dona spiritus sancti. fol.58
Sexagenarius numerus. fol.300
Sicut calor diuini amoris, ita frigus culpæ symbolum. fol.225
Sigillum epistolæ secreta custodit. 890
Silentij laus. fol.414
Sinistra imbecillitatis. fol.201
Sion est Ecclesia. 927
Socotora insula. fol.448
Somnus mortis imago. fol.794
Soror paruula est plebs peccatorum. 934
Sulamitis id est perfecta. fol.699
Surgere habitus est agentis. fol.509
Symbolica loquendi ratio. fol 477
Spes futuræ felicitatis nuncupatur odor. fol. 31
Spiritus sanctus est spiraculum quod Deus animæ faciem inspirat. fol.8
Spiritus animæ vitam impertit. fol.9

Spiritus ſancti immiſsio in homine quando ſit. fol.11
Spiritus ſancti dona cum gratia conferũtur. f.32
Sponſa tres diuinitatis perſonas ſibi vniri poſcit. fol.6.
Sponſa recens ad iuſtitiam euocata lac ex vberibus ſugit. fol.19
Sponſa inſtar turturis. fol.230
Sponſa ficus nuncupatur. fol.233
Sponſa hortus amœniſsimus. fol.614
Sponſa cur columba vocetur. fol.654
Sponſa ſponſo crucifixo ſimilis euaſit. fol. 756
Sponſus palma ſymbolicè vocatur onere non in altum ſubleuans. 877
Sponſa vitæ auſteritate non ſuccubuit. fol.764
Sponſo & nomen & ingenium matris congruit. 887
Sponſa inſtar ſcalæ. fol.775
Sponſus morte ſua ſibi præmium accidentale nobis eſſentialem gloriam promeruit. 985
Sponſæ progreſsio in obedientia. fol.128
Sponſæ mens inſtar montis. fol.381
Sponſæ ſtatura. fol.763
Sponſæ ornamentum. fol.745
Sponſæ laus. 830
Sponſi caput Deus eſt. fol.798
Sponſus in monte Tabor non tantùm de ſua

gloria sed morte futura innuit. fol.140
Sponsus Christus Deus & homo. fol.161
Sponsi cor epistola est. 891
Sponsus quis sit. fol.409
Sponsi diuinitas nostris se admittit aspectibus. 1003
Sponsus mel, sponsa ceræ cella. fol.410
Sponsus Zelotes dicitur. 915
Sponsus malus inter ligna. fol.782
Sponsus quomodo corda visitet. fol.680
Synagoga Iudæorum corrupta mater sponsum crucifixit. 884
Synagoga violata, quia adultera fuit. 885
Structuram toga, militiæque comparatam,
Sponsus super animas iustorum sponsæ ministerio erigit. 954

T

TAbula digito sponsi picta. fol.291
Theca sacri calicis. fol.621
Theodorus monachus. fol.561
Templum Salomonis. fol.596
Templum Ecclesiæ. fol.597
Tempus loquendi, tempus silendi. fol.363
Ternarius numerus sacer. fol.391
Tharsis gemma. fol.574
Testes debent esse incorrupti. fol.661
Turpes scelerum affectus, peccatis relictis, non è vestigio reuelli. fol.78

Thus orationem notat. fol.291
Thus diuinitatis est signum. fol.599
Thuris arbusculæ delineatio. fol.384
Turris Dauid. fol.365
Turris est fides charitate fulta. fol.731
Turturis natura. fol.122
Tyranni metus. fol.494
Tyronum cœtus hortus nucum nuncupatur. fol. 675
Tres animarum chori. fol.664
Tria sunt omnia prouerb. fol.391

V

VAgitus spiritalis. 823
Venter pars corporis fragilis. fol.579
Venter eburneus. fol.579
Ventris pulchritudo. fol.719
Venustas actionum scenicarum in commemoratione interdū & silentio interdum consistit. fol. 69
Venustas oculorum. fol.737
Veris temporis designatio. fol.228
Veris effigies. fol.232
Vermis conscientiæ. 907
Vertebræ coxæ. fol.715
Vestimenta sunt virtutis opera. fol.419
Via breuis ad sponsum peruestigandum est monitis Doctorum spiritalium parere. fol.275
Vici & plateæ. fol.267

Vigiles ciuitatis sunt præsules & Doctores Ecclesiæ. fol.272
Vinea significat Ecclesiam. 967
Vini in sacris literis significatio. fol.21
Vini proprietas. fol.22
Vino amor signatur. fol.767
Vir caput mulieris. fol.203
Vir caput est mulieris. fol.744
Vitæ austeritas quasi herinacius. fol.142
Vites quomodo vinciantur. fol.766
Voluntas & intellectus sponsi cellaria. fol.65
Voluntas sponsæ instar sphæræ sponsum vndique complectentis. fol.135
Voluptates, somnum inducunt. fol.625
Voluptatum aquæ non extingunt charitatem. 919
Vocum non rerum diuersitas. fol.679
Vox tua & facies tua emphasim habet. fol.244
Vox interna, est mentalis, & vocalis oratio. fol. 242
Vulpes dæmones insinuant. fol.246
Vber amorem designat. fol.144
Vber amoris symbolum. fol.16.375.407
Vbera amoris actus. fol.375.item 407
Vbera duo sunt testamenta. fol.727
Vbera amoris symbola. 76
Vbera scientiam & prudentiam denotant. fol. 768.item fol 779

Vbera superna Ecclesiæ, sunt Beatorum voluntates. 836
Vberum duorum discrimen. fol.18
Vberum dulcor. fol.19
Vbera scientiam & prudentiam notant. 819
Vmbilici significatio. fol.717
Vmbilicus ventris centrum. fol.720
Vnguento precioso antiqui capita vngebant. fol.41
Vterque sponsi amor vberibus notatus. fol.29
Vterus intellectum notat. fol.717
Vrbis nomine conuictu charitatis socij. fol.802
Vulgaris mos pauperum filios præforibus nobilium exponere. 820

Z

ZElotypia dura est sicut infernus. 914

FINIS.

Liber Sancti Jacobi